


Del Coll. de la Comy. & Mus. de Granada
CATHOLICÆ

CONFVTATIONIS
PROPHANÆ ILLIVS

ET PESTILENTIS CONFESSIÖNIS,
(quam Antuerpiensẽm Confessionem appellant



Pseudoministri quidam) contra varias &
inanes cauillationes Mat. Flacci Il-
lyrici, APOLOGIA seu
defensio.

Authore IVDOCO RAVESTEYN Tile-
tano, Doctore Theologo in Academia
LOVANIENSIS.



LOVANIÏ,
Apud Petrum Zangrium Tiletanum.
1568.

Cum Gratia & Priuilegio Reg. Maiest.
Subsig. Vander A A.



Del Coll. de la Comy. & Mus. de Granada
CATHOLICÆ

CONFVTATIONIS
PROPHANÆ ILLIVS *B-2354*

ET PESTILENTIS CONFESSIÖNIS,
(quam Antuerpiensẽm Confessionem appellant


Pseudoministri quidam) contra varias &
inanes cauillationes Mat. Flacci Il-
lyrici, APOLOGIA seu
defensio. *B.*

Authore IVDOCO RAVESTEYN Tile-
tano, Doctore Theologo in Academia
LOVANIENSIS.



LOVANIÏ,
Apud Petrum Zangrium Tiletanum.
1568.

Cum Gratia & Priuilegio Reg. Maieft.
Subfig. Vander A A.





AMPLISS. SENATV
TVI ANTVERPIENSI
IVDOCVS RAVESTEYN

Tiletanus, S. P. D.

2. ad Timotheum 3.

Mali homines & seductores proficient in peius, errantes & in errorem mittentes: habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes. Tu vero permane in his quæ didicisti, sciens à quo didiceris.



VM DVDVM IN EC-
clesiam Antuerpien-
sem irrepsissent Mini-
stri quidam, qui se di-
cunt Iesu Christi Mi-
nistros, sed non sunt, (sunt autem uti
palam profitentur, Augustanę & non
Catholicę doctrinę Ministri) & con-
fessionem quandam ædidissent do-
ctrinę quam adferebant, conscripsi &
ædidi succinctam peruersę doctrinę
confutationem: qua lectoribus in-
firmis potissimum & ineruditis, per-
spicuis, firmis & solidis testimoniis
ac rationibus demonstraui, confes-
sionem

A ij

tionem eorum & doctrinam, neque cum doctrina Spiritus sancti in Scripturis sanctis patefacta & tradita, neque cum Patrum sanctorum testimoniis & scriptis consentire, sed palam cum illis pugnare.

Quid autem DEVS, tum apud Antuerpienses, tum apud alios, ad quos peruersa illa confessio disseminata erat, per nostrae scriptionis laborem efficere dignatus sit, publicae voces palam testantur: quae affirmant infirmos plurimos confirmatos: titubantes ac vacillantes non paucos, constabitos: Plerosque verò, qui in errorem seducti erant, ab errore reuocatos. Eum populi Christiani fructum cum princeps tenebrarum, & inimicus humanae salutis agerrimè ferat, suis artibus opprimere eum, & extinguere conatur. Quare suscitauit veritatis aduersarium quendam Matth. Flaccum Illyricum, organon

viru-

virulentum, & in maledicendi ac mentiendi artificio probè exercitatum: qui mendaciis, cauillationibus & flagitiosis calumniis nostram confutationem obscurare, redarguere, conuellere, aut saltem arrodere conaretur.

Scribit me diligenter quidem, & aliquando non sine specie & colore veritatis contra Confessionem scripsisse, sed fraudulenter. Malis artibus, artificiosis sophismatibus, & flagitiosis calumniis in eludendis veritatis testimoniis me usum esse, ac pessima fide testimonia vel ex Scriptura, vel ex Patribus deprompsisse.

Ab his teterrimis vitiis immunem prorsus esse & semper fuisse animum meum, & solius veritatis studiosum, conscius est qui corda & renes scrutatur Deus: cui vni meum animum, meumque studium approbari, mihi abunde satis est. Verum vt flagitiosa

A iij ho-

hominis mendacia & calumnias cognoscat & perspiciat Lector, & vt nostræ confutationi sua constet fides, in hac scriptione & defensione nostræ confutationis detegam & palam faciam eius potius malas artes, quibus in eludendis veritatis firmissimis & certissimis testimoniis, & obscuranda veritatis luce in sua defensione usus est: efficiamque, Deo adiuuante, vt perspicuè intelligat & cernat pius Lector, nihil illum solide opposuisse nostræ confutationi: sed eam, contra sceleratas eius deprauationes & impias corruptelas integram, infractam, immotam ac firmam consistere, atque adeò eam apud recte solideque iudicantes magis confirmasse quam refutasse.

De qua tota re Lector postea ex nostra defensione iudicare poterit, si modo vtramque sententiam sedulo examinet & perspiciat.

Quo-

Quoniam verò vobis, amplissimi Senatores, pestilentissimus Confessionis, in vestrum celeberrimum emporium, per publicam temporum perturbationem inuectæ, Catholicam confutationem dedicaueram: quam & vestris amplissimis Dominationibus gratam fuisse, & vestris imprimis ciuibus salutarem, plurimorum virorum catholicorum testimoniis didici: equissimum visum est, vt Apologiam quoque ac defensionem confutationis Catholicæ, quam Ecclesiæ Christi coniuratus hostis, M. Flaccus Illyricus, inanibus cauillationibus, & fædissimis mendaciis, imposturis ac fraudibus labefactare & conuellere conatus est, v. Amplifs. D. offerrem: vt sicut vestris auspiciis confutatio catholica, ita nunc confutationis defensio, populo vestro commendatior reddatur.

Et sane Catholici magistratus munus est, non solum Catholicorum scripta

A iij studio

studiosè & religiosè tueri, verum etiam (quod olim Constantinus ille magnus, Martianus, Theodosius, Iustinianus, atque alii plerique Catholici Imperatores & Principes ante annos mille ducentos studiosè fecerunt) providere vt perniciosissima illa confessio, simul cum æquè perniciosa defensione Illyrici prorsus aboleatur & extinguatur: Aut si propter quorundam improbam curiositatem id obtineri non possit, seuera & publica prohibitione, omnibus Ditionis vestræ subditis interdicator: Atq; contra salutaris & religiosæ prohibitionis contemptores, iustæ animaduersionis exemplum edatur. Grauiissima sane, & sempiterna memoria digna est Sententia illa Leonis illius sanctissimi & eruditissimi Pontificis (quam crebrò ad Augustos & Catholicos Principes scriplisse legitur) quæ & magistratibus Catholicis commendatissi-

*Leonis
primi sen-
tentia ad
Augustos
Impera-
tores.*

ma

ma esse debet: Res publicas aliter tutas esse non posse, nisi quæ ad diuinam confessionem, fidem & doctrinam Catholicam pertinent, politica quoque ac secularis potestas, sollicitè tueatur atque defendat: Et Regni *Epist. 26* ac rerum publicarum statui ac viribus profuturum, quidquid studii ac præsidii erga religionem fuerit religiosè impensum. Sin verò Dei religio negligatur & dissipetur, è contrariò *Epist. 31.* Dei grauem indignationem prouocandam. Hoc itaque ornatissimæ & amplissimæ vestræ Dominationes persuasissimum habere debent Qualem statum studueritis habere religionis, talem & Reipub. vestræ celeberrimæ vos habituros. Quapropter summo studio & vigilantibus pestilentes libri, & contra veram religionem blasphemi, imprimis quidem propter diuinam religionem interdiciendi ac proscribendi sunt: sed


A v non

non ob eam solam, verum etiam
quia gloriae, dignitati, commodis,
ac tranquillitati publicae grauius offi-
ciunt. Christus amplissimam &
celeberrimam rempublicam
conseruet incolumem
ac prouehat.
Valet.

Ampliss. VV. DD.

Deditissimus

Iudocus Rauesteyn Tiletanus.



6
DE PROLOGO
seu Praefatione.



NIPSO MOX VE-
stibulo Apologiae Archite-
ctus Illyricus suum inge-
nium patefacit, dum tria
luculenta mēdacia authori
confutationis statim affin-
git impudenter.

Aduersarius, inquit, in ipsa statim praefatione, de officio magistratus in rebus ecclesiasticis agens, vult magistratum esse satellitem pontificū in exequendis ipsorum decretis ac mandatis, & tantum licetorem & carnificem pontificum: qui protinus ut illi inuuant, stringat gladium contra quemcumq; illi modo iusserint. Itaq; contra omne diuinum simul & humanum ius & fas molitur & fabricat confutationis architectus extremam seruitutem magistratui & ecclesiae, dum soli antichristo, utpote Romano pontifici, eiusq; parasiti, omne iudiciū & regimen adscribit, & magistratum vult tantum licetorem & carnificem esse.

Vult Magistratum esse satellitem Pontificis in exequendis eius decretis, siue iustis, siue etiam iniustis: qui exequatur quicquid ille modo ex pessimo scrinio pectoris sui, aut etiam tantum coniurati eius episcopi & monachi euomuerint.

Vult

3. *Mendacium.* Vult sine omni plane iudicio magistratum exequi quicquid vel Pontifici, vel coniurati eius Episcopi decreuerint: & ab omni plane iudicio de religione Magistratum arceat.

Refutatio mendaciorum.

Aug. epistola 50. lib. 2. contra Gaudent. epistolam, contra Cresconium Gratianum lib. 3. ca. 51

Cum his sententiis conferat quæso pius lector & veritatis amans, nostras de officio magistratus in causis ecclesiasticis sententias, & perspiciat, atque etiam odisse incipiat impudentissima calumniatoris mendacia. Primum enim ostendo in cõsutatione per Diui Augustini sententias, iam olim contra hereticos imploratum esse pro ecclesia secularium potestatum subsidium & præsidium, atque eam implorationem ab Augustino contra cõtradictores Donatistas desentam esse: Atqui Pontifices & Episcopos implorare religiosorum principum auxilium contra hæreticos, an hoc est Pontifices & Episcopos habere religiosos Principes pro suis satellitibus & tortoribus? Deinde ostendo per easdem Augustini sententias, Ad curam & officium pertinere potestatum secularium non solum pro pace & tranquillitate politica, sed etiam pro religione, leges iustas sancire. Quis vero sanus dicat, eum qui magistratus munus tam præclarum esse scribit, magistratum facere carnificem, listorem & tortorem Ecclesiæ sanctissimorum Pontificum & Episcoporum?

Postremo, Refutatis duabus de officio magistratus sententiis extremis, hanc esse meam senten-

sententiam disertis verbis expono. Illi soli rectè sentire de magistratus officio censendi sunt, qui temperata & moderata sententia, non solius humanæ societatis & tranquillitatis, sed etiam diuinæ religionis curam hactenus magistratibus tribuunt, vt rectam & synceram de religione doctrinam religiose suscipientes, studiose defendant, tueantur & propagent: leges ad eam conseruandam & stabiliendam sanciendo, & quæ contra eam fiunt seuerè prohibendo & vindicando. Porro quænam sit syncera & recta pietatis doctrina, id ab ijs sollicitè perquirant quos Christus Ecclesiæ suæ præposuit vsque ad finem seculorum pastores, doctores, gubernatores, & rectores Ecclesiæ. Et postea infero: Si igitur suo vtraque potestas munere contenta, Ecclesiastica quidem regat Ecclesiã verbo synceræ doctrinæ, sacramentorum administratione, idoneorum ministrorum institutione, legum ad ordinis publici in Ecclesia conseruationem & charitatis ædificationem sanctione, & denique poenis spiritualibus contumaces coercendo: Potestas verò politica, pacem & tranquillitatem in societate humana, legitimis sanctionibus procurando, idque potissimum eo fine, vt doctrina religionis doceri & propagari commode possit in Ecclesia, & perturbatores seuerè puniendo, denique religionis diuinæ doctrinam religiose ac studiose tuendo, constabit in Ecclesia Christi pulcherrimus ordo.

Atque hanc sententiam postea, exemplis tum regum

regum in scriptura sacra commendatorū, tum religiosissimorum imperatorum, Theodosii & Martiani comprobo. Obsecro te Christiane Lector, vt syncerè iudices, an qui sic de magistratu sentit, eum lictorem, tortorem & carnificem pontificum faciat.

2. *Mens dacijs con futatio.* Iam quod dicit me scripsisse Magistratum satellitem esse sacrorū pontificum in exequendis mandatis & iussis eorum siue iustis siue iniustis, tam impudens est & luculentum mendacium, vt refutatione indignum sit: haud quidem ignoro quid sibi velit dum hæc audet scribere: Sed prius demonstrare debebat doctrinam & mandata Pontificū, quibus obsequenter catholici assentimur & obtēperamus, veræ & Christianæ doctrinæ, Christiꝫ iussis contrariam esse.

3. *Mens dacijs con futatio.* Postremò, quod tertio loco adfingit: quod scribam magistratum sine omni plane iudicio debere pontificum mandata exequi, quodque eum arceam ab omni plane iudicio & cognitione de religione, paulo prolixius tractandum est & refutandum. Nam in eo consistit præcipua reprehensio, sed inutilis proflus & calumniosa.

Scripsi quidem, perniciose de magistratus officio sentire, qui ad magistratus pertinere docent, cognitionem & iudicium de causis religionis, inspectionem & emendationem ecclesiarum, curā doctrinæ quæ in ecclesia tradatur, ministrorum vocationem & (vt summam dicatur) ecclesiæ gubernationem. Eamꝫ doctrinam,

nam, præterquam quod turpiter cōmiscet potestatem ecclesiasticam & ciuilem, earumque functiones confundit, doctrinæ Spiritus sancti tam in prophetis quàm apostolicis literis traditæ aduersari. Testimonia quoque tam ex Prophetis quàm ex Apostolicis literis ascripti: Leuitici 10. Deuteronomii 17. & 21. 2. Paralip. 17. & 19. Ezechielis 44. Aggæi 2. Malach. 2. 1. Corint. 11. Ephes. 4. Actor. 20. & 15. Et postea Ambrosii quoque illustres sententias subieci.

Aduersus hæc Illyricus dissimulato callidè & fraudulentè controuersia statu multas scripturas coaceruat, quibus ostendat, Non solum magistratui, sed etiā cuilibet è plebe Christiana esse nō solum permillum, sed etiam mandatum aliquod de religione iudicium. Ac proinde me seductorem, facere ex Christianis hominibus brutas pecudes, vtpote quibus non liceat in occurrentibus controuersis verum à falso diiudicare, & summam tyrannidem antichristo, & extremam seruitutem magistratui ac ecclesiæ contra omne diuinum simul & humanum ius moliri me & fabricare, dum illi soli, eiusque parasitis omne iudicium & regimen adscribo.

Sed considerato vero controuersie statu, non est difficile has nebulas & fumos, quos aduersarius imperiti lectoris oculis obijcit, dispellere.

Non itaque quæritur hic: an magistratus tãquam brutæ pecudes, sint arcendi ab omni cognitione, & ab omni proflus iudicio doctrinæ de religione: debent enim summam Christianæ reli-

religionis habere probè cognitam, & præcipua religionis capita, quæ in Ecclesia palam prædicantur, docentur, & traduntur, proberenere: & per eam cognitionem diiudicare veram doctrinam, & à falsa discernere: videlicet quum Illyricus & collegæ ipsius in Ecclesiam celeberrimam emporij Antuerpiensis irrepererunt, & suam pravam doctrinam proponere cœperunt, debuit magistratus pius & Catholicus, cum palam intelligeret eam doctrinam quæ à nouitijs doctoribus inferebatur, contrariam esse, doctrinæ quam antea didicerat ac tenuerat, & quam sciebat solenniter in Ecclesia prædicari & tradi, & semper prædicatam & traditam fuisse, tanquam aliud Euangelium, & contrarium vero Evangelio, nouam eorum doctrinam anathematizare, & iuxta doctrinam apostoli Pauli, ministris illis aliud Euangelium annunciantibus, quàm initio acceperat, anathema dicere. Quoties, inquit Origenes, Ecclesiarum magistri, scilicet nouicij, canonicas proferunt scripturas, & aliter docent quàm habet definitio Ecclesiasticæ traditionis, nos illis credere non debemus, nec exire à paterna & Ecclesiastica traditione. Neq; aliter vnquam credere, nisi quemadmodum per successionem Ecclesiæ Dei tradiderunt nobis. Et pulchrè Vincentius Lirinensis: Quidquid nouum aut inauditum, hoc est, ei quod prius traditum est contrarium, induci senseris, id non ad religionem, sed ad tentationem potius percutiunt ne dubites.

Ad Gal. 1.

Homilia
29. in
Matth.

Vincētius
Lirinēsis.

Hanc

Hanc itaque de religione cognitionem, hoc de recta doctrina iudicium nemo aut magistratui, aut multitudini Ecclesiæ adimit, imò hanc cognitionem & iudicium scripturæ ab aduersario propositæ mandant, & indicant, per quam vitare & repudiare falsam doctrinam possint & debeant.

Cùm enim toties in scripturis homines iubentur audire & custodire verbum Dei, scrutari scripturas, videre quid & quomodo audiant, credere verbo Dei, audire & sequi vnicum pastorem & magistrum, cauere à pseudopropheta & eorum fermento, & denique anathematizare diuersa à vero Euangelia simul cum ipsorum Euangeliorum Pseudomagistris: à cognitione quæ ad hoc præstandum est necessaria, haud quaquam pius magistratus & pia Ecclesia excludenda est: & per hanc cognitionem de ministris seductoribus coram multitudine & cœtu Ecclesiæ litigantibus, & antiquam Catholicorum ministrorum doctrinam tanquam erroneam accusantibus, certum iudicium ferre quòd sint lupi veniētes sub ouium vestimentis.

Quod autem huc adfert Aduersarius, pueros quoque lactentes, & infimum vulgus, atque adeò mulierculas diuina voluntate, imò & mādato compulsos cognoscere cœlestem veritatem, audire veram vocem filij Dei, & alienam detestari & damnare, & assentiri Baptistæ & Christo contra pontificum & Phariseorum errores: eam sane cœlestis veritatis cognitionem

Deuter. 6.
Ioan. 5.
Ioan. 10.
Matth. 7.
Marc. 8.
Galat. 1.

Psal. 3.
Matth. 21.
Ioan. 10.
1. Ioan. 4.

B &

& confessionem manifestissimum est non proprio puerorum aut infimi vulgi iudicio & diiudicationi ascribendam esse, sed dono cœlestis patris, eam fidem & confessionem mentibus puerorum & vulgi donantis & inspirantis, iuxta oraculum diuinum. Nunquam, inquit Christus, legistis: Quia ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem?

1. Cor. 14. Quod iterum adducit Aduersarius testimonium Pauli præcipientis vt vnus aut alter loquatur, & cæteri diiudicent, vt per illud ostendat ad Ecclesiam vniuersam pertinere diiudicationem doctrinæ, perperam & fraudulenter citat Apostoli sententiam, vt in relatiuo (Cæteri) fraudem fruatur. Nō enim Apostolus aliquid statuit de vno aut altero loquentibus in Ecclesia, sed sigillatim & disertè de prophetis loquitur: Prophetæ autem duo aut tres dicant, & cæteri diiudicent. Vbi manifestissimum est Apostolum de Prophetis qui multi erant constituisse, vt ordinis gratia & confusionis vitandæ, duo tantum aut tres dicerent, ac cæteri prophetæ diiudicarent quod duo illi aut tres adferebant. Non igitur promiscuæ multitudini, sed tantum prophetis, diiudicationem eo loco tribuit. quod ex subiecta sententia clarissimum est. Potestis enim omnes, inquit, per singulos prophetare, vt omnes discant, vt vobis ordine prophetantibus & scripturas explanantibus, tota Ecclesia discat & admoneatur.

Rursus quod contendit Aduersarius: Spiritum

tum sanctum dari omnibus Christianis qui inducat eos in omnē veritatem, vt scilicet inter verum & falsum diiudicare valeant: perperam accipit verba Christi: Mittam Spiritum sanctum ad vos, & ille Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem: dum refert ea ad totam credentium multitudinem, cum ex ipsis circumstantiis textus, sit euidentissimum eam promissionem ad soles Apostolos pertinere. de quibus diserte dicit: Habeo adhuc multa vobis dicere, sed nō potestis portare modò. Quanquam tamen et hoc verum est, quod veritas à Spiritu sancto accepta, per Apostolos, eorumq; successores ad vniuersam Ecclesiam propaganda et traducenda erat. Sicut ad Petrū dixit Christus: Ego pro te rogavi vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Ioan. 16. Luc. 22.

Ad hanc quoque cognitionis speciem & modum pertinet oraculum illud Spiritus sancti: Et nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram: seruite Domino in timore. Non enim præcipit his verbis Spiritus sanctus vt Reges magistrōs se interpretes & iudices doctrinæ de religione constituat, sed vt curent doctrinam veram cognitam habere, per quam & politicam pacem conseruare, & iustitiam administrare, & religionē veram iustis & legitimis sanctionibus defendere ac tueri possint. Quam cognitionem cum tota Ecclesia, ex Ecclesiastica prædicatione & traditione cogni-

tā habere debeat, multo magis Reges qui præfident multitudini, eam cognitā habere debent.

Ex quo perspicere potest Lector calumniam & malitiam Illyrici, dum scribit: Me non advertere quid dicam, dum iuxta oraculum Spiritus sancti, ostendo magistratum debere leges condere pro veritate contra errores, & tamen adimo ei diiudicationem veri à falso. Manifestè enim pugnant, leges condere pro veritate contra errores, & non diiudicare inter errores & veritatem. Perspicit enim Lector non omnem cognitionem veri & falsi in causis religionis, nec omnem diiudicationem veritatis à falsitate regibus, sicut nec roti Ecclesię, adimi, vt cauillator iste scribere non veretur: sed tantum officium, munus & auctoritatem controuersias illas, quę plerunque in causis religionis exoriri solent, definiendi & diiudicandi De qua cognitione & diiudicatione iam dicendū est, in qua positus huius controuersię verus status est.

Is igitur hic est, vtrum ad officiū & functionem magistratus aut potestatis secularis pertineat, de controuersijs quę in religionis causis exoriri solent, definire, decernere, & verū à falso diiudicare: & vtrum in definiendis illis ac diiudicandis sit magistratus secularis adhibendus. Exortæ sunt exempli causa per Lutheri & discipulorum eius improbitatem quęstiones in Ecclesia plurimę: Qua ratione iustificatur homo coram Deo: An operibus iustificari potest homo coram Deo: An opera renatorum & iustifi-

iustificatorum, quę Spiritus sanctus pronunciat bona esse, sint semper contaminata aliqua labe peccati, propter carnem homini mortali semper adherentem: An concupiscentia quę in baptizatis reliqua est, sit veri nominis peccatum: An vtraque species sit omnibus dispensanda ex præcepto diuino: An in Eucharistię cōsecratione sit vera oblatio. & similes quamplurimę. Et in contentione adducuntur scripturarum testimonia ab vtraque parte. sed de vera oraculorum diuinorum propositorum explicatione & sensu controuersia est. Hoc itaque quæritur, vtrum ad principum & regum munus & functionem pertineat, vt tanquam iudices de vero scripturarum sensu pronuncient & definiāt: & verus scripturarum sensus ab eis sit expectandus & requirendus, aut certe in vero scripturarum sensu perquirēdo illi sint adhibendi. Nos satis copiose & solide in Prologo ostendimus, scripturas tam propheticas quàm apostolicas disertè & constanter docere, hoc munus, hanc auctoritatem, hanc functionem ad sacerdotalem auctoritatem, ad episcopos, presbyteros, & sacerdotes propriè pertinere. Addidimus quoq; praxim semper in Ecclesia ab ipso Ecclesię exordio in ea re vsitatam: adeoque illam in Ecclesia quæstionem de religione ad Apostolos & Presbyteros in Hierusalem agentes à Paulo relatam esse. Postremò, firmis & idoneis testimonijs ostēdimus, religiosos Principes, Martianum, Theodosium, hanc functio-

nem et cognitionem ipsis nunquam usurpasse, sed ea quę ab episcopis et sacerdotibus in concilijs definita essent, religiosę amplexos esse, & subditos populos obseruanda et tenenda publicis sanctionibus mandasse: Cunctos populos, (ait Theodosius) quos clementię nostrę regit imperium, in tali volumus religione versari, quam diuinum Petrum apostolum tradidisse Romanis religio vsq; adhuc ab ipso insinuata declarat, quamque Pontificem Damasum sequi claret. & post pauca: Hanc legem sequętes, Christianorum Catholicorum nomen iubemus amplecti: reliquos verò dementes, vāsanosque iudicantes, hęretici dogmatis infamiam sustinere, diuina primum vindicta, post etiam mortus animi nostri quę ex cęlesti arbitrio sumptimus, vltione plectendos. Et cū ad Ephesinum concilium suo loco Candidianum mitteret: Deputatus est, inquit, Candidianus a nobis magnificus comes strenuorū domesticorum transire vsque ad sanctissimam Synodum vestram: at in nullo quidem, quę faciendę sunt de pijs dogmatibus quęstiones, cōmunicare. Illicitum est enim eum qui non sit ex ordine sanctissimorum episcoporum, ecclesiasticis immisceri tractatibus.

Martianus quoq; Augustus ad Leonem pontificem Romanū de concilio Chalcedonenſi: Nos, inquit, ad confirmandam fidem, non ad ostendendā virtutē, exemplo imperatoris Constantiniani, adesse Synodo cogitauimus, ne in posterum

Theodosius Augustus.
Libro 9. cap. 7. hystoriae tripartitę.
Codice de summa Trinitate & fide Catholica titulo 4.

Euag. lib. 1. cap. 4.

Martianus Augustus.

sterum multitudo populi institutionibus prauis attracta inueniatur dissentiens. Et post conclusionem concilij legem tulit in hæc verba: Tandem, inquit, aliquando quod summis votis atque studijs optabamus euenit. Remota est de orthodoxa Catholicorum lege contentio, et discors populorum contentio in vnam sententiam concordiamque conuenit. E diuersis enim prouincijs religiosissimi sacerdotes Chalcedoniam conuenerunt iuxta nostra præcepta, & quid obseruari in religione debeat, perspicua definitione docuerunt. Cesset igitur iam profana contentio. Nam verē impius atque sacrilegus est, qui post tot sacerdotum sententiam, opinioni suę aliquid tractandum relinquit. Extrema quippe dementia est, in medio & perspicuo die commentitium lumen inquirere. Quisquis enim post veritatem repertam aliquid vltius discutit, mendacium quęrit. Nemo itaq; vel clericus, vel militaris, vel alterius cuiuslibet conditionis, de fide Christiana, publicē turbis adunatis & aduenientibus, tractare conetur imposterum, ex hoc tumultus & perfidię occasionem requirens. & post pauca subditur: In contemptores huius legis pœna non deerit, &c.

De Valentiniano quoque imperatore scribit Zosomenus, cum per episcopum Hypacianum verbis episcoporum fuisset rogatus, vt episcopis ad corrigendum dogma conuenire permetteret, sic eum respondisse: Mihi qui sum in sorte plebis, fas non est talia curiosus perscrutari.

B iij Sacer-

Actione 3. Valentinianus lib. 6. cap. 7. Ecclesiasticę hystoriae.

Valentinianus lib. 6. cap. 7. Ecclesiasticę hystoriae.

Sacerdotes quibus ista curæ sunt, inter seipos quocunque loco voluerint conueniant.

Epistola
166. & 48

Lib. 10. hi
sto. Eccle.
cap. 2.

Iustinianus
Imperator.

Leo pontifex
maximus.

Et scribit Augustinus, quod cum Donatistę causam Ceciliani ad Imperatorem Constantinum detulissent, non fuerit ausus de causa Episcopi iudicare, sed eam discutiendam & definiendam Episcopis delegauerit: quod & factum est in vrbe Roma, Præsidente Melchiade Episcopo illius ecclesię, cū multis collegis suis. Et quid Constantinū scribat Ruffinus, in causis Episcoporum, in Synodo Nicęna ad se delatis respondisse, cognoscere licet ex historia Ecclesiastica. Postremò, Iustinianus Imperator hanc edidit constitutionem, quæ in actis quintę synodi reperitur: Rem, inquit, non insolitam imperio & nos facientes ad præsentem venimus legem. Quoties enim sacerdotum sententia quosdam indignos sacerdotio de sacris sedibus deposuit, quemadmodum Nestorium, Eutychem, Macedonium, Arrium & Eunomium, quosdam alios ad iniquitatē non minores illis: toties imperium eiusdem sententię & ordinationis cum sacerdotum autoritate fuit. Et plurimę extant epistolę, quibus sanctissimus ille Pontifex & eruditissimus Leo primus adhortatur Augustos, Theodosium & Martianum, vt sua autoritate synodi Chalcedonenfis constitutiones per vniuersas Christiani orbis ecclesias suis sanctionibus confirmet. Grauissimę quoque & verissimę scripsit ad Augustam Pulcheriam: Res humanas aliter tutas esse non posse, nisi quę

quæ ad diuinam confessionem pertinent & regia & sacerdotalis defendat autoritas.

Hęc aliquanto prolixius descripsi, vt clarissimę cernat lector, vanissimas esse cauillationes Illyrici: magistratus, reges & principes haberi à nobis pro lictoribus, satellitibus & carnificibus, quando ad tuendā & confirmandā pontificum & sacerdotum doctrinam in concilijs legitimis constitutam, legitimis sanctionibus auctoritatem suam conferunt, & ad eam conferendam ab eis implorantur & requiruntur: & quando doctrinam in legitimis synodis ab episcopis constitutam & definitam, religiosę & obedienter amplectuntur & suscipiunt. Et vt hoc quoque manifestę perspiciat, nunquam religiosos imperatores sibi vsurpassę auctoritatem & functionem de causis religionis quę in disputationem & quæstionem per hæreticos adductę sunt, definiendi aut pronuntiandi: sane aliter olim religiosi imperatores & principes instituti sunt, quàm nunc seditiosus aduersarius princeps instituere conatur. Sed animaduertat & consideret diligenter lector callidum eius concilium. Non enim quando de religionis causis conuentus apud eos habentur, principes, reges & magistratus adhibent, qui simul cum eis de religione perquirant: sed primum ipsi inter se communicato concilio aliquid certi constituunt, quod postea imperitis magistratibus persuadent esse Euangelicum: vt si forte aduersus eorum impia decreta Catholici quæstionem

Callidū
Illyrici
& collegarū
concilium.

moueant, irretitum teneant magistratum ad suæ impietatis confirmationem, quem tum in concilium adhibitum, non aliter quàm ab eis edoctus est, pronuntiaturum cognoscunt. Sed aduersus firma & solida fundamēta nostræ sententiæ quid obijciat aduersarius, audiamus.

*Cautil-
tio Illy-
rici.*

Scripturas quæ tum ex Prophetis, tum ex Euangelicis literis, ac testimonia quæ ex patribus & historijs probatis proposita sunt, ne attingit quidem, sed sententiam quandam Nicolai primi pontificis ex epistola ad Michaelē imperatorem opponit:

*96. distin-
ctio.*

Cōsulatur, inquit, vel ipsorū propriū ius, quod disertè adfirmat, cognitionem controuersiarum religionis ad omnes pertinere. Sic enim, inquit, Nicolaus pontifex, vnus ex recentioribus, de ista quæstione pronunciat: Vbi nam legistis, Imperatores antecessores vestros Synodalibus cōuentionibus interfuisse? Nisi forte in quibusdam, vbi de fide tractatum est, quæ vniuersalis est, quæ omnium communis est: quæ non solum ad clericos, verū etiam ad laicos, & ad omnes omnino pertinet Christianos. En audis, inquit, quod etiam in concilij iudicio laici esse debeant: quòdque ad eos quoque cognitio religionis pertineat.

*Confutatio
causila-
tionis.*

Sed certa & solida responsio est, falsum esse quod Nicolaus Pontifex cognitionem religionis, & diiudicationem controuersiarum de religione imperatoribus, aut omnibus omnino Christianis (nam generalis eius sentētia ad omnes Christianos aperte pertinet) tribuat, sed hoc tantum dicit: Synodalibus cōuentibus imperatores interfuisse, vbi de fide tractatum est, quæ

quæ omnibus cōmunis est. Et ipsam epistolam Nicolai ad imperatorem Michaelē, et eius scribendæ occasionem diligentius consideranti constare facile potest, id tantum scribere Nicolaum, quod in causa fidei quæ omnibus communis est, tractanda, possint præsentēs esse & laici, præsertim Reges & Imperatores: Quemadmodū Constantinus Magnus Nicenæ synodo, & Martianus Chalcedonenſi, & postea Constantinus sextæ synodo interfuisse leguntur: non tamen tanquam cognitores et iudices. In causis verò criminationum aduersus sanctos episcopos, non debere præsentēs esse imperatores vel laicos. Agit enim Nicolaus in ea epistola de criminibus Ignatio episcopo sanctissimo Alexadrino ab ambizioso Photio obiectis: & arguit Michaelē, quòd causam criminationum illarū, fauens Photio, sibi vsurparet. Cuius causę cognitioni ne præsentem quidem se exhibere debebat, exemplo Constātini magni, & Theodosij, qui huiusmodi criminationū cognitionem vltro ipsis delatam reijcere ad Ecclesiasticos iudices solebant.

Et qua fronte quæso citat ex distinctione xcvi. epistolam Nicolai, ad confirmationem suę sententię, cum in eadem distinctione extēt testimonia nō pauca, quæ deprauationem eius manifestè conuellunt. Sicuti in Martiani imperatoris sententijs quę in ea distinctione citantur, licet cernere.

Adducit præterea Gratiani sententiam de electio-

*Panormi-
tan^o de dis-
tione. ca.
signif.*

Gerfon.
par. 1. de
examina-
tione do-
ctrinae
fid. 5.

electione, cap. Significasti, & Gerfonis, dicentium: In concilio plus est credendum simplici laico scripturam proferenti, quam toti concilio ea destituto. Licet igitur interesse synodis, & si verbum Dei proferant, totus reliquus cœtus audire debeat.

Respondemus, licere quidem laicis, si quid habeant quod proponant in concilio, id proponere: etsi quid quod sit alicuius momenti, vel etiam scripturam aliquam adferant, quæ ad propositam quæstionem pertineat, debere reliquum cœtum eos benignè audire: sed quicquid adferunt laici, hoc sacerdotibus & episcopis, legitimis Ecclesiasticarum controuersiarum iudicibus subijcere debent, nec sibi usurpare definiendi aut pronuntiandi autoritatem. Et scripturæ quoque quas adferunt plus momenti habere debent, & diligentius excuti quam aliorum quorumlibet rationes scripturis destitutæ. Sed inde non potest colligi, quòd laici possint sibi usurpare officium pronuntiandi de controuersijs religionis.

Ac sane confunduntur turpiter officia, quando munus diiudicandi & definiendi controuersias religionis attribuitur laicis quibuslibet, vel etiam magistratui: etiam si non permittantur conscendere cathedram. quia propriè pertinet ad sacerdotes & episcopos legitimos verbi ministros, à Spiritu sancto ad regendam & docendam Ecclesiam constitutos. Ac debent quidem magistratus atque adedò tota Ecclesia custodire

studire veritatem, sed quænam sit veritas religionis in controuersijs, id non ipsi statuere suo arbitrio & iudicio, sed quod cognouerint in concilij sacerdotum & episcoporum legitime definitum, id obedienter amplecti, & studiosè custodire & tueri. Sicut religiosos Reges, Imperatores, & magistratus semper fecisse, satis demonstratum est.

Arrodit & illud, quòd cum citarem dictum *Cauilla-
tio alia.* Deuteronomij 17. quo iubentur audiri sacerdotes, excluderim ex eo dicto illa verba quibus præcipitur, vt eatenus tantum audiantur, quatenus secundum legem Dei pronunciauerint.

Obserua, inquit, lector sacrilegam imposturam, miras enim postea tragœdias agit, quod ex quodam Iesuitici catechismi capite non plura citauerim, quam quæ ad propositum pertinuerunt.

Obsecro te lector considera attentè mendacis hominis cauillandi studium. Cùm enim illa verba prætermisâ nihil pertineant ad propositam quæstionem, scilicet vtrum ad Regum officium pertineat munus definiendarum quæstionum de religione, quatenus audiendi, vel non audiendi essent sacerdotes Mosaici: quid, quæso, sacrilegæ fraudis aut imposturæ admissum est, si breuitatis studio hoc dictum Mosi, (quod quæstione quoque non caret) præterierim? verum quod dicit fraudulentus impostor me postea miras tragœdias agere, quod ipse non plura recitauerit ex catechismo Iesuitico, quam quæ ad propositum pertinuerunt, id falsissimum esse



*In confu-
satione
reprehen-
sionis do-
ctrinae Ie-
suitarum*

esse cognoscit lector, si locum inspiciat. Is est in capite de confutatione calūniosissimæ criminationis doctrinæ Iesuitarum, vbi sic scribo: Calumniantur Iesuitas viros religiosos, & instaurantæ Christi Ecclesiæ studiosissimos: dum varios modos expiandi peccatum docent (quod summum est religionis & Christianæ salutis caput) prorsus nihil passioni Christi tribuere, & totam iustificationis rationem in operibus ac meritis, homines prorsus iustitiæ Christi oblitos, collocare. & postea subijcio: Animaduertat hic lector calūniosissimam malitiam. Cum enim sex modos congruos ad expiandū perfectè peccatum collegisset author catechismi, ac singulos per subiectam euentem scripturam probasset, tandem subiecit: His, alijsque modis & officijs veræ pietatis præstamus in Christo Iesu, quod admonet Paulus: Has habentes promissiones charissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei: Hanc vltimam sententiam, quæ facit disertè mentionem passionis & meriti Christi, per quæ operatur credens sanctificationem sui, pijs officijs & operibus, dico calūniose suppressam esse per particulam (& cætera) vtpote quæ ad propositam causam prorsus pertineat, & disertè retellat calūniam, qua dicunt Iesuitas dum ea scriberēt, prorsus nihil passioni Christi tribuere: & quæ continenter verbis à scriptoribus confessionis recitatis, subiecta est. Iam vides, vti confido,

Lector,

Lector, imposturam Illyrici, qua fraudulenter idem censet de dicto illo quod ego simpliciter sine vlla fraude præterii, vtpote quod ad causam propositam nihil pertinebat: & de sententia illa Iesuitarum, quæ maxime ad propositam rem attinet, & quæ planè calūniam refellere potuisset, fraudulenter dissimulata. At obiicit adhuc Aduersarius:

Citat ipsemet mandatum Dei, Deuter. 17. quo præcipitur Regi vt diligenter studeat in volumine legis sacrae. Ad quid? Nempe vt discernere possit verum à falso, & dubia controuersiasque religionis diiudicare. *Alia casuallatio.*

Sed firma responsio est: Mandatū illud Deuter. 17. quo præcipitur, vt si quid difficile exortum fuerit, id referatur ad sacerdotes Leuitici generis, qui præfident in loco quem constituerit Dominus, & ad iudicem: non minus ad regem quàm ad reliquū populum pertinere. Debebat igitur vel circa difficiles de religione & iustificationibus controuersias & quæstiones nō sibi vsurpare definiendī auctoritatē, sed ad sacerdotes & iudicē constitutos definiendas referre: habere verò volumē legis, idq; à sacerdotibus Leuiticę tribus acceptum, & legere illud omnibus diebus vitæ suæ, vt discat timere dominū Deum suum, & custodire verba & cæremōnias eius quæ in lege præcepta sunt: nō autē vt valeat quæstiones & controuersias difficiles subortas definire & iudicare. Et satis suprā dictum est, à cognitione legis & doctrinæ Christianæ, nec Regem, nec magistratum, nec quenquam

quam è populo exclusum esse: atq; etiam à diu-
dicatione veræ doctrinæ semel traditæ & euan-
gelizate, & nouitiæ & falsæ, quæ repugnans do-
ctrinæ prius traditæ, in Ecclesiam à Pseudo-
ministris inuehitur: sed tantum à functione &
authoritate controuersias difficiles de religione
definiendi & dereterminandi.

*Alia ca-
uillatio.*

Postremò, acriter reprehendit quod scripse-
rim: Scribunt magna confidentia ministri quidã
qui nuper in Ecclesijs emporij vestri nouam
confessionem cum Augustana, vt aiunt, consen-
tientem ædiderunt, isthuc legitime à magistra-
tu se accitos aduenisse.

*Falsissimum hoc est, inquit, nusquam in Confessione
hoc reperitur: à magistratu ipsos vocatos fuisse, nec ille locum
cum profert, aut indicat vbi id habeatur. Hoc enim tan-
tum in Confessione dicitur: Omnes ministros legitime ac-
citos aduenisse, & à magistratu comprobatos fuisse.*

Fateor verba illa: accitos à magistratu mini-
stros isthuc aduenisse: in Confessione non extra-
re: sed sensum verborum illorum ibi reperiri
perspicuum est. Dum enim scribunt authores
Cõfessionis se legitime accitos venisse, & à ma-
gistratu comprobatos: an non satis indicant se
sentire quod à magistratu acciti sint? Non enim
ad priuatos aliquos pertinet vocatio ministro-
rum verbi, qui in ciuitatem Catholicam infe-
rant nouitiam, imò prius in legitimo œcume-
nico Concilio damnatam, doctrinam. Nec ea
sane legitima vocatio censerì debet, quæ à pri-
uatis quibuslibet fit: sed secundum eorũ quoq;
doctri-

doctrinam legitima vocatio ad solum publi-
cum magistratum pertinet. Sic enim ipsimet
scribunt in capite de magistratu: Scimus pro-
priè non pertinere gubernationem Ecclesiæ, ac
vocationem ministrorum ad magistratum, sed
ad ecclesiam & ministros, eosq; quibus id mu-
neris ecclesia delegat. Qui tamen si enormiter
suam functionem negligant, eãve abutantur:
recte à magistratu ea functio attingitur, & Ec-
clesia admonetur vt synceros ministros consti-
tuat. Si cessantibus Ecclesiæ gubernatoribus,
& non constituentibus synceros verbi mini-
stros, vocatio ministrorum ad magistratum de-
uoluitur, non ad priuatos quoslibet, sane qui se
scribunt legitime accitos & vocatos, aut fal-
sum scribunt, aut à magistratu se vocatos signi-
ficant. Et sane non ad alios pertinet vocare mi-
nistros verbi, quàm ad quos pertinet eos com-
probare. Atque hoc quoque quod scribunt: Ma-
gistratu clementer concedente, factoque per
publicum diploma solenni inter suum cœtũ &
gubernatores contractu, publicas conciones
cœptas: non tam ad magistratum ipsum (cuius
bona pars Catholica semper fuit, & à studijs
nouationis aliena) quàm ad improbos quos-
dam, & perditos senatores vel gubernatores,
qui id vt concederetur improbitate sua extor-
serunt, referendum opinor. Quod autem in ca-
pite proximo scribit Illyricus, vocationem mi-
nistrorum, propriè ad Ecclesiam seu cœtum
Christianorum cuiusque loci pertinere, fallum

Cap. xxi.
de Magi-
stratu.

C esse

esse & in prologo ostēdimus, & postea copiosius demōstrabim⁹: & neq; si verū esset, firma erit ratio Illyrici, quia in Antuerpia nulla adhuc erat Ecclesia vel cœtus populi, ad quē spectaret vocationis munus. Nō enim improbi aliquot & perditī homines ecclesiā aliquā cōstituūt. Quare nisi à senatu aut magistratu vocati sint (quod p̄fiteri nō audēt, neq; si auderēt, verē possent) mētiuntur ministri, dū se scribunt legitimē accitos esse.

Sed aliud adhuc multo tetrius mendaciū impingit mihi, propterea quod scripsi aduersariorum Ecclesias spernere Catholicam doctrinam: & mūdum hactenus sine nostra doctrina fuisse.

Nāstra enim, inquit, doctrina summarie cōtinetur prædicatione penitentiae & remissionis peccatorum, & noli amplius peccare: quae verē Catholica, perpetuaq; doctrina, & mox in ipso paradiso ab ipsomet Deo prædicata est.

Doctrinā vestras ecclesias prædicare & tradere de poenitētia & remissione peccatorū, haud inficiamur: sed eam dicimus minimē Catholicā & sincera, sed profus deprauatā: quod per singula confutationis capita ostenditur, & quæ per œcumenicum concilium excussa diligētē, impietatis condemnata est. Non igitur tetrum aut horrendum mendacium est, quod scribo vestras ecclesias spernere & aspernari Catholicam & orthodoxam de religione doctrinam, & inferre nouitiam quandam doctrinā, sine qua mundus vsque ad hāc diem Christianus fuit. Ac proinde illā tenebimus per Dei misericordiā constanter fidem, in qua in Ecclesia semel nati sumus.

DE

CAPVT PRIMVM.



IN primo capite scripsi, confessionis nouitiq; authores ex fructibus cognoscendos esse. Eos autem fructus esse imprimis hanc Confessionem, quod verum esse cognosci, & diiudicari posset, si confessio secūdum sententiā hanc Vincentij Lirinensis examinaretur: Ille est verē & germanus Catholicus, qui veritatem Dei, qui Ecclesiā, qui Christi corpus diligit, qui diuinæ religioni, qui Catholicæ fidei nihil præponit. Nō hominis cuiusquam auctoritatem, non amorem, non ingenium, non eloquentiam, non philosophiam: sed hæc cuncta despiciens, & in fide fixus & stabilis permanēs, quicquid vniuersaliter antiquitus Ecclesiā Catholicam tenuisse cognouerit, id solum sibi tenendum, credēdumq; decernit. Quicquid verò ab aliquo deinceps vno præter omnes, vel contra omnes sanctos, nouū vel inauditum subinduci senserit, id non ad religionem, sed ad tentationē potius intelligat pertinere, beati Pauli Apostoli eloquiis eruditus: Oportet & hæreses esse, vt probati manifesti fiant in vobis.

Vincentij
Lirinensis
sententia.

1. Cor. ii.

Ad hanc regulam si exigatur & examinetur confessionis doctrina, nōne manifestissimū cōtinuū existit, eā ab vno Luthero præter omnes & cōtra oēs sanctos presbyteros & Catholicos subinductā, eiq; quod vniuersaliter antiquitus

C ij Eccle-

Ecclesia Catholica tenuit, palam contrariam, condemnari tanquam nouam & inauditam.

Iam audiamus, quid impius Christi aduersarius hic cauilletur.

Cauilla-
tio illi-
rici.

Lyrinensis, inquit, dicit ea propria dogmata Catholica esse quae sint antiqua & vniuersalia: eosque esse Catholicos qui ea sectantur. Cum igitur vixerit hic Vincentius circa 370. domini annu, nempe ante annos 1200. hoc solum fuit illi antiquum, quod tempore Apostolorum in vfu fuit. Neque enim antiquum dici poterit, quod tantum ducentos annos durauit, aut paulo ante ipsius tempus exortum est. At q. ipsemet Vincentius declarat se per vetustatem intelligere ipsam Apostolorum doctrinam, dum subinde inculcat illa Paulina oracula. Si quis aliud Euāgelium à Paulino docuerit, anathema sit, etiam si sit Anagelus de caelo. & OT imothee depositum serua. Illam igitur sacrosanctam antiquitatem vult conseruari, illique prorsus nihil nouitatis addi. Nos igitur, inquit, assentientes eam religionem verissimam esse, quae tempore Apostolorum, & mox post eos vniuersaliter recepta fuit: contra postea omnia nouata, & à singulis inuenta, constitutaq. esse falsa, illi vetustissime simplicitati ac puritati religionis constantissime adhaeremus (vt habet Lyrinensis regula) & alijs omnibus Euangelijs à Paulino diuersis anathema dicimus. Quare optimo iure aduersarij suo gladio ingulantur, dum ex ista ipsa regula Lyrinensis tota religio pontificia, vt noua & minimè vniuersalis, eoq. etiam nequaquam Catholica, condemnatur: dumque non ipsi, sed nos Catholicorum nomine verè digni reperimur.

Respon-
sio.

Ad has impudentissimas cauillationes respondemus: Primum palam constare ex ipsiusmet Lyrin-

Lyrinensis scripto, doctrinam illam seu regulam in commonitorio scripto (sic enim ipse suū scriptum appellat) traditam, quonam modo possit certa quadam ac quasi generali ac regulari via, Catholicę fidei veritas ab hereticę prauitatis falsitate discerni: non ad solam ipsius ætatem, sed prorsus ad omnem ætatem pertinere, quotiescunque profanę aliquę nouitates subinducerentur. Sicut igitur nouitates, quę sua ætate subinducebantur, voluit continuo diiudicari, ex antiquis obseruata in Ecclesia Catholica traditione & doctrina: ita vlt in omni ætate, quotiescunque exurgent nouitę doctrine, continuo consuli antiquorum patrum sententias, qui modò in Ecclesia Catholica probati semper extiterunt, atque ex eorum consensientibus & concordibus sententijs antiquitatem agnosci & approbari, nouitatem verò profanam reijci & damnari: neque requirit, vt ad Apostolorum vsque tempora antiquitatis cognitio referatur. vnde exemplum doctrinę suę ex Ephesina illa synodo celeberrima desumptum proponit: Cum, inquit, in sancto concilio, quod ante triennium ferme in Asia apud Ephesum celebratum est, viris clarissimis, Bassio, Antiochoque de sciendis fidei regulis disceptaretur, ne qua illic forsitan profana nouitas in modum perfidię Ariminensis obreperet, vniuersis sacerdotibus, qui illò ducenti ferè numero conuenerant, hoc Catholicissimum, fidelissimum atque optimum factu visum est,

Lirinensis,
Cõcilium
Ephesinũ

vt in medium sanctorum patrum sententię proferrentur, quorum alios martyres, alios confessores, omnes verò Catholicos sacerdotes fuisse & permanisse constaret: vt scilicet ritè atque solemniter ex eorum consensu atque decreto, antiqui dogmatis religio confirmaretur, & profanę nouitatis blasphemia condénaretur. Quod cum ita factum foret, iure meritoque impius ille Nestorius Catholicę veritati contrarius: beatus verò Cyrillus sacrosanctę antiquitati consentaneus iudicatus est. Patres verò, iuxta quorum concinentem sibi concordemque sententiã, & legis sacrę proloquia exposita sunt, & diuini dogmatis regula cõstabilita est, sunt isti.

Sanctus Petrus Alexandrinus episcopus, doctor præstátissimus & martyr sanctissimus: Sanctus Athanasius eiusdẽ ciuitatis antistes, magister fidelissimus, & confessor eminentissimus: Sanctus Theophilus eiusdem item vrbis episcopus, vir fide, vita & scientia satis clarus. Cui successit venerandus Cyrillus, qui nunc Alexandrinam illustrat Ecclesiam.

Et ne forsitan vnus ciuitatis ac prouincię doctrina hęc putaretur, adhibita sunt illa Cappadocię lumina, Sanctus Gregorius episcopus & confessor de Nazanzo, Sanctus Basilius Cæsareę & Cappadocię episcopus & confessor, Sanctus item alter Gregorius Nyfenus episcopus, fidei, conuersationis, integritatis & sapientię merito, fratre Basilio dignissimus. Sed ne sola Gręcia aut Oriens tantum, verum etiam Occidental

Petrus Alexandrinus.
Athanasius.
Theophilus.
Cyrillus.

Gregorius Nazianzenus.
Basilius.
Gregorius Nyfenus.

dentalis & Latinus orbis ita semper sensisse approbaretur, lectę sunt quoque ibi quędam ad quosdam epistolę sancti Felicis martyris, & sancti Iulij vrbis Romę episcoporum. Et vt non solũ caput orbis, verũ etiã latera illi iudicio testimonia perhiberent, adhibitus est à Meridie beatissimus Cyprianus episcopus Carthaginensis & martyr: à Septentrione beatus Ambrosius.

Hi sunt igitur oēs apud Ephesum sacratio decalogi numero magistri, cõsiliarij, testes, & iudices producti, quorũ beata illa Synodus doctrinã tenens, cõsiliũ sequēs, credens testimonio, obediens iudicio, de fidei regulis pronunciauit.

Hęc ideo prolixius recitauimus, vt intelligat lector, secundũ Lyrinensis regulam, exorta quacunq; nouitate prophana, nõ esse necessẽ ad coguendã & deprehendendã nouitatẽ exortam ad ipsa Apostolorũ tẽpora confugere, quod aduersarius exigit: sed sufficere vt probati magistri Catholici aliquot seculorũ consulãtur, & quod illi concordi & consentienti sententia Catholicum esse, & semper fuisse testantur, id pro Catholico dogmate habendũ esse. Sed de hac Lyrinensis sentetia copiosius in epilogo dicẽdũ erit.

Deinde hoc quoque falsissimum est, quod dicit. Omnia quę post Apostolorum tempora instituta sunt, (quę quidem ad religionem pertinent) esse falsa. Inter quę impudentissimus homo & sceleratissimus nihil veretur commemorare Purgatorium, Sacrificium Missę, Canonem Romanum, Monachatum, Cęlibatum,

Felix martyr.
Iulius.
Cyprianus.
Ambrosius.

Opera supererogationis, Missas pro mortuis, Totum Ius canonicum, Sanctorum & Angelorum inuocationes, & mediationes, Reliquiarum & statuarum adorationes, Artolatram sacramenti, Studium struendi & colendi templa, Infinitum boatum templorum, Corruptam doctrinam de lib. arb. de bonis operibus, & de salute per opera consequenda, Communicationem sub vna specie. Quorum pleraque omnia certissimis & solidissimis rationibus demonstrari possunt ab ipsis apostolorum temporibus antiquitus & vniuersaliter fuisse in Ecclesia Catholica obseruata. Quædam vero, quæ ad ritus & cæremonias in sacramentis conficiendis & dispensandis pertinent, ante annos plus mille ducentos in Catholica ecclesia vsitata & approbata. De quibus cum proprijs locis tractentur, commodius dicetur, & sceleratæ calumniæ confutabuntur.

Atque hic rursus doctrinam Lyrinensis deprauat. Non enim improbat Vincentiis, quicquid doctrine ab Apostolis traditæ postea additum est, sed disertè profanas tantum nouitates, quæ videlicet ab vno aliquo postea præter omnes, vel contra omnes sanctos prius inauditæ subinducuntur. Sicut & Apostoli sententia disertè habet: O Timothee depositum custodi, deuitans prophanas vocum nouitates. Neque verò vetustæ simplicitati & puritati religionis repugnant religiosa quædam sanctissimorum conciliorum atque pontificum instituta, vti calumnia-

2. ad Timoth. 2.

Iumniatur Aduersarius: sed religionis sunt quedam exornationes, decora & ornamenta. quod de singulis institutis ab hoc homine reprehensis proprijs locis diligenter ostenditur à catholicis. Et vt aduersarius suo ipse gladio iuguletur, ipse citat testimonium Damasi pontificis in epistola ad Hieronymum, qua simplicitatē religionis sui temporis deplorat: Tante, inquiens, apud nos simplicitatis imago est, vt tantum in die dominica Apostoli epistola reciteretur vna, & euangelij capitulum vnum dicatur: & nec psallentium mos tenetur: nec hymni decus in ore nostro cognoscitur.

Damasci epistola ad Hieron.

Vides Lector sanctum Pontificem non existimare cum aduersario simplicitati religionis iniuriam fieri, si sanctis quibusdam & decoris institutis ad laudē Dei & ecclesiæ ædificationem excolatur: sed magis deplorare, quod eius temporis simplicitas maxima nõdum esset studiose pijs sanctionibus & institutis excolta.

Postremo, si donemus Illyrico, hoc Lirinensem sensisse, quod tempore Apostolorum in vlu fuit, & quod ab Apostolis traditum est Ecclesiis, id demum censendum esse catholicum: an ne impudentissima vanitas est, & mendacium inuerecundum, Apostolicæ & euangelicæ doctrinæ simplicitatem, puritatem, sanitatem, & synceritatem amplecti Antuerpiensem confessionem: quæ per singula fere capita clarissimè & solidissimè demonstratur prophanas nouitates continere: Apostolicæ doctrinæ, & sanctorum

ctorum vniuersorum, & Catholicorum scripto-
rum sententijs & testimonijs contrarias, vt ve-
rissimè in eius authores & propugnatores com-
petat illud Pauli: Si quis euangelizauerit vobis
præterquam quod euangelizatum est vobis,
etiamsi Angelus de cælo sit, anathema sit. Et
si quis venerit ad vos, & non adferat hanc do-
ctrinam, nolite eum in domum recipere, nec
aue ei dixeritis. Qui enim aue illi dixerit, com-
municat operibus illius malignis. Et sanè hic
cum Vincentio dicere licet: Prophanæ nouitas
Lutheri, & huius Confessionis si recipian-
tur, necesse est vt fides beatorum patrum vio-
letur: necesse est vt omnes omnium ætatum
fideles, omnes sancti, omnes casti, continentes
virgines, omnes Clerici, Leuitæ, & Sacerdotes,
tanta Confessorum milia, tanti Martyrum ex-
ercitus, tanta vrbium, tanta populorum cele-
britas & multitudo, tot Insulæ, Prouinciæ, Re-
ges, gentes, regna, nationes, totus postremò
iam pene terrarū orbis per Catholicam fidem
Christo incorporatus, tanto seculorum tractu
ignorasse, errasse, blasphemasse, nescisse quid
crederet, pronuncietur. Caueant igitur sibi om-
nes pij, quibus æterna salus sua cordi & studio
est, ab istis seductoribus & impudentissimis
& mendacissimis impostoribus: qui spargunt
scandala & errores contra Catholicam doctri-
nam, quam antiquitus & vniuersaliter per Ca-
tholicam ecclesiam semper viguisse ante natum
Lutherum, & tanquam Apostolicam & Pro-
pheti-

Ad Gal. i.

2. Ioan.

pheticam semper obseruatam, traditam & præ-
dicatam fuisse, (quod quidem ad religionis
dogmata pertinet) nemo pius Ecclesiæ filius
ignorare potest.

Quod autem cæremoniæ quædam, præter
eas quæ ab Apostolis quoque sunt acceptæ, &
ritus quidam, post Apostolorū tempora sunt in
Ecclesia instituti: quæ quidè ad ædificationem,
& diuinam laudem, & primam illam simpli-
citem, sicuti de diuinarum laudum celebra-
tione dixit Damasus, excolendam & amplifi-
candam conducunt, non est quòd calumniator
ob id apud imperitos fideles traducat odiosis
& falsissimis exaggerationibus Catholicā do-
ctrinam: vt dum laudum diuinarum modera-
tam decantationem, sacrilego ore boatus ap-
pellat. quoniam nihil in Catholicam ecclesiam
sine graui autoritate, ac Spiritus sancti ma-
gisterio inuectum esse, suis locis de singulis cæ-
remonijs clarissimè demonstratur.

Neque ob id quod, teste Paulo, propriè Ec-
clesia est ædificata super fundamento prophe-
tarum & apostolorum, siue super doctrinam
propheticam & apostolicam, reiiciendum est
cōtinuò quicquid in propheticis literis aut apo-
stolicis disertè & expressè non reperitur, tan-
quam prophana sit nouitas, vltra propheticam
& apostolicam doctrinam superinductum, vt
cauillatur Illyricus: sed seruanda est grauissima
illa Augustini sententia, ex eo quod Apostolus
dixit: Cætera cum venero ordinabo: intelligi
datur

Ephes. 2.

1. Cor. ii.

Aug. epi- datur (quia multum erat vt in epistola totum
 stol. cxviii illum agendi ordinem insinuaret, quem vni-
 uersa per orbem seruat ecclesia) ab ipso ordina-
 tum esse, quod nulla morum diuersitate va-
 riat. Et rursus: Ideo non præcepit Christus
 quo ordine sumeretur corpus & sanguis Do-
 mini, vt Apostolis, per quos Ecclesias disposi-
 turus erat, seruaret hunc locum. Ex quibus in-
 telligimus multa ordinanda per gubernatores
 ecclesiarum pro ratione locorū ac temporum,
 in ritibus quibusdam ac cæremonijs, de quibus
 Christus nihil ordinauit.

Citaueram & Origenis sententiã: Quoties
 ecclesiarum magistri canonicas proferunt scri-
 pturas, quibus omnis Christianus consentit,
 videntur dicere: ecce in domibus est verbum
 veritatis, non in deserto aut solitudine: sed nos
 illis credere non debemus, nec exire à paterna
 & Ecclesiastica traditione: neq; aliter vnquam
 credere, nisi quemadmodum per successionem
 ecclesie Dei tradiderit nobis. Et hereticus est,
 qui Christo se credere profitetur, & aliud de
 veritate Christiane fidei credit, quàm habet de-
 finitio traditionis Ecclesiasticæ.

*Cauilla-
 tio.*

Has sententias deprauat Illyricus, affir-
 mans in ipsis, traditione paternam & Ecclesia-
 sticam, accipiendam esse eam ipsam doctri-
 nam quæ in scripturis habetur. Paulo enim
 & primis scriptoribus traditionem esse ipsam
 scriptam doctrinam, sicut & Paulus dicit se
 Corinthijs tradidisse quod à Domino acce-
 perit

perit de communione sacrae cœnæ, & alijs.

Verum ex ipsis sententijs manifestissimum
 est, Origenem per traditionem Ecclesiasticam
 generaliter intellexisse doctrinam quamlibet,
 siue scriptam siue non scriptam, quæ in eccle-
 sijs semper prædicata, per ecclesiarum succes-
 sionem ad nos vsque perducta est. Aduersus
 quam si quid magistri aliqui, aut verbi ministri
 in ecclesiam inuehant, adfirmat Origenes eis
 fidem adhibendam non esse, etiamsi canonicas
 scripturas proferant, quibus omnibus Christia-
 nus consentit. Neque aliter nos vnquam cre-
 dere debere, nisi quemadmodum ecclesie Dei
 per successionem tradiderunt nobis. Docet igi-
 tur Origenes, vt scripturarum eloquijs, quas
 quilibet magistri contra doctrinam per succes-
 sionem acceptam adferunt, nihil commouea-
 tur Catholicus auditor: sed firmiter persuasus
 sit, deprauari scripturarum eloquia, quæ contra
 traditam doctrinam proferuntur.

*Confuta-
 tio.*

In quibus sententijs manifestissimum est om-
 nem Lutheri & discipulorum eius, & Con-
 fessionis quoque doctrinam, quæ traditioni &
 doctrinae in Ecclesijs Catholicis vbique tradi-
 tæ, & per ecclesiarum successionem acceptæ cõ-
 trariatur: etiamsi scripturarum testimonijs eam
 confirmare videatur, damnari. Neque nos vn-
 quam aliter credere debere, quàm per ecclesia-
 rum successionem nobis traditum est.

Manifestum quoque & hoc est, sententias
 Origenis non ad eius tantum ætatem & secu-
 lum

lum pertinere, sed ad omnem omnino etatem. Dicit enim disertè: Quoties ecclesiarum magistri proferunt canonicas scripturas contra traditionem ecclesiasticam & paternam: nūquam fidem adhibendam eiusmodi magistris, sed firmiter adhærendum traditioni contra magistrorum doctrinam nouam & prophanam.

Porro de traditionis vocabulo alibi dicendum est prolixius. Et falsum est manifestè quod hic dicit Aduersarius, Paulo & primis scriptoribus traditionem semper doctrinam indicare quæ in scripturis habetur, & non aliquid extra scripturam. Ac ne in eo quidem loco quem
 1. Cor. 11. adducit Aduersarius: Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis: vox, traditio, scripturâ significat. Non enim dicit: Ego iam trado vobis, in hac scilicet epistola: sed ego olim tradidi vobis, scilicet cum prædicarem apud vos, & vobis euangelizarem: atque hoc ipsum nūc per scriptam epistolam trado vobis quod olim prædicavi. Et manifestissimum est
 2. Thef. 2. illud dictum Pauli: Tenete, inquit Thessalonicensibus, traditiones quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram. Vide Lector commentarium in eam Pauli sententiam Chryostomi & Theophilaeti. Sed de hoc prolixius proprio loco.

Postremò, quod cauillatur aduersarius: Origenem, cum vixerit circa annum Domini 200. necessariò intellexisse per traditionem ecclesiasticam, religionem quæ tempore Apostolorum

rum viguit, non negamus eam intellexisse Origenem: sed tamè manifestissimum esse dicimus, quòd generalem sententiam constituit & tradidit: semper eam doctrinâ, quæ per successionem Ecclesiarum accepta est & tradita, obijciendam esse sententijs quorumlibet magistrorum contrarijs, quantumlibet scripturarum eloquijs suas sententias palliare studeant: legitimam quoque & continuam Ecclesiarum successionem esse fidelem religionis veræ conseruatricem. Rursus manifestum est, Origenem multa approbasse tanquam ab Apostolis accepta, quæ tamen scripta ab eis non sunt. Persistunt igitur tam Vincentij quàm Origenis sententiæ, firmæ & immotæ aduersus confessionis nouas & prophanas sententias.

Iam quandoquidem Catholicæ doctrinæ, simul & Catholicæ Ecclesiæ nomen multum & confidenter Catholici scriptores Christianis & pijs hominibus commendant, & ad confutandum prophanam Lutheranorum & hæreticorum doctrinam frequenter obijciunt & vsurpant: veritatis aduersarius apud imperitos lectores rem nouam & inauditam tentat, vt persuadeat Catholicorum appellationem non nobis, qui antiquam religionem sectantes confessionis profanam nouitatem damnamus, competere: sed potius ipsos Catholicorum nomine dignos esse. ac ipsorum doctrinam Catholicam verè esse, nostram verò tanquam quæ à sincera & sana doctrina Euangelij

De titulo
Catholici,
ad quos
pertineat.

gellii & trium symbolorum ad innumeras no-
uas adinventiones, & Pontificis abominatio-
nes deflexerit, profanam esse & minime catho-
licam : Proinde optimo iure nos illo ipso ve-
teri Catholici nomine spoliari, & ipsos ad se
retrahere quod iniuste nos vsurpemus. Verum
quod hactenus hæretici nostri tēporis non po-
tuerunt obtinere, vt sibi catholici nomen ven-
dicarent, & ad se iniuste transferrent : quamuis
vt id obtinerent, sæpe summa contentione la-
borauerint : id confidimus Illyricum cum suis
collegis Christiano Lectori haudquaquam per-
suaturum. Sed audiamus quæso, qua ratione aut
authoritatis fiducia rem inauditam approbare
studeat.

*Adscribam, inquit, ex Cesareo iure Legem indican-
tem quibusnam hominibus, & cui doctrinæ hæc appella-
tio conueniat, vt publicum ius, summamque maiestatem
ostendamus de titulo Catholici secundum nos pronun-
ciare.*

Edictum Imperatorum de eo quinam ha-
bendi sunt vel Catholici vel hæretici, ex
Codice Iustiniani Imperatoris & Tri-
part. historię, Libro 9. cap. 7.

*Imperator Gratianus, Valentinianus & Theodosius,
Augusti, populo vrbis Constantinopolitanæ: Cunctos po-
pulos, quos Clementiæ nostræ regit imperium, in ea volua-
mus religione versari, quam diuinum Petrum tradidisse
Romanis religio vsque nunc ab ipso insinuata declarat:
quamque Pontificem Damasum sequi claret, & Petrum
Alexandriæ episcopum, virum Apostolicæ sanctitatis:*
hoc

*hoc est, vt secundum Apostolicam disciplinam, euangeli-
camque doctrinam, patris & filij & spiritus sancti vnam
Deitatem sub pari maiestate & sub pia Trinitate crea-
damus.*

*Hanc legem sequentes, Catholicorum Christiano-
rum nomen iubemus amplecti. Reliquos verò dementes,
vāsanosque iudicantes hæretici dogmatis infamiam susti-
nere: Diuina primùm vindicta, post etiam motu animi
nostri, quem ex cœlesti arbitrio sumpserimus, ultione ple-
tendos. Data 3. Calend. Martias Thessalonice, Gratiano
V. Valentiniano & Theodosio Aug. Coss.*

*Adscribunt ergo, inquit, Augustissimi Cæsares illi, hoc
nomen Catholici, Christianis ijs, qui sacrosanctam trini-
tatem, & sacra Euangelia, Apostolorumque scripta syn-
cerè sequuntur: non ijs qui quæuis noua pontificum & mo-
nachorum inuenta sectantur. Quod nos, inquit, sincera
fide & conscientia præstamus.*

At hoc religiosissimorum Imperatorum san-
ctissimum edictum quàm fraudulenter aduersa-
rius detorqueat ad vendicandum verissimis &
compertissimis hæreticis Catholicorum titulū
& appellationem, non est difficile perspicere.
Cum enim seculo illorū augustissimorum im-
peratorum turbarent Catholicas Ecclesias im-
pij errores & hæreses, de vna Deitate & tribus
personis, deque duabus naturis, diuina & hu-
mana in Christo, Christi que persona, ac defini-
tiones quædam in synodis quibusdā de ijs sum-
mis fidei capitibus editæ essent, tandem reli-
giosissimi imperatores, tanquam veræ religionis
sanæque doctrinæ vindices sanxerunt, vt per

omne ipsorum imperium, cuncti populi eis subiecti eam religionē amplecterētur & profiterentur, quam diuinum Petrum Apostolum tradidisse Romanis, religio vsque ad id tempus ab eo insinuata declarabat: quamque pontificem Damasum sequi clarebat. Et quænam illa sit religio, disertè religiosissimi Cæsares explicant, dum subiiciunt: Hoc est, vt secundum Apostolicam disciplinam, Euangelicamque doctrinam patris & filij & spiritus sancti, vnâ diuinitatem sub pari maiestate & sub pia Trinitate credamus. Atque hanc demum professionem & legem sequentes, titulo Catholicorum compellari statuunt: Reliquos verò dementes, vâsanosque, qui scilicet illi professioni contradicerent, hæretici dogmatis infamiam sustinere.

Libet hic interrogare Aduersarium: vtrum si Nouatianus aliquis, aut alius quispiam hæreticus, rectè quidem de patris, & filij, & spiritus sancti vnâ diuinitate sub pari maiestate & pia Trinitate sentiens, sed negans pœnitentibus remissionem peccatorum posse in Ecclesia donari: aut negans futuram corporum resurrectionem cum impio Simone Mago: aut damnans nuptias cum hæretico Manichæo, aut denique communitatem vxorum inducens cum scelerato Nicolao, in ipsorum repertus fuisset imperio, secundum ipsorum edictum & legem Catholici titulo digni fuissent. Quod cum nemo, nisi plane excors, dicere auderet, mani-

manifestissimum est, quòd religiosissimorum principum edictum ad eos tantum pertinet, qui cum de reliquis religionis capitibus & dogmatibus rectè sentiunt, vnitatem diuinitatis cum triade personarum, patris, filij, & spiritus sancti credunt & consentunt.

Non igitur, vt fraudulenter contendit aduersarius veritatis, constituunt religiosissimi Cæsares: Dignos esse Catholicorum titulo, quotquot de duobus illis capitibus religionis rectè sentiunt. Quod si verò contēdit, Augustissimos Cæsares integram religionem, quam diuinus Apostolus Petrus tradidit Romanis, & quam Damasum sequi tunc constabat, in suo edicto comprehendisse, & non solum illam que pertinet ad ea dogmata, quorum nominatim faciunt mentionem: rursus percunctabor, qualem religionem S. Petrus apostolus tradiderit Romanis. Respondet quidem Aduersarius, Euangelia & apostolicâ historiam vnâ cum duabus Petri epistolis docere nos, qualem religionem tradiderit S. Petrus omnibus ecclesijs per orientem & occidentem, non solum Romanę.

Sentit igitur Aduersarius integram Petri doctrinam comprehensam esse in euangelicis & apostolicis scriptis, vnâ cum duabus Petri epistolis: Reliqua verò omnia dogmata esse noua pontificum & monachorum inuenta. Verum cum augustissimorum principum edictum palam eam esse religionem à S. Petro Romanis traditam, quam pontificem Romanum sequi

Damasi
religio.

Volater-
ranus.
Platina.

claret, pronunciet, perquiramus quænam religio à Damaso sit obseruata. Nam eam esse religionem à Petro traditam adfirmant principes. Ex certissimis igitur & authenticis historijs certissimò cognoscimus quædam eum constituisse, quæ in scriptis Euangelicis & apostolicis disertè & expressè scripta non reperiuntur. Vt psalmi alternis vicibus in ecclesia canerentur, & in fine verba hæc ponerentur: Gloria patri & filio & spiritui sancto. Præterea vt in principio celebrationis Missæ confessio generalis sacerdotum fieret ad altare: ipse quoque Damasus sacros ordines celebrasse, diaconos, presbyteros & episcopos non paucos consecrassè scribitur.

Cum igitur eam religionem tenuisse Damasum affirmet edictum, quam Romanis Petrus tradiderat, euidentissimum est Petrum quoque tradidisse Romanis et Missæ celebrationem, et formas ordinum conferendorum, & consecrationis diaconorum, presbyterorum, & episcoporum. Sicut et Damasus ipse testatur: Sanctus, inquit, apostolus docuit, quonam modo ecclesiæ gubernacula (quæ Damasus susceperat) tenenda essent. De quibus cum nihil expressè in euangelicis & apostolicis scriptis reperiatur scriptum, necessariò euincitur non ad profanas nouationes referendum & reiiciendum esse quicquid extra scripta euangelica & apostolica in catholica ecclesia obseruatur. quod summa ope veritatis aduersarius conatur ostendere.

Quod autem aduersarius cauillatur fidem & doctrinam

doctrinam Damasi pontificis cognosci posse ex symbolo quodam Damasi, quod prolixè ex 2. tomo operum diui Hieronymi citat, superuacaneum fuerit symbolum illud hic quoque repetere. Nam in eo clara est confessio vnius diuinitatis trium personarum, patris & filij & spiritus sancti. Præterea verè Christi filij Dei incarnationis, passionis, mortis, resurrectionis, & ascensionis ad dexteram patris, denique communis omnium resurrectionis: sed eos qui in eius morte & sanguine credentes emundati sunt, consecuturos præmiû boni meriti, aut pœnam pro peccatis æterni supplicij. quæ symboli confessio hac sententia concluditur: Hęc lege, hęc crede, hęc retine, huic fidei animam tuam subiuga, & vitâ consequeris & præmiû à Christo. Non existimo autè aduersarium tam perditè malitiæ esse, vt audeat affirmare, in ista cõfessione à Damaso ad oriëntis episcopos perscripta, positâ esse totâ doctrinam religionis, quâ à S. Petro traditâ Damasus acceperat: nullâ verò neque euāgelicæ neque apostolicæ doctrinæ mentionem Damasus in symbolo hoc facit. ex quo aduersarius colliquescere scribit, qualis fuerit fides & doctrina pontificis Damasi.

Ex his perspicere clarissimè potest lector, quàm sceleratè abutatur aduersarius celebri illo edicto religiosissimorum imperatorum, Gratiani, Valentiniani & Theodosij: & symbolo illo Damasi ad sibi, suisque collegis vendicandum Catholicorum titulum, & spoliandos nos ea appellatione, quam ab ipso ecclesiæ exordio

D iij ad

Damas. in
epist. ad
Oriëntales
lib. litt.
tripart.
cap. 15. &
sequent.

ad hæc vsque tempora, frustra hæreticis adlatrantibus, iustissimè possessimus. Imo huius edicti sanctissimi & gravissimi autoritate tanquã suo gladio confodi aduersarium, dum edictum non alios Catholicorũ titulo appellandos decernit, quã eos qui Damasi pontificis religionẽ à S. Petro acceptam ad illud vsque tempus sequebantur: quã non solum symboli illius confessione, neque etiam doctrina in euangelicis & apostolicis literis scripta cum duabus Petri epistolis constare, sed etiam traditionibus quibusdã de Missæ celebratione solenni, & sacrorũ ordinũ collatione & consecratione. de quibus in scripturis non fit diserta & expressa mentio. Ut interim non dicam, quod aduersarij, qui iniuste ad se trahere titulũ Catholicorum & fraudulenter moliuntur, eam ipsam doctrinam religionis, quæ in scriptis prophetis & apostolicis continetur, deprauent peruersis & ad suum mendacium detortis explanationibus: nec ad vnã ecclesiastici sensus regulam scripturæ cœlestis intelligentiam dirigant. Scitum admodũ est illud Vincentij Lyrinensis: Quia scripturam sacrã pro ipsa sui altitudine, non vno eodemque sensu vniuersi accipiunt, sed eiusdẽ eloquia aliter atque aliter alius atque alius interpretatur, vt penè quot homines sunt, tot illinc sententiæ erui posse videantur: aliter namque illam Nouatianus, aliter Sabellius, aliter Donatus exponit, aliter Arius, Eunomius atque Macedonius, aliter Photinus, Apollinaris, Priscillianus, aliter Ioui-

Vincentij
Lyrinensis
sententia.

Iouinianus, Pelagius, Celestius, Nestorius, (adde merito licet: aliter Lutherus, Illyricus, Caluinus) idcirco multum necesse est propter tãtos, tam varij erroris anfractus, vt Propheticæ & Apostolicæ interpretationis linea secundum ecclesiastici & Catholici sensus normam, & ad vnã ecclesiastici sensus regulam scripturæ cœlestis intelligentia dirigatur.

Quæ cum ita se habeat, cumq; luce meridiana clarius sit (adeo vt neq; Lutherus, neque Caluinus diffiteantur) Catholicum scripturarum, & toto orbe receptum scripturarum sacrarum sensum & intelligentiam, & interpretationem profanos & nouitios nostrisæculi magistros nõ sequi, sed pro suo arbitrio, prout concepti erroris confirmationi conducere vident, nouos & contrarios sensus subinducere, merito hæreticæ doctrinæ infamiam in Ecclesia Catholica sustinebunt.

Operæpretium fuerit hoc loco, exhortationis gratia, grauissimam Augustini sententiam adscribere: In Catholica Ecclesia vt omittam syncerissimam sapientiam, ad cuius cognitionem pauci spirituales in hac vita perueniunt: (cæteram quippe turbam non intelligendi viuacitas, sed credendi simplicitas tutissimam facit) multa sunt alia quæ in eius gremio me iustissimè teneant. Teneat consensus populorum atque gentium: teneat autoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata. Teneat ab ipsa sede Petri Apostoli, cui

Aug. cõtra
Manichei
epist. quã
vocat fun
damenti,
cap. 4.

pascēdas oves suas Dominus post resurrectionē commendavit, vsq; ad presentē episcopatū successu sacerdotū. Tenet postremo ipsum Catholicæ nomen, quod non sine causa inter multas hæreses sic ista sola ecclesia obtinuit: vt cū oēs hæretici se Catholicos dici velint, quærēti tamē peregrino alicui vbi ad Catholicam conueniatur, nullus hæreticorum vel basilicam suam, vel domum audeat ostendere. Ista ergo tot & tanta Christiani nominis charissima vincula rectè hominem tenent credentem in Catholica Ecclesia, etiamsi propter nostræ intelligentiæ tarditatem, vel viræ meritum veritas se nondum manifestissima ostendat. Dubitabimus ergo nos eius Ecclesiæ condere gremio, quæ vsq; ad confessionem generis humani, ab apostolica sede per successiones episcoporum, frustra hæreticis circumlatrantibus, & partim plebis ipsius iudicio, partim conciliorum grauitate, partim etiam miraculorum maiestate damnatis, culmen authoritatis obtinuit? Aureas has sanctissimi & celeberrimi doctoris Augustini sententias aduersus præstigias Illyrici pius lector ob oculos semper positas habeat, nec vllis fraudibus à Catholicæ Ecclesiæ gremio, ad hæreticorum pestilentem cathedrā se abripi patiatur.

Aug. de utilitate cre
dēdi cap.
27. 46.

De voca-
tione &
electione
ministro-
rum eccle-
siæ Ant
uerpien-
s.

Scripteram in eodem capite, ex hoc quoque posse diiudicari, qualēsnam essent ministri Confessionis nouitiæ, quod sine legitima vocatione & missione docendi ministeriū sibi vltro sumpsissent & vsurpassent in ecclesia Antuerpiensi,
contra

contra apertissimam scripturarum quas citabam doctrinam. Hic primum cauillatur aduersarius illos ministros vocatos ab ecclesia, seu cœtu Christianorum Antuerpiæ existentium: verum cū Antuerpiæ ecclesiæ non aliæ fuerint quàm Catholicæ, & extra eas paucorum aliquot curiosorum, & nouarum rerum cupidorum, atque adeo etiam seditiosorum hominum conciliabulum, quali congregationi & cœtui tribuere vocandi et eligendi ministros potestatem & authoritatē nimium impudens fuerit: falsissimum est quod ministri illi à legitima aliqua ecclesia legitime vocati sint aut electi. Alioqui si in ipsis quoque aduersariorū ecclesijs reperiantur pauci aliquot seditiosi, qui expetāt ministros Caluinisticæ aut Anabaptisticæ doctrinæ, confiteri debebunt legitimam esse eam vocationem, quæ à cœtu paucorum perditorum hominum facta erit.

Deinde scripturarū testimonijs probare studeat electionem & vocationem ministrorum, propriè ad ecclesiam seu cœtum Christianorum cuiusque loci pertinere.

Quoniam verò scriptores Confessionis iactitant se adsentiri Cōfessionī Augustanæ, primum hic consideret Lector, quomodo hæc doctrina de vocatione, electione, constitutione, atque etiam approbatione ministrorum (nam ne quid cauilletur suo more Illyricus, de approbatione magistratus hic disertā mentio est) consistat cum Confessione Augustana: quæ in capite de

Ad quos
pertineat
votatio &
electio mi-
nistrorū.

Pugnat
Confessio
cum do-
ctrina Au-
gustana.

D v potesta-

Apologia
in cap. de
potestate
ecclesiast.

potestare ecclesiastica sic tradit: Cùm de iurisdic-
tione episcoporum queritur, discerni debet im-
perium ab ecclesiastica iurisdictione. Porro se-
cundũ euangelium, siue (vt loquuntur) de iure di-
uino nulla iurisdictione conuenit episcopis vt epi-
scopis, hoc est, vt quibus est commissum ministe-
rium verbi & sacramentorũ, nisi remittere pec-
cata. Item cognoscere doctrinã, & doctrinam ab
euangelio dissentientẽ reijcere, & impios quo-
rum nota est impietas, excludere à cõmunionẽ
ecclesię sine vi humana & verbo. Hic necessario
& de iure diuino debent ecclesię prestare obe-
dientiam, iuxta illud: Qui vos audit, me audit.

Luc. 10.

Expresse hic docet Augustana confessio, co-
gnoscere doctrinam ministrorum an euãgelica
sit, an vero ab euangelio dissentiens, pertinere ad
iurisdictionem episcoporum, sicut & peccata re-
mittere: Contra confessio Antuerpiensis cum
Illyrico suo magistro docet, ad cõetum Christia-
norũ cuiusque loci vtrũque pertinere, & remitte-
re peccata, & ministros vocare, eorũque do-
ctrinã cognoscere & approbare. Nã constat, le-
gitimã & probatam vocationẽ ministrorum &
constitutionẽ sine diiudicatione doctrinæ con-
stare non posse. Pugnat igitur hoc in loco Illy-
ricana cauillatio cum Confessione Augustana.

Legitima
ministro-
rum voca-
tio & ele-
ctio non
potest ef-
fe sine do-
ctrinę co-
gnitione.

Secundò, pugnat hæc doctrina non solum
cum ratione recta, verum etiam cum doctrina
Spiritus sancti in scripturis sanctis tradita. Cum
ratione quidem, quia rectæ rationi prorsus con-
trarium est, quod cõetus quisque Christianorum
insti-

instituedus & erudiendus in ijs quę sunt spiritua-
lis & eterne salutis, sibi ad seiscat magistrũ & pa-
storẽ pro suo arbitrio. Corruptus videlicet cõetus
corruptũ doctorem, iuxta illud Pauli: Erit enim
tempus, cùm sanam doctrinam non sustinebunt
homines, sed ad sua desyderia coaceruabunt
sibi magistros prurientes auribus: & à veritate
quidem auditum auertunt, ad fabulas autem
conuertentur. Cum scripturis quoque, quia au-
thoritatem & potestatem ministros ecclesię vo-
candi, & ordinandi, & constituendi non ma-
gistratui aut senatui politico, sed episcopis, Ec-
clesiarũ primarijs gubernatoribus tribuit. Hu-
ius rei gratia, inquit Paulus ad Titum: Reliqui-
te Crete, vt ea quę desunt corrigas, & consti-
tuas per ciuitates presbyteros, sicut & ego di-
sposui tibi. Timotheo quoque suo præscribit
quos ordinare in episcopos siue presbyteros
debeat: significans haud dubie ad illum perti-
nere episcopos & presbyteros per Asianas ec-
clesias constituere. Et de Barnaba & Paulo
scribit Lucas in Actis: Cùm constituissent per
singulas ecclesias presbyteros, & orassent cum
ieiunijs, commendauerunt eos Domino in quẽ
crediderunt. Et rursus: Attendite vobis & vni-
uerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit
episcopos regere ecclesiam Dei, quam acquisi-
uit sanguine suo. Palam hic pronunciat Paulus,
quod per Spiritum sanctum constituantur epi-
scopi, tanquam rectores populi Domini. Quare
ad illos, non autem ad populum pertinet de
mini-

2. Tim. 3.

Tit. 1.

1. Tim. 3.

Act. 14.

Act. 20.

ministris ordinare, ministros vocare, mittere, & constituere.

Cauillatio.
Act. 14. *Sed cauillatur Illyricus: Quod scribit Lucas Paulum & Barnabam constituisse per singulas ecclesias presbyteros, id ita accipiendum esse: Paulum & Barnabam presbyteros suffragijs Christianorum electos, & non à solo Paulo & Barnaba fuisse constitutos quos ipsi voluisse sent. Hanc enim esse vocis Græcæ χεῖροτονία, qua vsus est Lucas, proprietatem, vt designet per populi suffragia, vel per manuum extensionem aliquem creare magistratum aut senatorem.*

Dilutio cauillationis.
1. Tim. 4. *Hanc cauillatione confutat Paulus, expresse declarans, quænam sit illa manuum extensio siue impositio, quæ in legitima ordinatione ecclesiæ fieri cõsuevit, & quæ vocabulo χεῖροτονία significatur, dum scribit manuum vsum aut signum non ad eligentes Christianos tanquam suffragia dantes pertinere, sed potius ad ipsum ordinantem & constituentem presbyteros aut ministros. Noli, inquit ad Timotheum, negligere gratiam quæ in te est: quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterij. Et ne quis dubitet, quid intelligat per impositionem manuum presbyterij, rursus ad eundem scribit: Admoneo te vt resuscites gratiam Dei, quæ est in te, per impositione manuum mearum. palam significans: Manus presbyterij esse intelligendas manus non magistratuû, sed manuum, vel episcopi solius. sicut ibi: Manuum cito nemini imposueris, neque cõmunicaueris peccatis alienis: Vel episcopi simul cû presbyteris compartibus,*

cãtibus, & manus imponẽtibus. Sic enim vsurpare scripturã sacram presbyterorũ vocabulum, euidentissimum est ex Actis: vbi scribũtur Paulus & Barnabas constituisse per singulas ciuitates presbyteros. Et Actuum 20. quos appellarat Lucas presbyteros siue maiores ecclesiæ, mox vocat episcopos, & ecclesiarum rectores.

Ad hunc modum vsurpari vocẽ χεῖροτονία in scripturis diuinis, tradit Hieronymus in Efaïam: Chirotonia, inquit, est ordinatio clericorum, quæ nõ solum ad imprecationem vocis, sed etiam ad manus impositionem datur, secundum scripturam: Manus cito nemini imposueris.

Sed adhuc obiicit Illyricus, *Cyprianum ostendere, tum Iosephum, tum Mattthiam Apostolum suffragio vniuersi cõtũs & consensu ad ministerium fuisse vocatos.*

Respondemus ita tunc quidem factum esse, sed cùm adhuc exiguus esset cõtũs credentium & eligentium, atq; diuini spiritus ductu & gubernatione nihil nisi Christi gloriam quærentiũ. Quæ sanè ratio in cõtu numerosissimo credentium, quorũ pleriq; infirmi & carnales adhuc reperiuntur, & non soli gloriæ Dei addicti, sed magna ex parte vinculis cupiditatum cõmpediti, prorsus constare non potest. Quare constituendi ministros ecclesiarum diuersam rationem posterioribus temporibus ecclesiam sequi necesse fuit. Sic etiã accipiendæ sunt sententiæ Origenis & Leonis. Sententia itaq; Cypriani dicentis

Presbyterij quinã Apostolo. Act. 14. & 20.

Obiectio. Cyp. lib. 1 cap. 4.

Act. 31.

Vide cõc. Laod. canon. 13. & Chry. lib. 3. de dignitate sacerdotali.

dicentis, quod de diuina autoritate venit, vt sacerdos plebe præfente, sub omnium oculis deligatur, non tribuit plebi Christianæ ius eligendi sacerdotem: sed hoc tātum vult, vt plebe præfente sub omnium oculis electio fiat: Vt plebe, inquit Cyprianus, præfente vel detegantur malorū crimina, vel malorum merita prædicentur. Hoc enim maximè congruit, vt qui præficiendus est populo, populi quoque testimonio & suffragijs approbatus sit. Sicut Apostolus dicit: Episcopum debere testimonium bonum habere, & ab ijs qui foris sunt: verum id non esse ita necessarium, vt ob graues causas secus fieri non possit, manifestissimum est ex Pauli exemplis. Qui Timotheum Lytremem rogauit, vt maneret apud Ephesios, non rogato suffragio Ephesiorum, nec ab eis nominatum electum aut expetitur. Similiter & Titum Cretensibus præfecit, non expetitur Cretensium suffragijs: quorum suffragia si rogata fuissent, Cretensem potius elegerent. Et Augustinus Eradium successorem elegit, approbante quidem populo, sed tamen electionis potestate ei non permessa.

Epist. 110

Quia igitur de electionis iure nihil certi à Christo institutum est, permessa est eligendi forma ecclesiarum gubernatoribus, vt pro ratione temporum, locorum ac hominum eam rationem potissimum seruari, quæ ad ædificationem Ecclesiæ maximè conduceret. Verum hoc diligenter considerandum, quod dum populi

puli suffragia adhiberentur & rogarentur in ministrorum constitutione & ordinatione, semper electionis approbatio, & ministrorum ordinatio & constitutio penes solos Apostolos & Episcopos fuerit. Sic enim scribit Lucas, Act. 6. conuocasse duodecim Apostolos multitudinem discipulorum, & dixisse, vt deligerent viros boni testimonij septem, plenos spiritu sancto, & sapientia, ad opus ministerij quotidiani, quos ipsi constituerent super hoc opus, & cum placuisset sermo multitudini, septem electos esse, quos statuerent ante conspectum apostolorum, qui orantes imposuerunt eis manus. Ex quo palam discimus, non multitudinis eligentis, sed apostolorum, & episcoporum (ad quorum exhortationem & præsentiam fit electio) officium esse, vt ad ministerium electi approbentur, ordinentur, & præficiantur multitudini. Nunquam igitur licuit cœtui aut multitudini discipulorum sibi deligere ministros quos sibi præficerent, & ministros ordinarent, sed semper ordinatio & constitutio electorum ministrorum ab episcopis & superioribus pastoribus facta est.

Hæc cum ita se habeant, perspicuum est primum quod ordinatio & constitutio ministrorum nunquam multitudini attributa est, sed solis Apostolis & Episcopis.

Secundò, quod electio, quæ olim pro ratione temporis rectè delata est multitudini, aut potius quæ conscia, consentiente & approbante plebe

plebe facta est, legitima ac rata non fuit, nisi per approbationem apostolorum aut episcoporum.

Tertio, quod vocatio ministrorum nunquam multitudini permessa fuerit, nisi ex autoritate & approbatione episcopi, aut superioris potestatis ecclesiasticæ, quæ de ministrorum doctrina & vita cognosceret.

Vocatio ministrorum Antuerp. prorsus illegitima fuit.

Ex quibus perspicuum prorsus esse existimo vocationem illam ministrorum, quam Illyricus scribit factam esse à multitudine quadam obscura hominum paucorum perditorum & seditiosorum in Antuerpiensi ciuitate, sine vlla approbatione doctrinæ eorum & vitæ, per superiorem potestatem ecclesiasticam, non posse censi legitimum ministrorum vocationem. Quod si verò contendat Illyricus ministros illos euocatos, fuisse per suos superintendentes iudicatos idoneos ad verbi ministerium & sacramentorum: Respondemus, de ministris præficiendis in Antuerpiensi ciuitate ordinarium eius ciuitatis episcopum requirendum fuisse, vt eius iudicio & autoritate ministri darentur & constituerentur in sibi subiecta ciuitate. Eum certè ordinem si Illyricus in suis ac suorum ecclesijs violatum cerneret ab curioso aliquo hominum rerum & doctrinarum nouarum studiosorum conuenticulo, improbatum fat scio, & curiosos illos ac nouarum rerum studiosos ad suum ordinariū superintendentem reuocaturum & ablegaturum. Sed de legitima vocatione, electione, & ordinatione siue cōstitutione ministro-

nistrorum ecclesiæ plus satis. Superest vt scripturæ testimonia, quibus Illyricus probat ad ecclesiam seu cœtum Christianorum cuiusque loci, propriè pertinere vocationem et electionem ministrorum, excutiamus.

Primo, in confesso, inquit, est, claus non soli Petro, neque tantum apostolis, verum toti ecclesie esse traditas. Audi probationem. Quod quidem, inquit, partim ex se, partim ex ipsis verbis Domini, partim etiam ex patrum & veterum interpretum scriptis super dictum (Tibi dabo claus regni cœlorum) manifestum est. Si quidem ipsi hoc dictum interpretantur & intelligunt de tota ecclesia, non de vno Petro.

Prima probatio Illyrici.

Matt. 16.

Responso.

Respondeo. Catholici neque soli personæ Petri, neque tantum apostolorum personis docent traditas esse claus, sed toti prorsus ecclesiæ, non ita quidem, quod quilibet Christianorum cœtus, aut etiam quilibet Christianorum claus habeat: sed quod in Petri & apostolorum personis, ac personis successorum datæ sunt toti ecclesiæ Christianorum. Datæ sunt enim eis claus ad vtilitatem totius ecclesiæ, videlicet, vt si quis in ecclesia remissionem peccatorum expeteret, per potestatem ipsis datam consequi posset. Si quis vero contumax aut impœnitens ligandus esset, id per potestatem eis à Christo concessam fieri posset. Sicut apostolus de se, non autem de tota multitudine Corinthiæ ecclesiæ testatur, quod dedit ipsi Dominus potestatem in ædificationem, & non in destructionem. Qua potestate & vltus est in eadem eccle-

2. Cor. 10
& 13.
1. Cor. 6.

E fia

sia aduersus Corinthium illum incestuosum. Et Augustinus grauiter dixit: Episcopi sumus non nobis, sed ecclesie Christi: hoc est, clauis siue potestate ecclesiastici regiminis accepimus, non ad nostram, sed ad ecclesie vtilitatem. Et in commetario in Psalmum 108. explicat quomodo pleraque quae ad Petrum dicta sunt, illustrem intelligentiam non habent, nisi dum referuntur ad ecclesiam, cuius ille figuram gerebat. Et Illyrici hanc absurdam sententiam satis improbat Augustana confessio superius citata: Potestatem remittendi peccata, cognoscendi doctrinam, & doctrinam ab Euangelio dissentientem reijciendi, & impios, quorum nota est impietas excludendi a communione ecclesie, competere secundum euangelium, siue de iure diuino, episcopis, non autem cuilibet Christiano, aut cuilibet coetui Christianorum. Vt verbi gratia, coetui illi Antuerpiensium, qui sine episcopi vllius auctoritate praesumpsit ministros verbi vocare, & sibi praeficere.

Cap. de
poteft. ec-
clesiast.

Cauilla-
tio.

At ex verbis ipsius Domini id manifestum est, inquit Illyricus, quod cuilibet vel coetui, vel etiam Christiano confitenti Christum datae sint clauis.

Sed secus re habere nemo negauerit qui verba ipsa Christi perpederit. Ergo, inquit Christus, dico tibi, quia tu es Petrus. & deinde: Tibi dabo clauis regni caelorum. Et quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in caelis: & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in caelis. Vbi sicut prima verba: Et ego dico tibi quia

quia tu es Petrus: propriè non nisi ad Petrum pertinent: Ita nec proprio & germano sensu quae subiiciuntur: Et ego tibi dabo clauis regni caelorum: & quodcunque ligaueris aut solueris super terram, erit ligatum aut solutum in caelis: ad alium quam ad Petrum pertinere possunt. Ad quem modum vniuersos ferè veteres scriptores ea verba explanasse facile foret ostendere, si huius loci ea disputatio esset.

Quod autem cauillatur Illyricus, hoc dictum Christi patres & interpretes vetustos intelligere & interpretari de tota ecclesia, & non de vno Petro, falsum esse cognoscere quilibet potest, qui Catholicorum elucubrata scripta de hoc argumento vel atigerit. Ac annotat quidè in margine sententias Hilarij sexto de trinitate: Origenis in Matt. hom. 1. & Theophilacti ibidè. Sed bene consuluit sibi, quod eorum integras sententias non posuerit, ex quibus impostura eius facile deprehedi posset. Manifestissimum est enim quod Hilarius quèq; Christianum ex reuelatione patris caelestis confitentem Iesum esse filium Dei, fundamentum quidè facit Ecclesiae Dei. Est enim vera & sincera fides in Christum filium Dei viui, fundamentum, in quo aedificatur verum Ecclesiae membrum. Accipit etiam huiusmodi fides clauis regni caelorum, nempe virtutum studia, quibus & aperitur caelum, & in caelum peruenitur, tanquam clauibus quibusdam. Sed quis non videt hanc esse mysticam doctrinam ad aedificationem vtilissimam? sed non esse germanam & propriam eius

Cauilla-
tio.

Hilar. 6.
de Trinit.
Orig. ho.
1. in Mat.

eius loci sententiam, quin in sententia mox subiecta expresse declarat Petri priuilegium & præminentem locum in his verbis contineri: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam, & tibi dabo clauces regni cælorum. Et eadè prorùs est Origenis sententia in Matthæum. Et cum vterque eorum clarissimis verbis non raro proprium verborum sensum Petro attribuant soli, quis nisi calumniator ita deprauet eorum explanationes in 16. Matthæi caput? Cùm summa rerum de pascendis quibus traderetur, & super Petrum ipsum velut super terram fundaretur ecclesia, nullius virtutis alterius ab eo nisi charitatis exigitur necessitas. Et Hilarius: Cùm Iesus quædam de passione sua locutus ad discipulos fuisset, & Petrus hoc tanquam indignum Dei filio detestatus esset, Petrus cui superius clauces regni cælorum dederat, super quem ecclesiam ædificaturus erat: aduersus quam portæ inferi nihil valerent: qui quæ in terris vel soluisset vel ligasset, ea in cælis vel soluta persisterent vel ligata. Hunc itaque tali conuitio detestatum sacramentum passionis excepit: Vade post me sathanâ, scandalum mihi es. Tanta enim religio fuit pro humani generis salute patiendi, vt Petrum primum filij Dei confessorem, Ecclesiæ fundamentum, cælestis regni ianitorem, & in terreno iudicio eum iudicem cæli sathanæ conuicio nuncuparet. Et rursus alibi: O beatus cæli ianitor, cuius arbitrio clauces æterni aditus tradun-

Hilar. in
Psal. 181.

Hilar. in
cap. 16.
Matth.

traduntur. Cuius cæleste iudicium, præiudicata auctoritas sit in cælo, vt quæ in terris aut ligata sunt aut soluta, statuti eiusdem conditionem obtineant & in cælo.

Origenes quoque manifestam tradit differentiam inter Petrum, seu clauces Petro traditas: & inter ligationem, qua corripuens, fratrem ligat contumacem.

Orig. homil. 6. in
Matth.

Confirmat adhuc suam rationem Illyricus. Quin & Dominus, inquit, paulo post, nempe Matthæi 18. dictum istud de clauibus manifestè transfert ad totam ecclesiam, & omnes pios, & non ad Papam aut solos spirituales: cum inquit, Si peccauerit in te frater tuus, abi, & redargue eum, solus ipse solum. Si te audierit, lucratus es fratrem tuum: sin verò non audierit, adhibe tecum adhuc vnum aut duos, vt in ore duorum aut trium testium consistat omne verbum. Quod si non audierit eos, sit tibi velut ethnicus & publicanus. Amen dico vobis: Quæcunque ligaueritis in terra, erunt ligata in cælo: Et quæcunque solueritis in terra, erunt soluta & in cælo. Rursus dico vobis: Si duo ex vobis consenserint in terra, de quacunque re petierint, contingeret illis à patre meo qui est in cælis. Vbi enim sunt duo aut tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.

Caullas
tio alia.

Matth. 18.

Hic vide optime Lector, Illyricum sentire quemlibet pium hominem habere clauces ligandi, & soluendi: item remittendi ac retinendi peccata potestatem. Quas clauces, quamque

potestatem Confessio Augustana dicit ad iurisdictionem episcoporum pertinere, & non passim ad quemlibet pium. Et sane potestatem remittendi peccata & retinendi non dedit Christus Apostolis, nisi postquam dixerat eis: Sicut misit pater, & ego mitto vos. Tum enim subiicit: Hæc cum dixisset, insufflauit in eos, & dicit eis: Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remissa sunt eis: & quorum retinueritis, retenta sunt: palam significans, quod potestas remittendi & retinendi peccata propriè competit eis, qui tanquam pastores & legati Christi alijs præficiuntur.

Ioan. 20.

*Mala fides
des Illyrici.*

Hic quoque considera quæso Lector, quam bonæ fidei sit Illyricus, qui cum me reprehendat, quod mediâ quandam sententiâ, quæ nihil ad propositam causam pertinebat, intermiserim studio breuitatis: hic sibi permittit verba Christi plurimû ad causam necessariâ callidè detrahare. Cum enim recitasset verba Christi: Si te non audierit, adhibe tecum adhuc unum aut duos, ut in ore duorum aut trium testium consistat omne verbum: mox subiicit, Quod si te non audierit, sit tibi tanquam ethnicus & publicanus: Amen dico vobis: Quæcumque ligaueritis aut solueritis &c. Hoc autem fraudulenter factum esse constat, ut possit sententiâ Domini: Amen dico vobis: Quæcumque ligaueritis &c. ad omnem fratrem corripientem (quem, sicut nec testes cum ipso adhibitos, frater audire vult) accommodare: quasi cuiilibet corripienti, & non audito detur eo loco potestas

potestas alligandi fratrem: cum Dominus Christus fratrem, qui ne testibus quidem adhibitis emendari potest, iubeat ecclesie denunciari: hoc est, ecclesie præposito. ut constanter veteres interpretantur. Et si inemendabilis permanferit, alligari & eijci à cœtu Christianorum. affirmans quod terribilis admodum sit ea alligatio, quippe quam Christus in terris factam, ratam habebit in cœlo. Vbi vides non cuiilibet pio corripienti fratrem peccantem dari claves ligandi & soluendi fratrem contumacem, sed ipsi ecclesie, hoc est, cœtui ecclesiastico cum suo præposito, hoc est, præposito ecclesie cum sua ecclesia. Sicut Apostolica praxis hunc locum illustravit, dum in cœstuosum Corinthium unâ cum Corinthijs satanę tradendum decreuit & tradidit. Tradit igitur Christus hoc loco ecclesie præpositis claves, ut unâ cum suorum subditorum cœtu contumacem alliget, & extra ecclesie communionem eijciat: & pollicetur ratum fore quicquid præpositus cum suo populo ligauerit apud patrem cœlestem. Deinde subiicit: Non solum id ratum fore in cœlis, quicquid Apostoli siue gubernatores ecclesie egerint in contumacem peccatorem: sed tantam esse vim pacis, unitatis & concordie, ut quicquid vel duo aliqui inter se cõsentientes à patre cœlesti petierint, id sint impetraturi. Fallam quoque esse Illyrici interpretationem, ex eo prorsus est perspicuum, quod de excommunicando, aut abijciendo à cõmunionem ecclesie peccatore contumace

1. Cor. 6.

palam sermo est. Quam potestatem cui libet pio competere, quis quæso nisi excors dixerit?

Theophila-
ctus ex-
ponitur.

Quod autem Illyricus Theophilaeti commentarium in caput 18. Matthæi in margine citat: tradit quidem Theophilaetus aliquem ligandi fratris peccatoris contumacis modum, qui cui libet pio competere potest, utpote quo pius diuinæ iustitiæ consentiens & cooperans retinet eum ligatum, donec pœnitentiam agat, & quo Deo remittenti peccata per spiritum charitatis cooperans, & ipse quoque remittit peccata. At quoniam manifestissimum est de exclusione à communione ecclesiæ, etiam corporali, sermonem esse, quæ non ad pium quemlibet, sed tantum ad ecclesiæ gubernatores pertinet: non est ea Theophilaeti interpretatio propria & germana.

Cauilla-
tio.

Pergit adhuc cauillari Illyricus: *Continent, inquit, siue complectuntur claves omnem legitimam vim atque potestatem ecclesiastici regiminis, siue agendi aliquid, siue omittendi. Igitur & hæc potestas vi clauium toti ecclesiæ tradita est & concessa, ut ei liceat veleligere idoneos ministros, siue ij vocentur diaconi, siue pastores, siue episcopi: vel ab officio remouere eos, qui vel in doctrina, vel in vita deprehenduntur impuri aut minus idonei.*

Hic iterum respondere liceat, quod Augustana confessio eam iurisdictionem attribuit propriè episcopis, non autem cui libet pio, & cœtui quoque non nisi per episcopos. Respondeo autem, quod cum potestas ecclesiastici regiminis non spectet ad alios, quàm ad episcopos guber-

gubernatores ecclesiasticos, nō autem ad pium quemlibet, neque etiam ad cœtum quemlibet piorum, nisi per cœtus illius gubernatorem, luce meridiana clarius est, eligere siue ordinare, aut constituere idoneos ministros, siue ij vocentur diaconi, siue pastores, siue episcopi: & in idoneos remouere, pertinere ad solam potestatem ecclesiasticam, quæ ipsis ecclesiis, ipsique ecclesiæ præsidet, ut diaconi & presbyteri populo ordinentur ab episcopo generali pastore: Episcopi verò singularum dicecesium pastores ab archiepiscopis, ordine eo seruato, vsque ad supremum totius ecclesiæ pastorem. Et quoniam citra controuersiam eiusdem potestatis est idoneos ministros præficere, & in idoneos remouere: ad solam quoque potestatem ecclesiasticam gubernatiuam pertinet in idoneos ministros amouere. ad quam solam pertinet eos instituire & præficere. Vnde Christus in idoneos & improbos in lege ministros, scribas & Phariseos recta docentes non permisit populo remouere, sed iussit recta docentes audiri: exempla tamen vitæ eorum pessimæ non esse sequenda.

Matth. 23

Secundo Christus, inquit Illyricus, ubique præcipit suis discipulis, ut suam tantum vocem audiant, & ab aliena sese auertant, eamque sedulo vitent. Item ut sibi à pseudopropheta & Phariseorum sermone caueant. Item Paulus, ut eos detestentur, imo & diris deuouent, qui aliud euangelium docent. In quibus dictis omnibus cum mandat Christus, ut Christiani auditores sibi fideles concionatores seu ministros ecclesiæ quærant, & malos
E v fugiant

Secunda
probatio
Illyrici.
Ioan. 10.
Matth. 7.
Galat. 1.

fugiant, dat certè ecclesia sue potestatem & mandatum, ut pios & idoneos doctores vocet: improbos verò & non idoneos reijciat.

Responsio. Confitemur singulis pijs mandari à Christo: vt ab ijs se auertant, quos pseudo-prophetas esse, & Pharisæico fermento euangelicam & syncerâ doctrinam corrumpere: quosq; aliud euangelium, & contrarium doctrinæ semel traditę annunciare cognoscunt. Verum ex eo negamus rectè cõcludi, quod Christiani auditores debeant pios & idoneos doctores suo iudicio vocare & asciscere, aut improbos & ineptos sua autoritate & potestate reijcere. Sed hoc demum ex dictis scripturis rectè colligi potest, quod debeât ab ecclesię prepositis & gubernatoribus episcopis alios idoneos expetere, aut certè cū suis episcopis & legitimis pastoribus de reijciendis pseudomagistris & pseudocõtionatoribus, & instituendis Catholicis & pijs doctoribus consilia inire & cõmunicare. Habet quidè ecclesia Christi potestatem pios & Catholicos concionatores & pastores vocandi, ordinandi & instituendi: sed, vt iam sepe diximus, habet eam potestatem in suis episcopis, quibus clauis & gubernatio familię Christianę à Christo concredita est. Sicut scribit Paulus. Et ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero euāgelistas, alios autem pastores & doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi. Quemadmodum qui semel legitime

Ephes. 4.
1. Cor. 12.

gitime in familiã à patre familias cõoptatus est, & certo officio prefectus, cū factus fuerit ignavus, & infidelis minister, non nisi patrisfamilias autoritate & iussu reijciendus est, aut alius in eius locum surrogandus.

Tertio, Paulus, inquit Illyricus, dicit omnes concionatores esse ecclesię ministros, non dominos. Item ecclesiam dicit esse columnam & firmamentum veritatis. Ecclesia vult dici de controuersijs. Eius igitur est summum iudicium, tribunal & potestas. Penes eã igitur merito & vocatio ministrorum est. Habet itaque ecclesia potestatem eligendi, suscipiendi, itemq; repudiandi, cū sint inepti, aut etiam mali.

Responsio. Penes ecclesiam esse potestatem eligendi, vocandi, & cõstituendi idoneos siue probos & aptos ministros: & qui inepti & mali sunt facti postquam semel recepti sunt, repudiandi, extra controuersiam est. Nam ecclesię dictum est: Quæcunque ligaueritis super terram, ligata erunt & in cœlis: & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlo. Vnde Paulus Corinthiacam Ecclesiam obiurgat, quod in cœtuosum illum à suo confortio & communionem non reiecissent: idem facturum, si corruptos aliquos magistros admisissent, aut apud se tolerassent. Et ad Ecclesiam Galatharum scribit, quod si quis aliud euangelium illis annunciaret, illi anathema dicerent, eumque à sua communionem reijcerent, per potestatem scilicet, quæ eis diuinitus à Christo data est.

Tertia probatio.
1. Cor. 3. 4
1. Tim. 3.
1. Corint. 5. & 14.

Math. 18.

1. Cor. 5.

Galat. 1.

Sed

2. Corint.
9. 13.

Sed hanc potestatem habere intelligenda est ecclesia in suo episcopo, aut alio legitimo praeposito ac pastore, quem Christus praeposuit suae familiae. Sicut Paulus dicit potestatem sibi datam in aedificationem, non in destructionem. Non autem intelligendum est quemlibet pium, aut quemlibet coetum a suo episcopo aut legitimo pastore separatim hanc potestatem aut has claves habere.

An penes
quibet
ecclesiam
sit sum-
mum iu-
dicium in
caulis reli-
gionis.

Quod vero dicit Illyricus: ecclesiam esse columnam veritatis, & ecclesiae esse summum iudicium, tribunal & potestatem, si id de quolibet ecclesia particulari intelligat (quomodo intelligere videtur) pestilentissima est doctrina, & sacrilegis schismatibus fenestram prorsus aperiens. Si enim omnes ecclesiae inter se sunt pares, eò quod penes omnes sit supremum iudicium & potestas, qua quaeso ratione vnitas aut vinculum pacis inter eas conseruabitur, quando necesse est in huius mortalis vitae tenebris non raro quaestiones & controuersias de religionis capitibus incidere? Grauissimè sane & verissimè scripserunt grauissimi & eruditissimi auctores, Cyprianus & Hieronymus: Prorsus fieri non posse, quin sacrilegis schismatibus perturbetur ecclesia Christi, nisi penes vnum aliquem eminentiorem ceteris pastorem & episcopum sit prima & suprema potestas. Neque, inquit ille, aliunde hereses ortae sunt, aut nata sunt schismata, quam inde quod sacerdoti Dei non obtemperatur: nec vnus in ecclesia ad-

Cypr. lib.
1. epistola-
ru, epist. 3

tem.

tempus sacerdos, & ad tempus iudex vice Christi (considera iudicem hunc non posse Christum intelligi, quia iudex est vice Christi) cogitatur. Cui si secundum magisteria diuina obtemperaret fraternitas vniuersa, nemo aduersus sacerdotum collegium quicquam moueret: Nemo post diuinum iudicium, post populi suffragium, post coepiscoporum consensum, iudicem se iam non episcopi, sed Dei faceret. Nemo dissidio vnitatis Christi ecclesiam scinderet: nemo sibi placens ac tumens seorsum foris nouam heresim conderet. Et vt agnoscat lector de quo sacerdote hoc dicat, subdit: Nauigare audent heretici, & ad Petri Cathedram atque ecclesiam principalem, vnde vnitas sacerdotalis exorta est, a schismaticis & prophanis literas ferre: nec cogitare eos esse Romanos, quorum fides, apostolo predicante, laudata est, ad quos perfidia non possit habere accessum. Audis Illyrice, nisi malitia & inuidia oculos tuos perstringat, penes Petri Cathedram summum esse tribunal ecclesiae, non penes quemlibet Christianorum etiam legitimum coetum.

Hieronymus quoque non minus grauitè Ecclesiae salus in summi sacerdotis dignitate pendet, cui si non exors quaedam, & ab omnibus eminens detur potestas, tot in ecclesijs efficiuntur schismata, quot sacerdotes. Et quid obsecro opus fuit ex Antiochena Ecclesia Paulum & Barnabam exorta quaestione de legis Mosaicæ necessaria obseruatione cum euange-

Hieron.
aduer. Lu-
ciferianos

lio

lio, ad ecclesiam Hierosolymitanam, & ad apostolos proficisci, si pares sunt omnes ecclesiae, & penes omnes sit supremum iudicium? Ac lex quoque ipsa Mosaica, quae habuit certo loco constitutum summum tribunal, ad quod controversiae referrentur: non autem in omnibus synagogis par tribunal agnoscit: confutat Illyrici schismaticam doctrinam.

Deut. 17.

Id quoque quod Paulus scripsit, ecclesiam esse columnam & firmamentum veritatis, non aliter accipiendum est, quam quod in ecclesia, quae est Dei domus, certa semper & firma persistat veritas religionis & doctrinae: conservante scilicet Christo per suum spiritum eam in vinculo pacis, sub uno vicario, quem sui vice in terris constituit: & pro quo caelestem patrem rogavit Christus, ut nunquam deficeret ipsius fides, & ipse fratres confirmaret.

Haec cum dicimus, non negamus, ut calumniatur adversarius, ecclesiam aliquam particularem, ut videlicet Corinthiacam, habere potestatem iudicandi de quibusdam controversiis: Prophetae inquit, duo aut tres dicant, & caeteri diiudicent. Sed hoc superius quoque satis ostendimus: eam Pauli sententiam non ad ecclesiam totam Corinthiacam pertinere, sed tantum ad caeteros prophetas.

1. Cor. 14.

Postremo, quod scribit adversarius: Omnes concionatores esse ecclesiae ministros, non dominos: ex eo colligens, quod claves sint penes ecclesiam, & non penes ministros aut pastores: Paulus apostolus disertè & expressè se atque suos

1. Corint.
3. & 4.

suos collegas vocat non ecclesiae, sed Christi ministros: Quid igitur, inquit, est Apollo? Quid verò Paulus? Ministri eius cui credidistis, id est Christi. Et rursus: Sic nos existimet homo ut ministros Christi. Et vide lector, an non prorsus absurdum sit ministros Christi apostolos, episcopos, pastores & doctores, quos constituit super familiam suam, ecclesiam, esse in potestate ecclesiae: ecclesiamque ipsam, super quam constituti sunt rectores & praepositi, claves potestatem & iudicium in eos accepisse.

Quod autem dicit Paulus, Omnia vestra sunt, siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas, siue mundus, siue vita, siue mors, siue praesentia, siue futura, omnia vestra sunt: Vos autem Christi: Christus autem Dei: non significat Christi ministros praepositos eius familiae, esse in potestate tanquam subiectos familiae, familiaeque, claves, & potestatem de eis iudicandi à Christo datam esse (nam hoc rerum ordini recto prorsus repugnat) sed id tantum significat, à Christo ministros constitutos esse super familiam suam, non ob aliud quam ob salutem familiae. In quo & ministri admonentur ne dominatum se accepisse in familiam Christi arbitrentur: & familia ut eos qui studiosè incumbunt in ipsius salutem amet, veneretur, & in pretio habeat.

Ad extremum arrodit cavillator & illud, quod in calce capituli huius scripsi: Magistratus auctoritatem in episcopis seu ministris confirmandis nos non agnoscere pro legitima confirmatione, &

An confirmatio siue approbatio ministrorum ecclesiae pertineat ad magistratus.

quae

quæ in vera Christi Ecclesia auctoritatem mereatur: Et præteritis, aut contemptis potius, solidissimis scripturarum testimonijs, quibus quod scripseram confirmabam: (Acto. 14. & 20. & 1. Timoth. 5. 2. Timoth. 1. Tit. 1.) obijcit ex Platina & alijs historicis, quod olim plurimi Romani Pontifices sint à Cæsaribus aut constituti, aut saltem confirmati, idque comprobâribus quibusdam Romanis synodis.

Respondeo. Superioribus sæculis super confirmatione & electione, aut inuestitura Pontificum Romanorum fuisse ab imperatoribus parum religionis tumultus & contentiones excitatas: Verùm nunquam legitimâ & synceram fuisse eam ordinationem & confirmationem, quæ ab Imperatoribus de Romano Episcopo facta est, sed magis vsurpatam & extortam. Quod verissimum esse facile intelligit, qui iuxta doctrinam euangelicam persuasum habet, quod Petrus, ac legitimi Petri successores sint ab ipso Christo pastores supremi vice Christi instituti totius ouilis & familiæ Christi. Cuius familiæ cum Imperatores & principes Catholici membra sint & oues: neque ratio, neque iuris diuini dispositio & ordinatio patitur, vt supremos pastores per legitimam electionem in locum Petri constitutos, & diuina ordinatione constitutos, tanquam Domini superiores diiudicent, confirment, aut eorum electionem ratam esse iubeât. Quin religiosissimos imperatores potestatem nominandi Romanos pontifices & vicarios

cariorum Christi, propter beneficia Romane ecclesie præstita ipsis oblatam religiose recusasse, certissime historie clarissime testantur. Quamquam populi Romani, & non tantum cleri suffragia de constituendo pontifice Romano rogarentur, decuit vt & Imperatoris Romani suffragium vel imprimis rogaretur. At confirmandi vel reiiciendi electi episcopi potestas imperatoribus nunquam rectè concessa est.

DE NORMA VERITATIS.

CAPVT II.



IN ipso mox exordio secundi capituli splendide & impudenter mentitur Illyricus, dum scribit id sedulo me agere, vt abducam Christianorum mentes à certo perspicuoque Dei verbo ad Pontificum traditiones & monachorum figmenta, & ad nescio quas, vt inquit, traditiones: ex quibus verus scripturarum sensus hauriendus sit, & non ex ipsa scriptura scrutando syncerè querendus, secundum Clementis sententiam. Mendacium hoc esse impudentissimum, facile perspicere potest lector, si consideret me hoc tantum docere, ad canonem & normam diuinæ scripturæ addendam esse catholicæ & ecclesiasticæ traditionis normam & regulam. iuxta quam si qua de scripto verbo controuersia oriatur, scripturæ

F in-

Ireneus
lib. 3. ca. 3.
& lib. 4.
cap. 42.
Lirinensis
cōtra pro-
phanas
Nouatio-
nes.
Clemens
lib. 10. re-
cognit.
Tertul. de
prescript.
hæretico-
rum.

intelligētia & interpretatio sumatur. quod sen-
tentijs Irenei, Vincentii Lirinensis & diui Cle-
mentis solidissimis confirmo: addita etiam sen-
tentia Tertulliani admodum celebri. Non igitur
ad pontificum traditiones nescio quas, aut
ad monachorum figmenta abduco lectorem:
sed ad ecclesiasticam & catholicam traditio-
nem de scripturę vero sensu sequendam & ob-
seruandam inuito: quæ tamen in scripturis di-
fertē & expressē scripta non comperitur. Et ve-
rissimum esse ac obseruatu necessariū pio scri-
pturarum tractatori quod admoneo, euentis-
simum est. Nam cū hac tempestate de verbo
scripto, hoc est corpus meum: & hoc facite in
mei commemorationem (alioqui tamen per se
satis manifesto) grauissimæ sint concertationes
inter catholicos & hæreticos, ac multo magis
apud hæreticos inter se inuicem, nonne neces-
sarium est ad finiendas contentiones consulere
ecclesiasticam & catholicam traditionem? quę
in monumentis superiorum ætatum & antiqui-
tatis animaduerti & cognosci potest: ac eadem
secundum eam tanquam regulam germanum
& verum scriptorum verborū sensum statuere,
etiāsi nusquā scriptū sit in diuinis libris, sensum
illū traditioni ecclesiasticæ consonantē esse ve-
rū & germanū sensum. Sic Clemēs, sic Lirinē-
sis, sic Ireneus admonuerunt. Sic & Tertullia-
nus, ab eo intelligentiā scripturarum discendā,
qui eā à maioribus secundū veritatē sibi tradi-
tam seruat: & ad vnā ecclesiastici sensus regulā
scriptu-

scripturę cœlestis intelligentiā esse dirigendam:
& cum in certamine cū hæreticis incerta sit vi-
ctoria in scripturis, ad traditionē apostolicarum
ecclesiarū confugiendū esse. Ergo nō ad nescio
quas pontificū (vt mentitur libenter Illyricus)
traditiones aut figmenta monachorū abducimus
Christianorū mentes, sed ad certā, totique
orbi manifestā, & prorsus Catholicā traditionē
adducimus. ex eoque docemus, verā diuinorum
scriptorū intelligentiā & interpretationē hauri-
endā esse, non ex proprio cuiusque sensu. De-
sināt igitur tandem illi calumniatores incusare
catholicos, quod diuinæ scripturæ præponant
pontificum & monachorum doctrinā & tradi-
tiones: qui hoc tantū docent, secundū regulam
ecclesiasticę & catholicę traditionis diuina elo-
quia interpretāda esse & exponenda, omnemq;
intelligentiam Catholicæ traditioni contra-
riam reiiciendam esse & damnandam.

Secundo loco doceo in hoc capite non so-
lum traditionem Catholicam & ecclesiasticam
in scripturarum explanatione sequendam, sed
etiā alias quasdam traditiones esse recipien-
das, quæ in scripto Dei verbo non comperiuntur,
si modo habent antiquitatis certum, fidele,
& perspicuum testimonium. Contra hæc quid
cauillator obijciat audiamus.

*Adducit, inquit, primum hoc sophisma: Quia ecclesias-
tica traditione cognoscatur quod sit verbū Dei. Ad hoc
sophisma respondeo, inquit, Testati sunt sane primi scri-
ptores quænam sint genuina apostolorū scripta, à quib⁹ ta-*

*Illyrici
cauilla-
tionis.
I. Cauilla-
tio.*

F ij men

non omnem fidem & scientiam hauserunt: Sicut & ipse dominus, quanam sint scripta Prophetarum. Id ubi semel cognouimus, non curamus recentiorum traditiones. Et ecclesia, atque adeo omnes vel infimi Christiani habent ius & mandatum sua confessione testandi de veritate celestis: nequaquam autem vel confirmandi, vel eleuandi, vel etiam mutandi eam doctrinam in minimo. Tale est illud dictum: Euangelio non crederem, nisi ecclesiae crederem.

Dilatatio.

Credo Illyrice, post testimonium primorum scriptorum de vero Dei verbo non habere ecclesiam ius vel confirmandi, vel eleuandi, vel mutandi eam verbi doctrinam vel in minimo: sed tantum habere ius testificandi. Sed quid hoc obsecro, ad infirmendam probationem à me adductam? Scripturam propheticam & apostolicam recepimus certa fide ex ecclesiastica traditione citra vllum diuinum scriptum, contestans quod sit scriptura diuina prophetica aut apostolica. Sunt igitur & illa recipienda in Christi ecclesia, quæ habent antiquitatis constans & fidele testimonium: etiam si in scriptis euangelicis & propheticis disertè scripta non comperiantur. Quanam illa sint, postea ex diuo Basilio & Dionysio Areopagita tantum verbo vno indicamus. Nihil hic disputamus de Augustini celebri dicto: Euangelio non crederem, nisi ecclesiae me commoueret autoritas: num de alia autoritate accipiendum sit, quàm de autoritate testificandi, de quo vos contenditis. Sed hoc dicimus, quod qua ratione ex ecclesiae certa & fidei testificatione rece-

August. in epist. fundam contra epist. Manichei cap. 5.

recepimus libros propheticos & apostolicos tanquam verbum Dei: eadem prorsus ratione recipienda esse & alia quædam, quæ similiter habent ecclesie & totius venerandæ antiquitatis certa & perspicua testimonia. Stat igitur firma & solida prima nostra probatio.

Secundo loco adduxeram sententiam D. Clementis, quæ extat libro 10. Recognitionum, non autem libro primo, vti habet libri mei æditio (quod occultandi studio cauillatur me fecisse: cum omnibus manifestum sit, quàm facile sit lapsus typographorum ab numero 10. in numerum 1. Certè ego hætenus numeros in eius libro signatos non curauit tam seuerè castigare.) Eam sententiam quia dicit mala fide me proposuisse, & tanquam falsarium bene longum textum ex medio exclusisse, age placeat, vt studio breuitatis postposito, integrum textum Clementis recitemus, & quid ex eo contra nos colligat Illyricus, videamus. Clementis igitur sic habet. Ideo diligenter obseruandum est, vt lex Dei cum legitur, non secundum proprii ingenij intelligentiam legatur. Sunt enim multa verba in scripturis diuinis, quæ possunt trahi ad eum sensum, quem sibi vnusquisque sponte præsumpsit, quod fieri non oportet. Non enim sensum, quem extrinsecus attuleris, alienum & extraneum debes quaerere, quem ex scripturarum autoritate confirmas: sed ex ipsis scripturis sensum capere veritatis. Et ideo oportet ab eo intelligentiam

2. Cauillatio.

Sententia Clementis lib. 10. recognit.

discere scripturarum, qui eam à maioribus secundū veritatē sibi traditā seruat: vt & ipse pos- sit ea quę rectē scripsit cōperenter asserere. Cū enim ex diuinis scripturis integram quis susce- perit & firmam regulam veritatis, absurdū nō erit, si aliquid etiam ex eruditione communi ac de liberalibus studijs, quę fortē in pueritia attingit, ad assertionem veri dogmatis conferat.

Per hanc Clementis sententiam (cui ad- iunxi & Irenei, & Lirinēsis & Tertulliani sen- tentias) probaui, quōd regula veritatis ad reli- gionem pertinentis non sit solum verbum Dei scriptum. Et tandem ex eorum sententijs con- clusionem hanc feci: Vides regulam & amuf- sim veritatis circare religionis dogmata non tam scriptum verbum esse quā traditionem à ma- ioribus acceptam. Hic tragicē vociferatur ad- uersarius.

*Cauilla-
tio.* Vide quæso, inquit, Christiane frater hanc impu- dentissimam conclusionem, longe plus, imò plane aliud cō- cludentem, quā est in dicto Clementis. Ille enim dicit veram scripturam intelligentiam esse discendam à peritis, nempe apostolis: quia Clemens tempore apostolorū vixit: At iste pl. ne seponens scripturam, dicit regulam verita- tis non tam scripturam esse quā traditionem. quod Cle- mens nequaquam dixerat.

Dilutio. Hic & ego obsecro te Christiane frater, vt sententiam Clementis attentius inspicias. Quod si feceris, cognosces impudentissimam calum- niatoris cauillationem. Clemens disertis ver- bis dicit: Quia multa sunt verba in scripturis diui-

diuinis, quę possunt trahi ad sensum quem sibi vnusquisque sponte præsumpsit: ideo oportere ab eo intelligentiam discere scripturarum, qui eam à maioribus secundum veritatem sibi tra- ditam seruat. Quid quæso aliud est, intelligen- tiam scripturarum discere à maioribus, secun- dum veritatem ipsis traditam: quā regulam & normam intelligendæ & explanadæ scriptu- ræ esse maiorū traditionem? Quod disertis ver- bis & Ireneus, & Lirinensis, & Tertullianus di- cunt: ad vnā videlicet ecclesiastici sensus re- gulam, scripturæ cælestis intelligentiam esse di- rigendam. Ex quo firmissima collectione solidē concluditur: Regulam & amufsim veritatis cir- ca religionis dogmata, non tam scripturam ip- sam verbi prophetici & euangelici, quā tradi- tionem à maioribus acceptam esse. hoc est, non tam literam scriptam, quę varijs interpretatio- nibus & deprauationibus obnoxia est, quā sinceram verbi scripti intelligentiam.

Ac dicit quidem Clemens, ex ipsis scripturis sensum capiendum veritatis: sed diserte addit: secundum veritatem à maioribus traditam. Vbi manifestissimum est eum regulam & normam primam veritatis facere, maiorum siue catholi- corum catholicam doctrinam & traditionem. Hæc porro dum docemus, non plane scriptu- ram seponimus, & traditiones ecclesiasticas tan- tum commendamus, (vt calumniator adtingit) sed scripturæ certa & firma intelligentia à qua regula petenda sit indicamus.

Exclamat rursus impudētissimus calūniator: *Obserua, inquit, hic falsarias fraudes citationis. Clemens dicit, multa verba esse in scripturis quae possint trahi ad alienum sensum: Tiletanus omissa voce, verba, simpliciter dicit, multa. ut scilicet intelligas integra sensa, aut etiā tractationes in scriptura ambiguas esse.* Sed lectorem iudicem requiro, num de verbis tantum, & non de integris sensis sententiam posuerit Clemens. Qui absque controuersia non de ambiguorum aut obscurorum verborum significatione, sed de integris scripturarum sententijs & intelligentia doctrinam tradere voluit aduersus hæreticos & corruptores: qui scripturas, ut inquit, diuinas, non autem tantum verba quaedam, ad suum sensum, quem sibi vnusquisq; sponte præsumpsit, trahere solent. Quæso te Christiane frater, ut ex huiusmodi nimium impudentibus calumnijs cauillatorem agnoscere discas.

Alia Cauillatio.

Postremo, admonet Illyricus obseruandum quod hic Clemens in fine dicit: Ex diuinis scripturis posse peti integram & firmam regulam veritatis: cum aduersarius contra vociferetur, scripturam non esse integram, & sufficientem regulam vel normam veritatis: sed Theodotus & Scotistas & Sophistas in auxilium inuocandos esse.

Respondeo: de Sophistis consulendis nulum verbum factum esse, sed de adhibenda norma catholicæ traditionis in explanatione scripturarum controuersarum, deque recipiendis traditionibus quibusdam non scriptis, propter testi-

testimonia certa & solida venerandę antiquitatis. Quod autem dicit Clemens: Integram regulam veritatis posse peti ex scripturis diuinis: quomodo id accipi velit, ex eo est manifestam; quod ipse in libro 3. Recognitionum commendat vsum olei sanctificati in baptismo. de quo nulla est in diuinis literis scriptura: Baptizabitur autem vnusquisque vestrum; inquit, in aquis perennibus, nomine trinę beatitudinis inuocato super se, perunctus primum oleo per orationem sanctificato, ut ita demum per hæc consecratus possit percipere de sanctis. Et similiter in epistola tertia ad Iulianum & Iulium episcopos, sacramenti confirmationis mentionem expressam facit. Intelligit ergo Clemens integram doctrinam veritatis & regulam, tum quantum ad ea dogmata, quorum cognitio communiter hominibus est necessaria: tum quia diuinę scripturę, ea quę in scripturis disertę expressa non sunt, docent discere & accipere ab ecclesia iuxta doctrinam varijs locis traditam, de audienda ecclesia in quæstionibus quę in scripturis diuinis expressę definitę non reperiuntur.

Clemens
libr. 3. re-
cogn.

Clemens
epist. 3.

Aug. con-
tra Dona-
tist. lib. 4.
ca. 24. lib.
2. contra
Cresco-
niū cap. 31
& de vni-
tate eccle-
siaz.

Tertiam quoque probationem arrodit satis petulanter. *Ut monstret, inquit, non omnia necessaria esse in scripturis tradita, recitat longum catalogum frivolarum nugarum. Inquit enim, velut verbi gratia (ut eius quod primum & communissimum est, primum mentionem faciam.) Figura crucis signare eos, qui in nomine Domini nostri Iesu Christi spem habent, quis scripto*
F v docuit?

dócuit? Ad orientem conuersas esse nos dum oramus, quæ scriptura nos docuit? Inuocationis verba, dum ostenditur, Eucharistia, & poculum benedictionis, quis sanctorum scripto nobis reliquit? Non enim his contenti sumus, quorum Apostolus aut Euangelium mentionem fecit: Sed & antè & post alia quædam dicimus, velut magnum robur ad mysterium habentia, ex doctrina scripto non prodita adsumpta. Benedicimus aquã baptismatis & oleum unctionis: insuperque ipsum qui baptizatur, ex quibus scriptis est? nõne ex tacita & arcana traditione? Ipsam verò olei illitionem quæ doctrina scripta docuit? Ac ter immergi hominem, vnde est? Reliqua item quæ circa baptismum fiunt: renunciare satanæ & angelis eius, ex qua sunt scriptura? nõne ex hac non publicata & arcana doctrina, quam in minimè curioso & sollicito silentio patres nostri conseruarunt?

Obseruet quæso hic Christianus Lector duplicem Illyrici fraudẽ, alteram in eo, quod cum ego Basilij Magni celeberrimam sententiam citarem in tertia probatione ex libro de spiritu sancto: quæ solidissimè docet multa recipienda esse quæ in scriptura non continentur: Illyricus non dignatur Basilij mentionem facere, ne lector pius celebritate nominis tanti viri commotus Illyrico recuset auscultare. Sed tanquã meus esset catalogus ille bene longus, dicit: inquit Tiletanus. Altera fraus in eo est aperte, quod principium sententiæ Basilij, quo potentissimè eius cauillatio conuellitur, fraudulenter reticet. quod sic habet: Dogmata quæ in Ecclesia seruantur & prædicantur, partim ex con-

Basilij
Magnus
in libr. de
Spiritu
sancto
cap. 27.

ex conscripta doctrina habemus, partim ex Apostolorum traditione ad nos delata in mysterio recepimus. Quæ vtraque eandem ad pietatem vim habent, & nemo his contradicit, qui vel modicam saltem ecclesiasticorum iurium experientiam habet.

His verbis cum videret se disertissime perstringi, permittit sibi ea omittere qui me arguere audet, quod breuitatis studio interdum sententias in citationibus præteream quæ nihil ad causam attinent.

Verum hoc vel imprimis obseruandum est, quòd ea dogmata, quæ magnus ille Basilius Apostolorum traditione ad nos sine scripto delata scribit: magnamque vim ad pietatem habere adfirmat, & neminè illis contradicere, qui vel modicam saltem ecclesiasticorum iurium experientiã habet: Illyricus friuolas nugas blasphemò ore appellat. Recitat, inquit, non tã Tiletanus, quã Basilius, longum catalogum friuolarum nugarum. nam Basilij ipsius, non mea, est ea recitatio. Sed expresse pronũciat Basilius eiusmodi blasphemos calumniatores, prorsus rerum & iurium ecclesiasticorum imperitos. Vnde cognoscere potest lector quãta fide versetur Illyricus in scribenda historia ecclesiastica. Et vt prorsus omnibus patefaciat impiam suam mentem, nominatim ex recitato catalogo arripit arrodendum tremendum etiam malignis spiritibus crucis signum.

Quid enim refert, inquit, an cruce te signes, aut lancea vel etiã flagello? quãdoquidem omnibus his Christus afflictus

Illyricus
de signo
Crucis.

Matth. 6. *afflictus est. Renunciare alioquin satanæ & mundo uolentem nomen dare Christo, clarè euangelica doctrina flagitat.*

Tertul. de corona militum.

August. tract. 108. in Roan.

August. in Psal. 141. ferm. 19. de Sâctis. Theodor. hist. eccl. libro 6.

Hanc blasphemiam non est huius loci iusta confutatione persequi. Sed sufficit eam Christiano lectori patefecisse, ut ex ea agnoscere possit quo spiritu agitetur impius eius animus. Aliter in ipso fere ecclesiæ exordio Tertullianus de venerando signo crucis scripsit: Ad omnem, inquit, progressum, ad omnem aditum & exitum, ad vestitum & calceatum, ad lauacrum, ad mensas, ad lumina, ad cubilia & sedilia, quæcunque tandem homines exerceret conuersatio, frontem crucis signaculo terere fuit uisitatum. Cui per omnia cõsentit Augustinus: Quid est, inquit, quod omnes nouerunt signum Christi? Quod signum nisi adhibeatur siue frontibus credentium, siue ipsi aquæ qua regeneramur, siue oleo quo chrismate unguuntur, siue sacrificio quo aluntur: nihil eorũ ritè perficitur. & pluribus alijs locis. Vide quoque insignem admodum Chrysostomi sententiã de crucis signo, in demonstratione aduersus Gentiles tomo 3. quod Christus sit Deus. Et memorabile admodum est quod scribit Theodoretus: Cœpit Iulianus imperalia sceptra desyderare, quamobrem discurrens per uniuersam Hellada, vates quærebat responsa reddentes, consulens an ad imperiũ perueniret: inuenitque virum qui se illi desyderata dicere fateretur. Is eũ adducens ad quendam idolorum locũ, & introducens in adytũ seducto-

seductores dæmones euocauit. Quibus solenniter apparëtibus, terrore compellitur Iulianus in fronte sua crucis formare signaculum. Tunc dæmones trophei dominici figuram aspicietes, & suæ recordati deuictionis, repente disparuerunt. Quod cognoscens Magus cœpit inculpate Iulianum. At ille & terrorem significauit, & de crucis signo se dixit obstupuisse, ed quod uidentes hoc signũ dæmones euauissent. Porro Magus: Non hoc suspiceris, inquit, bone vir, eos timuisse sicut ais: sed abominati potius hoc signum abscesserunt: & ita capiens miserum, odio repleuit Christiani signaculi Iulianum. Eandem historiam commemorat Nazianzenus in priore cõtra Iulianum apostatam oratione. Admirandum itaque non est, si ij qui signum crucis, quo dum tingerentur aquis salutaribus, signati sunt & initiati, iam irridet, desertores facti eius ecclesiæ, in qua infantes tincti sunt. Et quamuis ipsa pietatis substantia in abrenunciatione satanæ & mundi posita sit, non potest tamen non esse salutaris & uiuifica professio salutis omnis quæredæ per Christi crucifixi misericordiam: quam signaculo crucis, non autem læca vel flagello profiteretur Christianus populus.

Nazianzenus.

Cap. 1.

Citauerã Dionysium Areopagitam ex libro Ecclesiasticæ Hierarchiæ, dicentem, substantiam sacerdotij scripturã esse nobis diuinitus traditã. Ex hoc infert aduersarius: *Cur igitur in hac substantia & fundamẽto scripturæ iste aduersarius nõ consistit, aliique eorum sacerdotes: sed alias nugas Ecclesiæ Dei, consciens*

conscientijsque pusillorum Christi obtrudere conantur.

Sed oro te Christiane lector, considera manifestariam fraudē. Nam post verba Dionysij modo recitata mox sequitur: Porro huiusmodi plena veneratione eloquia dicimus, quæ à beatissimis patribus nostris, à quibus sacris mysterijs imbuti sumus, in sanctis ac theologicis commendata sunt libris, & quæ ab iisdem sanctissimis viris sacratiore & purgatiore, & propinqua quodammodo cœlesti hierarchiæ doctrina, sancti duces & præceptores nostri didicerunt, & ex animo in animum sine literis transfusa sunt. An non manifestissimum est in his verbis Dionysium testari, præter ea quæ scripta sunt, alia quædam esse tradita sine scripto, quæ plena quoque sunt venerationis? Sacram igitur scripturam divinitus traditam, substantiam & fundamentum sacerdotij rectè dicit sanctus pater Dionysius. At non dicit in ea contineri quicquid ad structuram & ædificationē fidei & sacrae religionis pertinet.

Sed huic calumniæ mox attexuit aliam longe impudentiorem. Citaueram Augustinum dicentem: Sequimur sanè in sacris canonicarum auctoritatem certissimā scripturarum. cum hoc facimus quod vniuersæ iam placuit ecclesiæ, quā ipsarum scripturarum commendat auctoritas, ut quando sancta scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit huius obscuritate quæstionis, eandem ecclesiam de ea consulat, quam sine vlla ambiguitate sancta scriptura demonstrat.

Ex qua sententia collegi, quod ex traditione eccle-

Aug. lib.
4. contra
Donatist.
cap. 24.
Lib. 2. cō-
tra Cresc.
cap. 31. &
seq.
Lib. de v-
nitate ec-
clesiæ.

ecclesiastica, quædam dogmata in ecclesia suscipiantur, & tenentur magis quàm ex scriptura. Audi iam calumniatorem. *Atqui hoc dictum, inquit, plane contra ipsum est. Testatur enim Augustinus, se totamque ecclesiam sequi scripturam, illam fallere non posse, & denique scripturam sine vlla ambiguitate veram sententiam propositarum quæstionum demonstrare.*

An non est hoc apertissimum mendacium, Augustinum in ea sententia dicere, quod scriptura sacra propositarum quæstionum veram sententiam doceat, tradat aut demonstrat? Docet enim ex professo Augustinus eo loco, quod propositæ quæstionis de non rescindendo baptismo per hæreticos collato clara & perspicua definitio nō videatur extare. Eius tamē obscuræ quæstionis solutionem debere peti ab ecclesia, & ab ecclesiastica obseruatione: atque ecclesiam in huiusmodi obscuris quæstionibus consulendā esse, quando certis & euidētibus scripturis definiri non possunt. quam dum consulimus, atque ex eius obseruatione & traditione quæstionis solutionem accipimus, pronunciat Augustinus, quod etsi scripturæ definiētis testimonio destituimur, ecclesiæ tamen auctoritatem certam, & quæ non potest fallere, sequimur, dum ecclesiam consulimus, quam scriptura consulendam demonstrat. An tibi adhuc videtur Illyrice dictum Augustini contra me esse, in quo tam disertè pronunciat: quarundam quæstionum & dogmatum definitionem petendam esse ab ecclesia, quæ ex scriptura haberi non potest?

Possent

Possent, inquit, innumera dicta Augustini pro scriptura contra patrum nimiam auctoritatem proferri, nisi breuitati studeamus.

Scio quosdam ex vestris plurimas sententias ex Augustini scriptis collegisse pro sufficientia scripturae contra traditiones, sed tam apertae sunt sententiae Augustini ac perspicuae, in quibus traditiones & dogmata quaedam non scripta statuit & approbat, ut nisi doctissimum virum secum stultissime pugnare affirmes: quem constat tam diligenter sua scripta recognouisse, nec sententias de hac re semel scriptas mutasse, commoda & vera ratione eas inter se conciliare debeas. An non est illa clarissima pro traditionibus & dogmatibus non scriptis sententia:

Aug. lib. 5
cont. Do-
nat. cap. 23
De baptis-
mo lib. 2.
cap. 7.
Lib. de cu-
ra pro
mortuis.

Multa tenet vniuersa ecclesia, & ob hoc ab Apostolis praecipua bene creduntur, quanquam scripta non reperiuntur? & rursus: Multa non inueniuntur in literis Apostolorum, neque in conciliis posterorum, & tamen quia custodiuntur per vniuersam ecclesiam, non nisi ab Apostolis tradita & commendata creduntur.

Denique & illa sententia in Libro de cura pro mortuis: Etsi, inquit, nusquam in scripturis veteribus legeretur omnino sacrificium oblatum pro mortuis, non parua est vniuersae ecclesiae, quae in hac consuetudine claret, auctoritas, ubi in praecipuis sacerdotis, quae Domino Deo ad eius altare funduntur, locum suum etiam habet commendatio mortuorum. Haec pauca testimonia adieci, ne fraudulentis dictis Illyrici facile

cile fidem adhibeat lector, quibus Augustinum in suas partes contra traditiones non scriptas impudenter conatur pertrahere.

Sententiam Pauli, scripturam diuinitus inspiratam vtilem esse ad arguendum, ad docendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus instructus: scripsi non eo pertinere ut doceat omnem de religione doctrinam esse in sacris literis plene comprehensam: Idque ex eo confirmabam, quod Paulo ad Timotheum secundam epistolam scribente, nulla alia scriptura sacra extaret quam prophetarum. quae sane multa explicatione arcana de Christo, Christi que sanguine ad perficiendum hominem egebat.

2. Tim. 3.

Hic obijcit aduersarius, significatis meris vanitates meas me fulcire, & posse me manifestissimi conuinci mendacij. Nam praedicta epistola est Romana scripta est, cum iam secundo sisteretur Neroni, nempe paulo ante mortem. Epistola vero ad Romanos, & multae aliae, scriptae sunt antequam Paulus Romam veniret, quod est notissimum. Lucas quoque, inquit, finit sua acta cum aduentu Pauli ad Romam, cum euangelium iam antea scripisset, cumque alij duo euangelistae Matthaeus & Marcus iam ante eum sua euangelia adidissent.

Illyrici
Cauillatio.

Aduersus hanc cauillationem studiose captam respondeo non esse a me scriptum: Nullam epistolam, aut nullam euangelicam historiam tunc fuisse scriptam, cum Paulus a Roma secundam ad Timotheum epistolam scriberet: Sed hoc tantum me scripisse: Nullam tum extitisse scripturam sacram, quae scilicet fidelis po-

Dilutio.

puli manibus tractaretur, & in conuentibus ecclesiasticis recitaretur, explanaretur, & ad confirmationem dogmatum adduceretur præter scripturam prophetarum. quod verissimum esse ex Petri quoque secunda epistola demonstrari potest, sic fideles admonentis: Et habemus firmiorem Propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes quasi lucernæ lucenti in loco caliginoso, donec dies illucescat, & lucifer oriatur in cordibus vestris. Historiæ enim euangelicæ, & epistolæ quæ tum à Paulo scriptæ erant, non statim ab exordio per omnium regionum ecclesias disseminatæ sunt, vt tanquam authenticæ scripturæ citarentur & explanarentur.

Quod porro adfert Illyricus, Spiritû sanctum in huiusmodi generalibus pronūciatis non vnū tantum hominem ac præsens tempus, sed etiam futurum respicere: non negamus illam Pauli sententiam ad noui testamenti tempus pertinere, quo scripturæ tam propheticæ quàm apostolicæ publicè apud omnes ecclesias extabant. sed semper consideranda est & adhibenda Augustini doctrina: Scripturâ sacram vtilem esse ad perficiendum hominem Dei, & instruendum ad omne opus bonum: tum quia pleraque omnia expressa habet, tum quia vnde ea quæ expressa in ipsâ non reperiuntur certo disci & peti possint, demonstrat.

Postremo loco quod scripsērâ Lutherû non posse censerî vltimum Heliâ: quia cum Helias debeat, teste propheta, conuertere corda filiorum

2. Petri 1.

Aug. sententia pauli superi sunt citata.

Malach. 4

rum in patres: contra Lutherus id potius egerit, vt à filijs patres negligerentur. Sic eludit omnes tres Helias conuertere corda filiorum ad veros ac vetustos patres, non ad recentiores, quos seductores iactarunt. *Nã primus, inquit, Helias conuertit auditores ad Mosen, Patriarchas ac Dauidem. Secundus ad Mosen & Prophetas, non ad pontificum & sacerdotum traditiones. Sic denique Lutherus reuocauit corda hominum ad Mosen, Prophetas, Christum, & Apostolos: qui sunt nostri verissimi patres secundum Deum: super quos propriè ecclesia extructa est quoad doctrinam.*

Sed respondeo prophetam Malachiam potissimum respexisse ad conuersionem cordium filiorum ad pietatem, & religionem, & prudentiam paternam, & ad parandum domino plebem perfectam. Quàm male autem meritis sit Lutherus de vera Christi religione, & syncera morum & vitæ pietate restituenda toti orbi Christiano notissimum est, nec huius loci est ea deploratio.

Quia ex libro celeberrimo Lirinensis contra prophanas Nouationes crebrò citauit in Confutatione sententias, quas validissimas aduersus hæreticos & opportunissimas iudicauit: citat in calce huius capituli ex eodem libro, ipse quoque sententiam: *Sapius, inquit, testatur Lirinensis scripturam esse sufficientissimam ad omnem instructionem. Hac enim sunt eius verba: Est perfectus scripturarum canon, sibi que ad omnia*
G ij satis

fatis superque sufficit. Solus igitur scriptura canon, est norma veritatis. neque traditiones vlla extra canonem recipiendæ sunt.

Exponitur sententia Lirinensis.

Respondeo Lirinensem ad sua tempora respexisse, quibus varijs erroribus Nouatus, Sabellius, Donatus, Arrius, Eunomius, Macedonius, Photinus, Apollinaris, Priscillianus, Iovinianus, Pelagius, Celestius (nam hos hæresiar-chas ipse nominatim commemorat) ecclesiam perturbabant. Ad horum itaque hæretica dogmata respiciens, pronunciauit scripturæ canonem perfectum esse, & sibi ad omnia dogmata, quibus illi perturbabant ecclesiam, confutanda & conuellenda sufficientem: si modò secundum sensum & intelligentiam catholicam canõ exponeretur. Et verissima est ea sententia: aut sane si vrges notam vniuersitatis ad omnia tempora pertinere, Canon sibi ad omnia sufficit: quia de paucis quibusdam, quæ disertè in canone posita non sunt, demonstrat scriptura ipsa, & docet vnde ea petenda & sumenda sint, vt habet Augustinus in locis suprà citatis: alioqui certissimum est Vincentium Augustino coætaneum de apostolicis quibusdã traditionibus ab Augustino non dissensisse. Postremò & hoc considerandum quod dicit Lirinensis: Si qua noua exurgeret quæstio, vbi vniuersalis concilij decretum minime reperiretur, recurrendum ad sanctorum patrum sententias: eorũ duntaxat, qui suis quiq; temporibus & locis in vnitatem cõmuniõnis & fidei permanètes, magistri probabiles extitissent

Hæc est solidissima responsio.

titissent: Et quicquid vno sensu atq; consensu tenuisse inuenirentur, id ecclesiæ verum & Catholicum absque vllò scrupulo iudicarent. Hic certe non scripti quoque canonis regulam necessario requirendã & exposcendam esse audis.

Cyprianus exponitur

Addit Cyprianum quoque semper scripturam & verbum Christi cõtra consuetudines & traditiones, quas alij vrgebãt, opponere. Et citat epistolas ad Iubaianum, ad Quirinum & Pompeium: Sed manifestissimum est in illis epistolis Cyprianum agere de ijs traditionibus, quæ verbo scripto contrariæ sunt, aut quas contrarias ipse existimabat. Agit enim de ea consuetudine siue traditione, quæ à Catholicis tanquam vetustissima & Apostolica obijciebatur: non esse rebaptizandos eos qui extra ecclesiam baptizati erant, quando ad ecclesiam veniebant. Quam post longam disquisitionem compertum est tandem & scripturæ consonam esse, & vere esse Apostolicam: cum Cyprianus nouitiæ consuetudini per Agrippinum inductæ adhærens, illam consuetudinem tanquam falsam, & à scripturis dissonantem reijceret & damnaret. Quem errorem postea plenarij concilij sententia damnatam esse scripsit multis in locis diuus Augustinus, & potissimum in libris de baptismo contra Donatistas. Porrò eiusmodi traditiones quantumlibet vetustas nullus vnquam Catholicus approbandas docuit. Et putidum mendacium est quod scribit Illyricus: Papam cum suis seductoribus Christianum populum ab illa vnica

lucerna diuinitus pedibus nostris propofita ad hominum commentitias traditiones adducere: cum vniuerſi Catholici & id ingenuè ſemper profeſſi ſint, & adhuc profiteantur, in omnibus quaëtionibus & dogmatibus de religione, imprimis conſulendam eſſe, & ſequendam verbi diuini lucernam. Id tamè admonètes, vt diuino canoni rectè intelligendo, eccleſiaſtici & Catholici ſenſus regula ſemper adhibeatur. & eas traditiones quæ ab ipſo naſcētis eccleſiæ exordio ſemper obſeruatæ eſſe, certis & ſolidis antiquitatis teſtimonijs conſtat, non eſſe reiſciendas, etiãſi ſcriptę in verbo Dei non cõperiuntur.

Nihilo plus ad propoſitũ Illyrici faciunt ſententiæ, quas ex euangelijs Lucæ & Matthæi producit. *Abrahamus, inquiens, nos ablegat ad Moſen & Prophetas: & Chriſtus dicit inde eſſe omnè errorem, quod Sadducæi ſcripturã errantes ignorent.* Cõfitemur enim, eos qui de ſalute ſua, vel de corrigèda vita, vel de corrigèdis manifeſtis in fide erroribus (qualis erat: reſurrektionis corporũ abnegatio) ſatagunt, imprimis ad ſcripturas propheticas & apoſtolicas tanquã ad certiffimã regulã veritatis adducèdos eſſe, vt ex ijs & fidei veritatẽ diſcãt, & rationẽ ſimul & affectũ emèdandæ vitę hauriãt. Verũ ex eo conſequẽs nõ eſt, quod quicquid extra ſcripturas fidei populo cõmèdatur ad religionis ædificationẽ, id ſpernatur & abiiciatur.

Chryſoſt.
ſententia.

Citat præterea Chryſoſtomum dicentem: inde eſſe omne malum. inde ſcilicet, quòd ſcripturam ignorant fideles populi. & indicat in mar-

margine loca. concione 3. de Lazaro. homilia 16. in Ioannẽ, homil. ad Coloffenſes: Et ſimiliter Origenis homiliam quintam in Leuiticum. *Origenes.* Verum lectorem Chriſtianum oro, vt non grauetur ipſa loca fideliter indicata & annotata inſpicere. Id ſi facere non grauabitur, manifeſtiſſimè deprehendet, non aliud illis locis Chryſoſtomũ agere, quàm vt exhorretur Chriſtianum populum & auditores ad lectionem ſacrorum librorum: vt quando conueniendum erit ad ſacros conuentus, præparati ſint ad facilius intelligèda quæ epifcopus explanaturus eſt: deinde vt ex apertiffimis ſcripturarum locis pharmaca aduerſus animæ morbos & vitæ vitia ſemper hauriat. Origenes vero lectorem dehortatur, ne improba curioſitate ad ea quoq; intelligenda perumpere velit, quæ potius Deo cõmittenda ſunt, quàm ab homine fragili in hac caligine ſcrutanda. Quod haudquaquam is facere putandus eſt, qui dogmata quædam, etiamſi ſcripta non ſint, ex fidei totius antiquitatis teſtimonio recipit, nec audet contènerè. Et quæſo te Chriſtiane lector, quomodo ſententiæ Chryſoſtomi & Origenis contra traditiones apoſtolicas non ſcriptas adduci ſine peſſima fraude poſſunt? quorum vtrumq; conſtat diſertiffime non ſcriptas traditiones approbare, commendare: imo & ex eis fidei dogmata confirmare. Nã Origenes paruulorum baptiſma magis ex traditione apoſtolica, & obſeruatione vniuerſę eccleſię Catholice, quã ex ſcripturarũ apertis & neceſſarijs

Orig. lib.
5. in epift.
ad Rom.
& ſuper
Leuit. ho-
milia 8.

testimonijs. Chrysoſtomus verò palam pronūciat in commentario epiſtolæ ad Corinthios, & in epiſtola ad Theſſalonicenſes: quod non omnia per epiſtolam, ſed multa etiam ſine literis apoſtoli Chriſti tradiderunt. Eadem verò fide digna eſſe tam iſta quàm illa. Traditio, inquit, eſt, nihil quæras amplius.

Irenæus.

Irenæum quoque contra traditiones producere, mirandum qua fronte aut potius fraude audeat, cum notiffimum ſit eum eſſe ſcopum doctrinæ ſanctiffimi martyris, vt ex orientibus in eccleſia hæreticis, cū quibus fruſtra ex ſcriptura certatur, eò quod vel ſcripturâ ipſam totam, vel eius partem non recipiant, vel pravis & falſis interpretationibus depravent, quas recipiunt, ad eccleſiarum apoſtolicarum traditionem confugiamus, atque ab ea non vnus aut alterius dogmatis veritatem petamus, ſed vniuerſam religionis doctrinam deſumamus. Eccleſiam enim eſſe diues illud deſitorium, in quod theſauri vniuerſi ſanctæ & diuinæ doctrinæ reſoſiti ſint. Et quamvis præcipua doctrinæ capita in ſcripturam collata ſint, quando de ijs quoque hæreticorum improbitas quæſtiones commouet, traditionem eccleſiarum conſulendâ eſſe. Conſidera quæſo Chriſtiane lector, num qui ſic prædicat eccleſiarum traditionem, vt inde velit ſumi dogmatum veritatem, merito citari poſſit tanquam aduerſarius & improbator traditionum apoſtolicarum non ſcriptarum.

DE

DE LIBERO ARBITRIO
ET PECCATO ORIGINALI.

CAPVT III.



IN tertio capite approbaui quidē quod habet Confefſio: In renatis etiam quicquid adhuc de veterē Adam ſuperēſt, id totū eſſe Deo inimicum, ac contra Deum militans ſecundum ſententiā Pauli: Video aliā legē in membris meis repugnantē legi mentis meę, & captiuantem me in lege peccati. item: Caro cōcupiſcit aduerſus ſpiritū, & c. Sed non ſcripſi: Quicquid adhuc in veterē Adā ſuperēſt, id totū eſſe Deo inimicū, ac contra Deū militās. Aliud enim eſt in veterē Adā aliquid ſuperēſſe: de veterē Adam, hoc eſt, ex corruptione veteris Adam: aliud, ſimpliciter aliquid in eo ſuperēſſe. non quidem ex ipſa corruptione, ſed ex conditoris naturæ humanę prima institutione. Quod rectē animaduertit Auguſtinus, quando ſcripſit: non vſque adeo in natura humana imaginem Dei terrenorum affectuum labe detrita eſſe, vt nulla in ea velut lineamenta extrema remanſerint. Vnde meritò dici poſſit, quędam eſſe facta etiam impiorum hominum, nec Deum verum veraciter iuſteque colentium, quę ſecundum iuſtitie regulam non ſolum vituperare non poſſumus: verum etiam meritò recteque laudamus. Quanquam ſi diſcutiatur quo ſine

Rom. 7.

Galat. 5.

Auguſt. de ſpir. & lit. cap. 17. 28.

G v fiant,

fiant, vix inveniuntur quæ iustitiæ debitam laudem defensionemve mereantur.

Confitemur itaque in vetere Adamo nullas bonas vires superesse ad spirituales & salutares religionis actiones aut motus efficiendos: sed quod nullæ remanerint naturales vires, ad naturale saltem aut morale aliquod bonum opus: id non scripsimus, sed reliquimus eam disputationem doctis viris adhuc liberam & integram.

Deinde quod scripserā, admirari me quod non apertam sententiam pronunciaret Confessio de reliquijs peccati remanentibus in renatis, an pro veris peccatis eas haberet: *Respondet Illyricus se contra mirari, quod cum de ea re aduersarij hætenus cum Catholicis vehementissime depugnauerint, nos possimus habere aliquid pro inimico Dei, perpetuoque contra eum militante, cuique Deus irascatur, quod tamen non sit peccatum. Itaque satis istas significantes voces (Inimicum Deo, & perpetuo contra eum militans) declarare, quod illas reliquias tanta pestis pro veris peccatis haberent, eoque de illis perpetuam condonationem precario querendam, mendicandamque esse. Iam ergo tenemus de reliquijs peccati in renatis certam Confessionis sententiam. Eas scilicet vera peccata esse, pro quorum condonatione perpetuo Dei misericordia sit imploranda.*

Huic sententiæ, quam satis suspicabar in verbis confessionis contineri, obieci efficaciam baptismi, qui secundum scripturas confertur, in remissionem & expurgationem peccatorum, & non tantum ad non imputationem: at respondet Illyricus: *Fieri ita in baptismo sœdus cum Deo ad condonationem*

An reliquia peccati in renatis sint vera peccata.

Cauillatio Illyrici.

natione præteritorum peccatorum, ut quoties vigore illius sœderis condonationem peccatorum petierimus, consequamur: non autem simpliciter, ut nullum nostrum malefactum, vel mala qualitas aut corruptio impostum habeat veram peccati rationem. Confertur enim, inquit, baptismus ac spiritus sanctus ad expurgationem originalis peccati: tum ut paulatim ea pestis debilitetur ac mortificetur: tum ut semper peccati condonetur: non autem ut profusus, uno momento tollatur.

Confutatio cauillationis.

Verum aduersus hæc cauillationem certa & perspicua responsio est: Spiritum sanctum in scripturis discrete pronuciare fideles ac penitentes baptizari in remissionem peccatorum: non autem in sœdus & pactum cum Deo, ut quoties peccatorum condonationem petierint consequantur: sed in ipsam condonationem peccatorum. Et quis obsecro, verborum perspicuorum spiritus sancti tam impudentem & audacem deprauationem in ecclesiam Christi induci patienter sustineat, qua remissio peccatorum exponitur, sœdus de condonatione & remissione consequenda, quoties eam fideles petierint? Quoniam loco scripture, quæso, remissio peccatorum sic accipitur, dum toties a Christo penitentibus & credentibus facta commemoratur? Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Remissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multum. Quorum remisistis peccata remittuntur eis, & innumeris alijs locis. Hæreticum igitur commentum hoc est, & figmentum, ab omnibus piorum auribus procul reiiciendum. Et retinenda est simplex & genuina confessionis nostræ doctrina: Baptismum conferri in remissionem peccatorum, quia omnia peccata, & quicquid veram

*Matth. 8.
Luc. 7.
Ioan. 20.*

veram peccati rationem habebat, in ipso sacro baptismo verè remittitur & condonatur. Et si quid adhuc in baptizato reliquū remanet post baptismū, id amplius peccati rationē nō habeat.

Catholicam hanc sententiam confirmaueram per Apostoli sententiam, qua in Epistola ad Romanos disputationem de reliquijs post baptismum in iustificatis permanentibus concludens dicit: Nihil igitur damnationis est ijs qui sunt in Christo Iesu, scilicet, tamen si lex membrorū repugnet legi mentis, & carne seruire cogātur legi peccati. Si nulla est damnatio propter inhabitans peccatum, peccatiq̄ reliquias, scilicet apud iustum iudicem Deum: non sunt igitur reliquiæ peccati simul cum peccato, vera peccata. verum enim peccatum apud iudicem Deum, cui odio est omnis iniquitas, necessario parit condemnationem, nisi remissio à misericorde Deo impetretur. Porro de remissione à Deo petenda verbū nullum facit Apostolus.

Sed rursus Christiane lector deprauationem Paulinæ sententiæ considera. *Hoc Pauli dictum itidem, inquit Illyricus, intelligi debet ea solum ratione, accedente videlicet petitione remissionis peccatorum per Christum, seu quatenus fide subinde lauant se ac suas stolas in sanguine Christi, seque eo subinde mundant ab omnibus suis peccatis. Nulla ergo damnatio est in renatis, non simpliciter ac per sese, sed per accidens: quatenus scilicet peccator se aspergit sanguine Christi, petendo vigore fœderis in baptismo initi propter eum, condonationem omnium peccatorum actualium, & etiam remanentis*

Rom. 7.8

Tractatur
scriptura:
Nihil dā-
nationis
est ijs qui
sunt in
Christo
Iesu.

Cauilla
tio.

mentis originalis. Nulla est ergo damnatio, nempe Deo misericorditer subinde remittente, non imputante: ac contegente peccata nostra, ac non intrante in iudicium cum seruis suis condonationem petentibus.

Quæso te Christiane lector considera attentius: quomodo hi qui tantopere celebrare videntur Dei scriptum verbum, illud sacrilegè detorquent ad suas hæreses: dum audent scribere, Paulinam sententiam: Nulla ergo damnatio est ijs qui sunt in Christo Iesu: scilicet propter inhabitans in carne peccatum. nō simpliciter, ac per sese veram esse, sed tantum per accidens, hoc est, per accidentem petitionem remissionis peccatorum. De qua petitione nullum profus verbum hoc loco fit à Paulo. Et prodigiosa profus est doctrina: Peccatum in carne habitans egere subinde remissione peccatorum, tanquam verum peccatum. Cur non potius assidua eget remissione, si semper manens, semper peccatum est? Verum has diuini verbi deprauationes apostolus fatiis exclusit, quando rationem reddens, quare nulla damnatio est renatis propter peccatum inhabitans, subiicit: Lex enim spiritus vitæ liberauit me à lege peccati & mortis. Quibus verbis docet, quod ideo nulla est iustificatis propter legem membrorum damnatio, quia spiritus sanctus legē charitatis inscripsit mentibus eorum. quæ eos planè liberōs facit ab omni potestate, iure, & damnatione legis peccati & mortis. Idcirco igitur nulla est damnatio, quia lex spiritus san-

Confutatio.

Rom.8.

ti

Et facit mentem dominatum obtinere, ut neque consentiat, neque obediat legi peccati & membrorum. Hoc ipso igitur quo donata est baptizato lex spiritus sancti, facta est peccatorum omnium remissio, & sublata damnatio. Nec nisi propter nova peccata cum consensu mentis facta, opus est baptizato vlla petitione remissionis.

Peccati reliquias post baptismum peccata non esse. Libro de perfect. iustitie.

Porro ut plane cernat lector, Illyrici doctrinam hanc de reliquijs peccatorum, quod vera peccata sint, perpetuoque de illis condonatio quaerenda sit, iam olim ab orthodoxis scriptoribus damnatam esse, etiam dum de istis reliquijs cum Pelagianis disputant, vnam aut alteram Augustini sententiam subiiciam: Si quis, inquit, asserit illud Ioannis: Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus: de illo peccato esse dictum, quod habitat in carne mortali nostra, secundum vitium quod peccantis primi hominis voluntate contractum est. Cuius peccati desiderijs ne obediamus, apostolus Paulus precepit: non autem peccare eum, qui eidem peccato in carne habitanti ad nullum opus malum omnino consentit, vel facti, vel dicti, vel cogitati, quamuis ipsa concupiscentia moueatur, quae alio nomine peccati nomen accepit. quod ei consentire, peccare sit, nobisque moueatur inuitis. Subtiliter quidem ista discernit, sed videat quid agatur de oratione dominica, vbi dicitur: Dimitte nobis debita nostra. Quod, ni fallor, non opus esset dicere, si nun-

nunquam vel in lapsu linguae, vel in oblectanda cogitatione eiusdem peccati desiderijs aliquantulum consentiremus: sed tantummodo dicendum esset, Ne nos inferas in tentationem. Sed libera nos a malo. Et rursus alibi: Nec propter ipsam concupiscentiam, cuius iam reatus lauacro regenerationis absumptus est, dicunt in oratione baptizati: Dimitte nobis debita nostra: sed propter peccata quae sunt in eius consensionibus, cum ab eo quodlibet vincitur quod placet, siue cum per ignorantiam malum quasi bonum placet. Et alibi: Quamuis insint dum sumus in corpore mortis huius, desyderia peccati, si nulli eorum tamen adhiberemus assensum, non esset vnde diceremus patri nostro qui est in caelis: dimitte nobis debita nostra. Haec testimonia credo tam firma & perspicua sunt, ut nemo nisi peruersus prorsus & maliciosus ea eludere, & in peruersum sensum detorquere possit. Pluraque alia testimonia adduci possent, si instituti huius ratio plenam disputationem & inquisitionem admitteret.

Aug. contra 2. epist. Pelag. lib. 1. cap. 13.

Epist. ad Afellicum 300.

Potest quoque Illyricus videre, ab Augustino responsum esse ad quaestionem quam proponit.

Cur, inquit, alioqui (nempe si reliquiae peccati originalis, peccata non essent in iustis) tam sollicitè nos Christus omnibus quasi horis iussisset iterare: Remitte nobis debita nostra: si nihil plane esset damnabile in nobis? & cur Ioannes diceret:

Quaestio Illyrici.

Matth. 6.

Si

1. Ioan. 1.
Respondet
August.

Si negamus nos peccatum habere, fallimur, & veritas non est in nobis. Respondet enim Augustinus, quod concupiscentia assidue in nobis moueatur inuitis, ac proinde extorqueat subinde aliquem consensum in excitatis desiderijs prauis. Ideoque opus esse vt crebro iteremus illud praecationis dominicæ: Remitte nobis debita nostra. Non autem id dicendum esse propter ipsam concupiscentiam, quæ nobis mouetur inuitis, suosq; prauos motus operatur: sed propter consensum, quem mens negligentius agens illis accommodat.

Cauillatio.
Rom. 7.
Sub Paulo 3. selsio
ne 5.

At Paulus, inquit Illyricus, eo ipso loco, quo de malo carnem inhabitante agit, testatur, illud remanens malum, esse peccatum. Qua ergo eadem audacia patres Tridentini, adferunt Paulum id improprie vocare peccatum: aut vnde tandem probant suam impiam glossam Paulinum textum euerbentem?

Dilutio.

Respondeo, hanc glossam non Papistarum figmentum esse: sed esse verissimum commentarium à catholicis in hunc Pauli textum diligenter traditum, & potissimum ab eruditissimo, & scripturarum peritissimo interprete diuo Augustino, qui constanter quamplurimis locis affirmat: Concupiscentiam in renatis non alio modo peccati nomen obtinere, quam quia eius desiderijs consentire, peccare sit: hoc est, quia vel peccati causa sit, vel à peccato ipsa facta sit. Vide Augustinum libro 1. de nuptijs & concupiscentia cap. 23. item lib. 1. contra 2. epistolam Pelag. cap. 13. item lib. 2. contra Iulianum

Aug. loca,
in quibus
dicit Con-
cupiscentiam
in
renatis non
esse peccatum.

num cap. 9. lib. 1. retract. cap. 15. lib. 3. de libero arbitrio cap. 1. de perfectione iustitiæ lib. 2. contra Iulianum cap. 10. Atque hanc glossam & interpretationem hausit & didicit ab ipso Paulo: Qui cum de malo carnem iustorum inhabitante, & de lege membrorum repugnante legimentis prolixè differuisset, tandem sermonem conclusit in hæc verba: Igitur ego ipse mente seruido legi Dei, carne autem legi peccati. Nihil ergo damnationis nunc est ijs qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant. Non igitur Illyricus patrum Tridentinorum impiam audaciam infectetur. Si suæ salutis consultum vult, studiose emendet se, & catholicorum doctorum consensui concordi potius quam Lutheri prophanæ nouitati consentiat.

Postremò, quod scribit se mirari quòd possit haberi aliquid pro inimico Dei, perpetuoque contra eum militante, cuique Deus irascatur, quòd tamen non sit peccatum: Desinet mirari, si integro & sincero animo legere non pigebit plurimos de ea quæstione tractatus eruditissimi Augustini: præsertim quos scripsit contra Iulianum libri sexti cap. 5. & lib. 2. cap. 3. In quibus diligentissimè tradit discrimen inter vitium & peccatum. Sed de hac quæstione plenius Deo dante dicemus in defensione decretorum Concilij Tridentini, contra examen & censuras Martini Kemnicij.

Sed iam accedendum est ad excutiendam doctrinam de synergia siue cooperatione liberi

H arbi-

Quomodo fieri possit vt malum prauans cum lege Dei non sit peccatum.

Cōfessionis verba de cooperatione arbitrij. arbitrij: De ea igitur Confessio sic habet: Damnamus impiam synergiam olim per Pelagij sectatores, teste Prospero, excogitaram, & nunc per Interim denuo fuscitatam, ac ecclesias quaedam turbantem, & per Concilium Tridentinum confirmatam.

Canon. 4. sess. 6. Quæ doctrina vt rectè intelligeretur, subiecti statim canonè concilij Tridentini: Si quis dixerit, hominis liberū arbitrium à Deo motum & excitatū nihil cooperari, assentiendo Deo excitari atq; vocati, quo ad obtinendā iustificationis gratiā se disponat ac præparet: neq; posse dissentire si velit: sed velut inanime quoddā nihil omnino agere, mereque passivè se habere, anathema sit.

Articulus 18. Confessionis August. Hic primum contra doctrinam Confessionis, obiecti Confessionis Augustanæ, (quam se sequi, & cui se assentiri profitentur Cōfessionis auctores) articulum decimum octavū, in quo sic scribitur: De libero arbitrio docent, quod humana voluntas habeat aliquam libertatē ad efficiendam civilem iustitiam, ad deligendas res rationi subiectas: sed nō habeat vim sine spiritu sancto efficiendæ iustitiæ spiritualis. quia Paulus dicit: Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei. & Christus: Sine me nihil potestis facere. Efficitur autem spiritualis iustitia in nobis, cum adiuuamur à spiritu sancto. Vbi ex verbo adiuuandi, inferebā cooperationē liberi arbitrij in opere salutis & iustitiæ, cū adiutorio spiritus sancti, iuxta ratiocinationē diui Augustini in lib. de grat. & lib. arb. cap. 18. Hic respōdet Illyricus.

Pri

Primum, id verbum non esse in veteri genuinaque Confessionis Augustanæ additione: sed postea insertum esse non de cōmuni consensu. Id Illyrice verūne sit an falsum, & an per vos postea expunctum sit, quod vestræ causæ obesse videbatis, non magnopere laboro. Id saltem negari non potest, hoc in ea scriptum esse: Sed non habet vim sine spiritu sancto efficiendæ iustitiæ Dei, siue iustitiæ spiritualis. In quibus verbis profus id insinuat quod insertū dicitis: Iustitiā spiritualem adiuuante spiritu sancto effici in nobis. Qui enim dicit liberū arbitrium eam vim nō habere sine spiritu sancto, subindicat eam vim libero arbitrio inesse, adiuuante spiritu sancto.

Secundò, Cum scriptura loquitur de auxilio Dei, inquit Illyricus, plerumq; totam actionem, plenamque liberationē soli Deo tribuit. Sic Deus dicitur esse adiutor in opportunitatibus, id est, liberator. sic Christus dicit: Sine me nihil potestis. Non id volens dicere, quod ipsi quoq; aliquid possint, si ab ipso adiuuentur. Sed similitudine vitis ac palmitū abundè ostendens, illos nihil plane habere, quod de sua plenitudine nō acceperint: quia palmites et oriātur & alatur ex vite, & ab ea semper sustententur.

Sed summæ incitię est, aut potius deploratę malitiæ, ea deprauatio sententiæ Christi. Manifestissimum est enim per eam similitudinē vitis & palmitum docere Christum, quod si discipuli in ipso tāquam vite manerent, possent multum fructum ferre. & proinde non modo aliquid possent, sed multum, si in eo manentes ab eo adiuuantur. Qui manet in me, inquit, & ego

H ij in eo,

Psal. 9.

Confutatio securi de castigatione.

Ioan. 15.

*Sophis-
ma pudē-
dum.*

in eo , hic fert fructum multum : quia sine me nihil potestis facere. Mecum ergo, hoc est, meo auxilio adiuti, multum potestis facere . Et sophisma est plenum imperitiæ , & detestatione dignum. Apostoli nihil plane habent quod de plenitudine Christi non acceperint : sicut palmes vitam & sustentationem omnem habet ex vite: igitur non licet dicere, quod ipsi quoque apostoli aliquid possunt si à Christo adiuventur. Imo ex eo quod iussi à Deo adiuuantur, conclusionem plane contrariam inferre cōsuevit Augustinus. Adiutor noster est , inquit, Deus. Nec adiuuari potest, nisi qui aliquid sponte conatur , quia non sicut in lapidibus insensatis , aut sicut in eis, in quorum natura rationem voluntatemque non condidit , salutem nostram Deus operatur in nobis. Et pudendæ sanè imperitiæ est, ideo homini actionem non competere , quia tota actio Deo tribuitur. Sic enim gratiæ adiutorium & liberum arbitrium ad actionem bonam concurrunt. non ut partim sit Dei, partim verò hominis : sed ut tota sit Dei , & tota sit hominis. Sed hominis non sit, nisi ex Deo operante eam per hominem, hoc est, faciente hominem ea operari. Sunt quidem actionis bonæ duæ causæ, gratia Dei & liberum arbitrium: sed liberum arbitrium omnem operandi vim habet ex Dei gratia. Scriptura ergo diuina agens de auxilio Dei in bonis hominis operationibus, omnino significat hominis cum Deo synergiam & cooperationem. Sed dices
for-

Aug. lib. 2
de meritis
cap. 5.

fortassè, Illyricum, dum scripsit apostolos nihil posse, si ab ipso Christo, tanquam palmites in vite manentes, adiuuentur, intellexisse, quòd nihil ex seipsis possint: sed quicquid possint, ex ipsius vitis vigore accipere. At si hoc velit, veram quidem tenet sententiam. Sed iniuria reprehendit Concilij decretum, quod disertè habet: Ex se hominem neque credere, neque preparare se ad iustitiam, neque Deo iustificanti cooperari posse, sed omnem sufficientiam nostram esse ex Deo.

Secundo, citavi apertissimam scripturam Philip. 2. Pauli: Cum metu & tremore vestram salutem operamini. Deus enim est qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate. Et addidi testimonium Augustini ex libro de gratia & libero arbitrio cap. 15. In quo manifestissime ex scripturis demonstrat homines in operibus ad pietatem & religionem pertinentibus per liberum arbitrium aliquid facere, & Deo cooperari. Quibus testimonijs conuictus Illyricus ingenuè confitetur reuera eam esse Augustini sententiam, quod postquam Deus nos cōuertit, nobisque bonum velle ac posse donauit, tum demum cooperemur spiritui sancto ad bonum. de quo, inquit, nulla plane lis est. *Non enim lis est, inquit, an liberum arbitrium sanatum, postquam diuinitus accepit bonum velle ac posse, queat aliquid spirituale cooperando Deo prestare: sed ante sanationem cum adhuc merè naturale, animale & carnale est. nam de eo confessio loquitur.*

*Illyrici
confessio
de coope-
ratione
hominis
iusti in
operibus
bonis cū
auxilio
gratiæ
Dei.*

Hanc Confessionem libenter amplectimur. Sed si tantum de cooperatione liberi arbitrii nondum per gratiam sanati, & nondum iustificati Confessio loquitur, eam restrictionem debet verbis expressis lectori infinuasse.

Synergiā agnoscit Illyricus in operationibus iustificationum.

Quando ergo iam habemus apertam Illyrici confessionem, quod liberum arbitrium sanatum gratiæ Dei cooperatur in operibus bonis: quodque synergia saltem in operibus iustificationum & renerationum agnoscenda sit & probanda: id vñ superesse video vt demonstremus, in ipsa quoque preparatione, qua homo præditus iā in fide se ad accipiendam iustitiā preparat & disponit, imo in ipsa quoque prima conuersione, atque adeo fidei susceptione, liberū arbitriū seu voluntatē hominis Deo cooperari, & proinde ibi quoque synergiā liberi arbitrii consistendā esse. Quod si demonstrare potuerimus, defensum erit decretum Concilij aduersus suggillationem & calumniam Illyrici.

Cautione Illyrici.

An synergia liberi arbitrii sit agnoscenda in vocatione fidei & præparatione ad iustificationem.

Ac primum hic acerbè & seuerè me reprehendit Illyricus. *Illud, inquit, plane prodigiosum est, quod homo tam doctus & ingeniosus nō animaduertat se in hoc capite sibi metē fœdissime contradicere. Dum primò quidem confitetur nostram sententiā de libero arbitrio, aut viribus veteris Adami, cōsentire cum Paulo: quod videlicet adeo præua & peruersa sint, vt sint etiā inimica Deo, & perpetuò contra Deum pugnent et militēt. Tamē aliquanto post cū suo Concilio audet eis tribuere synergiā aut cooperatiōē cū spiritu sancto in spiritualibus actionibus, hominis cōuersione. Quomodo quæso id cū Deo & pro deo agere ac militare potest, quod sua natura pessimū,*

Deo

Deo infestissimum, & perpetuo contra eū militās est? Sic iste tantus magister noster, & promachus seu antesignanus caterua aduersaria seipsum, suoque gladio iugulat, dum contra manifestam veritatem cōfigere, ac spiritum sanctum eam verbo Dei asserentem redarguere conatur.

Consultatio.

Audisti lector Christiane magnificū triumphū Illyrici. Sed considera obsecro quā solidus sit hic triūphus, qui ex putidissimis calumnijs cōflatus est. Excæcat te Illyrice studiosa ista malitia, qua nihil te pudet in causa tā graui, & reprehensione tam acerba, fœdissimè mentiri. Vbi enim legitur à me scriptum, quod viribus veteris Adami, corruptis scilicet, & perpetuo aduersus Deum militatibus, tribuerim synergiā aut cooperationē cū spiritu sancto in spiritualibus actionibus, aut hominis conuersione? Citavi sententiā Augustini ex libro de gratia & libero arbitrio cap. 16. In qua eruditissimus ille scriptor ex scripturarū testimonijs multis, demonstrat non esse putandum, homines nihil in operibus ad pietatem & religionem pertinentibus per liberū arbitriū facere. Et dilertè mentionē facit operum nō tantū, quibus homo iam iustificatus & sanctificatus bene viuit, sed etiā eorū quibus homo ad accipiendā iustitiā disponitur & præparatur, dū has scripturas citat: Nolite obdurare corda vestra. item: Projicite à vobis omnes impietates vestras, quas impiè egistis in me. &c. Facite vobis cor nouū & spiritū nouū. Cōuertimini, & viuetis. Cōuertimini ad me, & ego cōuertar ad vos. Ex qua sententiā vna cū testimonijs diuinis

Psal. 49. Ezech. 18.

H iij in ea

in ea positis conclusionem intuli: Catholicam esse Concilij doctrinam, qua synergiam liberi arbitrij cum spiritu sancto, non tantum in operibus iustificatorum & sanatorum, sed etiam in operibus, quibus homines ad accipiendam iustificationem disponuntur & preparantur, iuxta diuinorum ibi positorum testimoniorum doctrinam. Sed ubi o bone audijsti, vel me, vel Augustinum, vel denique Concilij patres dicentes, quod viribus Adami prauis & corruptis, spiritui sancto in eiusmodi operibus cooperaretur? Sicut ergo ipse tu dum confiteris liberi arbitrij iustificati & sanati vires cooperari spiritui sancto, non intelligis, ut opinor, vires illas veteres veteris Adami, sed nouas & spirituales per spiritum iustificationis & renouationis infusas & inspiratas: Ita Catholici iuxta spiritus sancti testimonia docemus, homines fide imbutos poenitentiam agere, conuertere se ad Deum, abicere a se iniquitates, facere cor nouum & spiritum nouum, preparare corda sua ad accipiendam gratuitam iustificationem, non per vires illas veteres veteris Adami, quae semper luctantur aduersus legem mentis: sed per vires nouas, quas spiritus sanctus pulsans corda eorum, & ad poenitentiam veram, ac preparationem legitimam inuitans & trahens, efficit, suggerit, & inserit eorum voluntati, cooperatur homo spiritui sancto in huiusmodi spiritualibus operationibus. Non enim, inquit Augustinus, sicut in lapidibus insensatis, aut sicuti in eis, in quorum natura rationem, vo-

Augustini
illustri
sententia
de pecca-
to meri.
lib. 2. ca. 5.

lunta-

Iustitiamque non condidit, salutem nostram Deus operatur in nobis (quod magister vester Lutherus impie docet) sed in nobis ex iudicio rationis, & cum consensu in nobis salutem operatur. Et crebro testatur Augustinus, quod ad conuersionem Deus homines non solum inuitet, sed etiam adiuuet: Conuersos ergo, inquit, Deus adiuuat, auersos deserit, sed etiam ut conuertamur ipse adiuuat. quod certe oculis corporis lux ista non praestat. & rursus: Quod a Deo nos auertimus, nostrum est: & haec est voluntas mala. Quod vero ad Deum nos conuertimus, nisi ipso excitante atque adiuuante non possumus, & haec est voluntas bona. & rursus: Quamuis etiam, nisi adiuuante illo, sine quo nihil possumus facere, os non possumus aperire, hoc est, cor preparare: tamen nos aperimus, illius adiumento & opere nostro. implet autem illud dominus sine opere nostro. Opinor iam satis demonstratum, quod non solum in operibus bonis iustificationis cooperatur Deo, sed etiam quod in preparando corde suo & disponendo peccator poenitens spiritui sancto cooperatur.

Ibidem.

Eodem libr.
cap. 18.

Aug. contra
2. epist.
Pelag.
cap. 8.

Id vnum superesse video, ut idem de ipsa quoque fide demonstremus. Apertam hac de re sententiam habemus Christi apud Ioannem, in haec verba: Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam aeternam, quem filius hominis dabit vobis. hunc enim pater signauit Deus. Dixerunt ergo Iudaei ad eum: Quid faciemus ut operemur opera Dei? Respondit Iesus, & dixit

Ioan. 6.

H v
eis,

eis, Hoc est opus Dei, vt credatis in eum quem misit. Ex hac sententia clarissimè constat, credere in Christum, esse opus Dei, pariter & hominis, & in opere illo hominem Deo cooperari. Vnde Augustinus tractans illud, Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet: sic dicit: Apostolū audiamus: Credenti, inquit, in eū qui iustificat impiū, deputatur fides eius ad iustitiā. In hoc opere facimus opera Christi, quia & ipsum credere in Christum, est opus Christi: hoc operatur in nobis, nō vtq; sine nobis. & rursus: Operate in se Christo, cooperatur homo ad salutē eternā, & iustificationē suā. Et alibi: Vtrūq; tam scilicet credere quā operari, nostrū est propter arbitriū voluntatis: & vtrumq; tamē datū est per spiritū fidei & charitatis. & rursus: Vtrūq; quidē ipsius est, quia ipse præparat voluntarē: & vtrūque nostrū, quia non fit nisi voluntibus nobis. Quib⁹ porro viribus homo cooperetur Deo in spiritualibus actionibus, disertè tradidit Augustinus: Certum est, inquit, nos velle cū volumus: sed ille facit vt velimus. De quo dictum est: Deus est qui operatur in nobis velle. Certū est nos facere cū facimus: sed ille facit vt faciamus, præbēdo voluntati vires efficacissimas. qui dixit, faciam vt faciatis. Et rursus alibi: Facit, inquit, homo arborem bonam, quando Dei accipit gratiam. Non enim se ex malo bonum per seipsum facit, sed ex illo, & per illum, & in illo qui semper bonus est: nec tantum vt arbor sit bona, sed etiam vt fructum

Aug. trac.
72. in Ioa.

Augus. de
prædest.
sancti. ca-
pit. 3.

Ibidem
cap. 9.
Aug. de
gratia &
lib. arbit.
cap. 16.

Aug. de
gratia
Christi
cap. 19.

faciat bonum, eadem gratia necessarium est vt adiuuetur. Deo igitur in ipso operante facit ex arbore mala bonam. Cooperatur igitur homo Deo etiam in sui cōuersione, siue ad fidem, siue ad pietatē. Sed neque conuersionē, neq; credere, ipse operatur homo, nisi per præuenientē gratiā, quæ vires inspirat: vt & credat, & ad Deum se conuertat. Illa verò sententia, quæ alicubi extat apud Augustinū (Ipse vt velimus operatur incipiens, qui voluntibus cooperatur perficiens. Vt ergo velimus sine nobis operatur: cū autem volumus, & sic volumus vt faciamus, nobiscū cooperatur. in qua videtur dicere, quod bonū velle Deus operetur in nobis, sine nostra cooperatione) quā intelligentiam habeat, ipse eodē libro expressè insinuat, quando inter fidē & operum perfectionē distinctionē posuit: Fides, inquit, & non petita conceditur, vt ei perentia alia cōcedantur. & rursus: vt Paulus vocaretur, & tam magna & efficacissima vocatione conuerteretur, gratia Dei erat sola, quia merita eius erant magna, sed mala. Est igitur sensus dicti illius, vt velimus, sine nobis operatur: cū autē volumus, & sic volumus vt faciamus, nobiscum operatur. Quod velle Deus operatur in nobis, & credere sine nobis, quia ipsum credere datur nobis non petentibus, non conātibus, nō studētibus illud à Deo impetrare: sed vires ad bene pieq; viuēdū datur nobis nō quidē dormiētibus aut nihil agētib⁹, sed inuocātib⁹, & expectētibus. De quo copiosior erit explicatio in defensione

Augus. de
gratia &
liber. arb.
cap. 17.

Ibidem
cap. 15.

Ibidem
cap. 5.

decre-

decretorum Concilij Tridentini, contra censuras & examina Kemnicij.

Auguf. de peccat. meri. cap. 5. & 18.

Iam de conuerfione, & fcripturarum & Auguftini funt perfpicua testimonia. Quod ad Deū conuertimur, inquit Auguftinus, nifi ipfo excitante atque adiuuante non possumus. rursus: Etiam vt conuertamur ipse adiuuat. Et fcriptura dicit: Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. Et absurdum prorsus Lutheri est paradoxon: Liberum arbitrium, in actionibus præsertim spiritualibus, habere se mere passiuè: cum euidētissimum sit, neque credere ipsum, neque conuerfionem ad Deum fieri in libero arbitrio sine cogitatione mentis, & consensu volūtatis.

Decretū Concilij Trident. de cooperatione defenditur.

Auguf. de prædest. sanct. ca. 5

Hæc cum ita se habeant, confido Illyricum æquiores iam factum decreto Cōcilij de synergia liberi arbitrij, siue cooperatione cum Deo in actionibus spiritualibus, tam quantum ad conuerfionem ad Deum, quàm ad operationes post iustificationem: quando perspicuè iam demonstratum est verbum nullum esse in ipso decreto, quod in sententijs Auguftini propositis nō reperiatur, quodq; ille ex testimonijs fcripturæ non confirmauerit. Confido quoque quod iam animaduertat, quàm immerito me hominem, vt dicit, tā doctū & ingeniosum traduxerit, tanquā fœdissimè mihi ipsi contradicentem, & me ipsum proprio gladio iugulantem: cum ipse potius magnæ imperitiæ & iniustissimæ calumniæ conuictus sit. Optimè nouimus Catholici doctrinā illam illustrem Auguftini tractantis Apostoli dictum:

dictum: Quis enim te discernit? quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? sic inquentis: In hac apostoli euidētissima intentione, qua contra humanam superbiam loquitur, ne quisquam in homine, sed in Deo gloriatur, dona Dei naturalia suspicari, siue ipsam totam, perfectamque naturam, qualis in prima conditione donata est, siue vitiatæ naturæ qualescunque reliquias, videlicet ad efficiendas operationes aliquas pietatis, nimis absurdum est. Omnes itaque vires ad quaslibet pietatis & religionis actiones à Deo donari, & non inesse vitiatæ naturæ, rectè intelligimus.

Postremò, confido quod iam cognoscit lector me non esse promachum & antesignanum cateruæ resistentium veritati per spiritum sanctum patefactæ, vt impudenter calumniatur Illyricus: sed pro viribus, quas mihi Dominus donauit, veritatem ex perspicuis & solidissimis fcripturarum testimonijs constitutam & confirmatam, & totius orbis iudicio in œumenico Concilio definitam propugnare & tutari aduersus pestilentem cateruam Illyrici & collegarum eius.

Reprehendit & in hoc Catholicos, quod ad probandam synergiam liberi arbitrij cum Deo, adducant sententiam apostoli: Dei adiutores sumus. cum ibi non agatur de liberi arbitrij cooperatione in spiritualibus cordis motibus, nostraque conuerfione: sed efficacia ministerij cele-

Alia casu illatio.

celebretur, quo precones verbi Deo in conuertendis hominibus cooperantur, iuxta Hieronymi interpretationem: Non in potentia, sed in verbo adiuuamus colere Dei agrum, & extruere templum.

Sophisma ergo est, inquit, plenum imposturae, & detestatione dignum, dicere: Paulus vtitur voce synergiae, ergo libero arbitrio carnali tribuit synergiam.

Verum Illyrice ab imposturae nota liberat nos Augustinus, qui in dicto illo apostoli considerauit acutissime, non solum celebrari efficaciam ministerij siue praedicationis, qua precones Deo in conuertendis hominibus cooperantur: sed etiam cooperationem in motibus spiritualibus rigantium & plantantium, & externum ministerium praestantium: quibus ministerij officium aggrediuntur & exercent, ex Dei interna in cordibus eorum operatione. In eis, inquiens, qui plantantur & rigantur, nec ipsum plantatorem & rigatorem dicit esse aliquid, sed qui incrementum dat Deus. Quamuis & hoc ipsum quod ille plantat, hic rigat, non ipsis, sed Domino tribuat, dicens: Vnicuique sicut Dominus dedit, ego plantaui, Apollo rigauit. Vides Augustinum interpretari eum qui plantat, & non rigat, debere hoc domino tribuere, qui ei donat vt plantet: & eum qui rigat & non plantat, Deo quoque debere tribuere quod riget. In hoc ergo vterque, tam qui plantat, quam qui rigat, Deo cooperatur, quod in officio sibi donato & decreto Deo cooperatur, & non solum

Auguf. de
praedest.
sanct.
cap. 5.

lum in hoc quod externum eius ministerium operatur ad hominum conuersionem. Non enim tam homo rigat aut plantat, quam Deus in homine, quem rigare aut plantare facit. Actus sane sermo impostura non caret, & detestatione dignus est, quo sic infers: Ergo libero arbitrio carnali tribuit Paulus synergiam. Nam haec conclusio nostra non est, sed nostram fraudulenter vitias additamento tuo (carnali) Intulimus enim ex dicto Pauli: Dei adiutores, siue συνεργοι sumus, ergo libero arbitrio tribuit Paulus synergiam. Quid porro per additamentum illud (carnali) tibi velis, non ignoramus. Significas enim Catholicos docere, quod liberum arbitrium vitiatum & carnale, naturalibus, carnalibus & vitiatis viribus Deo cooperetur, quod falsissimè Catholicis attribuis. Sic scilicet solet bona fide agere in citandis aliorum sententijs & ratiocinationibus Illyricus.

Iam superest, vt id excutiamus: An impiam doctrinam de cooperatione liberi arbitrij per Pelagij sectatores olim excogitatam, Concilium Tridentinum ac nos confirmemus. Et quoniam hic Illyricus quaestionem mouet de discrimine doctrinae Pelagij, & doctrinae sectatorum eius (quod discrimen ego non obseruauerim, dum inter Pelagium & eius sectatores non discerno) primum recitemus carmina Prosperi, ex quibus ipse discrimen suum collegit.

Diuus igitur Prosper, Augustini fidelis & constans sectator, sic scribit.

GR.

Prosper.
cōtra in-
gratos.
a. Verbum.
b. Voluntas

e Auxiliū
Dei.

*Gratia qua Christi populus sumus, hoc cohibetur
Limite vobiscum, & formam hanc adscribitis illi:
a Ut cunctos vocet illa quidem, inuitetque: nec vllum
Prateriens studeat communem afferre salutem
b Omnibus, & totum peccato absoluerit mundum.
Sed proprio quenque arbitrio parere vocanti,
Iudicioque suo, mota se extendere mente
Ad lucem oblatam, quæ se non subtrahat vlli,
c Sed cupidos recti inuet, illustretque volentes.
Hinc adiutoris Domini bonitate magistra
Crescere virtutum studia, vt quod quisque petendum
Mandatis didicit, iugi sectetur amore.
Esse autem edoctis istam communiter æquam
Libertatem animis, vt cursum explere beatum
Persistendo queant: finem, effectumque petitum
Dante Deo, ingenijs qui nunquam desit honestis.*

In his carminibus quatuor ferè notantur à
D. Prospero errores.

1. Per gratiam vocari omnes ad fidem & salutem, nec quenquam ab hac vocationis gratia excludi.
2. Possè vnumquemque vocatum, proprio suo iudicio, proprijsque viribus consentire Deo vocanti, & salutem oblatam amplecti.
3. Dominum per gratiam adiuuare iam credentes & rectè viuentes, vt in studio virtutum proficiant & crescant.
4. Esse omnibus per legem edoctis æquam libertatem, vt possint in iustitia perseverare, & tandem finem optatum à Deo consequi.

Hæc porro errata cum cōstet in scriptis Augustini

gustini contra Pelagianos passim & euidenter esse confutata & improbata, (quod adeo clarum existimo, vt superuacaneum fuerit ex eis testimonia adscribere) quid causæ habet, cur tantopere vociferetur Illyricus esse malitiosum sophisma: quod cū Confessio clarè de sectatorū Pelagij inueto loquatur, ingeniosus artifex proferā quid Augustinus, qui iam tum obierat, de errore ipsius Pelagij pronūciat. Si enim sectatores Pelagij eos errores à Pelagio hauserint, eosq; tam vigilanter & sollicitè Augustinus studuerit confutare, perspicuū est nō male de ijs erroribus Pelagij, quos postea discipuli eius sectati sunt, iudicium & sententiam Augustini proferri: vbi inquiritur quid differat Pelagianorum synergia, cum Catholici Concilij cooperatione.

Sed his cauillationibus abiectis, demonstramus blasphemam esse calumniam Illyrici, qua affirmat impiam Pelagij, aut, vt ipse vult, sectatorum Pelagij synergiam, confirmatam esse in Tridentino concilio. Quæ fuerit Pelagianorum de synergia & cooperatione liberi arbitrij cum gratia Dei sententia, ex carminibus Prosperi modò citatis dilucidè cognosci potest. tribuebant enim libero arbitrio vires naturales, tam ad credendum, quàm ad bene iusteque viuendum, imo & ad perseverandum in iustitia vsque in finem. Gratiam autem Christi in eo ponebant, quod per vocationem & prædicationem verbum fidei prædicaretur, & de Dei mandatis lex traderetur. Consentire autè fidei

August. in
epistol. ad
vitalem.
Lib. 1. re-
tract.
De prede-
stinat.
De bono
perseueran-
tiæ.
Ad Sim-
plicianū.
De pecca-
torū me-
ritis.
De gratia
Christi.

prædicatæ, & mandata iam cognita implere, in viribus naturalibus constituebant, & possum esse affirmabant. Addebant tamen, gratiâ Dei, eos qui iam vocationi consensissent, & mandata implerent, adiuuare ad virtutum incrementum & profectum. At vero hanc doctrinam Catholici doctores, & inter eos strenuus ille gratiæ Dei defensor Augustinus, contra inimicos gratiæ Christi copiosissime ex diuinarum scripturarum testimonijs confutauerunt. Quorum sanam & saluberrimam doctrinam Tridentinum concilium clarissimè, & sub anathemate decernit tenendam & sequendam esse, vt patet in Canone 12. 13. 14. Canone 5. & 6. disertis verbis definiens, quod sine præueniente spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio homines credere, sperare, diligere, aut pœnitere non possunt. Rursum: Liberum arbitrium sine gratia nec iuste viuere, nec vitam æternam promereri posse. Hæc cum ita esse euentissimum sit, an non detestanda calumnia est affirmare, quod Concilium impiam Pelagianorum synergiam comprobet & confirmet in suo illo decreto: Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum non cooperari Deo, sed velut inanimè quoddam, nihil omnino agere, mereque passiuè se habere, anathema sit? quod eotidem fere verbis tradidit Augustinus: Quod ad Deum, inquit, nos conuertimus, nisi ipso excitante atque adiuuante non possumus, & hæc est bona voluntas. Et rursum: Quamuis autem

Canones
6. & 7. de
lib. arb.

Augus. de
pecca. me-
ritis, lib. 2.
cap. 18.
Idem ad
Bonifac.
lib. 2. ca. 8.

autem nisi adiuuante illo, sine quo nihil possumus, os non possumus aperire, hoc est, cor præparare: tamen illius adiumento & opere, os aperimus & præparamus. Quæ cum ita sint, rectè iterum concludimus hoc caput, vt videat perpendatque quisque pius, an sit tutum credere Illyrico, & ipsius collegis, qui doctrinæ ex manifestissimis & solidissimis scripturarum testimonijs ab Augustino constitutæ & comprobatæ, & tandem per œcumenici concilij sententiam, decretumque confirmatæ, tam petulantè & inuerecundè resistunt pertinaciter.

In fine huius capituli obijcit nobis aduersarius errorem in explicationibus articulorum facultatis Theologiæ Louanienfis, quas edidit reuerendus noster præceptor, dominus Cancellarius Tapperus felicitis recordationis, nobis, vt inquit, assentientibus & approbantibus annotatum à Gaspare Casalo Lusitano episcopo Leiriensi, de libero arbitrio, in quo Pelagianismi conuincitur. Tutum itaque non esse pijs Christianis, vt eiusmodi theologis suam salutem credant.

Primum hic respondeo verbis diui Augustini in epistola ad Hieronymum: Nos solis eis scripturarum libris, qui iam canonici appellantur, hunc honorè & timorem deferre, vt nullum eorum authorè scribendo aliquid errasse firmisimè credamus. Alios autè ita nos intelligere, vt quâtalibet sanctitate, doctrinaq; præpolleant, nõ ideo verè putare quia ipsi ita senserunt: sed quia

Error
Ruardi
Tapperi
tractatur, què
annotat
Illyricus

Epist. 19.

Augus. de
bono per-
seu. cap. 28

vel per illos authores canonicos, vel probabili ratione, quod à veritate non abhorreat, persuadere potuerunt. Nec sane eruditissimus ille & sanctissimus vir quemquam voluit amplecti omnia sua, nisi in his in quibus eum non errare perspexissent. Agnoscis igitur lector fraudulentum Illyrici ingenium, dum errorem, quem dicit notatum in explicationibus Tapperi à reuerendo episcopo Leiriensi, sine vlla legitima probatione confert in vniuersos theologos Louanienfes, vt apud imperitum lectorem fidem & auctoritatem probatissimis apud vniuersos theologos adimat. Deinde sicut reuerendus Casalio episcopus, ita & aduersarius animaduertere debuit, quod reuerendus ille doctor Tapperus in sua illa de liberi arbitrij cum gratia Christi cooperatione non certam aliquam & definitam sententiam constituerit: sed quædam, quæ animum eius commouerent, in medium proposuerit, quæ studiosi diligentius excuteret. Sic enim ipse disputationem conclusit: Hæc, inquit, videtur esse sententia diui Thomæ, in questione CXI. articulo 8.9.10. in prima secundæ. Quæ tamen omnia dicta esse velim sine vlla assertionem, vt diligentioris inuestigationis detur occasio. Porro sententia, quàm R. dominus Tapperus non tam asserit quàm proponit discutendam, eiusmodi est: Hominem habentem spiritum fidei & charitatis, posse quidem per hæc dona fidei & charitatis, non tamen per solum liberum arbitrium, sine nouo aliquo gratiæ Christi

*Quardi
opinio
magis
quàm sen-
tentia
proponi-
tur.*

Christi auxilio bonum aliquod opus operari. tamen propter naturæ nondum in totum sanatae & reparatae infirmitatem & caliginem nouo subinde gratiæ auxilio opus habeat, vt in iustitia perseuerare possit. quam sententiam exemplo illustrare conatur. Sicut, inquit, in Adamo ante peccatum recto & iusto, liberum arbitrium eius potuit sine nouo auxilio gratiæ bonum operari, & liberi arbitrij potentia erat proximum operandi principium: ita in iustis eadem liberi arbitrij potentia proximum videtur posse esse boni operis principium. quamuis propter infirmitatem & ignorantiam, ad perseuerandum alio speciali auxilio protegente & dirigente, opus habeant. Atq; hanc ille doctor existimauit esse diui Thomæ doctrinam, imo & Augustini. Hæc igitur R. doctoris opinio magis quàm sententia, si diligentius vel à R. Domino Casalio, vel ab alijs magistris discussa, minus vera demonstratur, & fortasse Pelagianismo affinis, placet omnibus bonis, placuit & illi optimo viro vt abijciatur, respuatur, & improbetur, & sola ea quæ vera esse comperitur, teneatur & defendatur. salua, inquit Augustinus, honorificentia, quæ doctis & veritatis studiosis quamuis errauerint, debetur.

Quid quæso hic causæ habet aduersarius, cur solidissimas alioqui & eruditissimas explicationes, & tanti viri pro fidei & religionis patrocinio labores cõtemptos & despiciabiles facere studeat? & Louanienfibus cæteris doctoribus,

quibus eam disputationem nō satis probatam fuisse verissime dicere possim, fidem abroget. Id vnum affirmo, quod si ea animi modestia præditus esset Illyricus, qua illum semper prædiximus, siue ad concedendum aliorum etiam inferiorum sententijs, siue ad corrigendum demonstratum errorem, optimè de aduersario nobis promittere possēmus, quod aliquando in vera & sana doctrina consentiremus.

Quod adiecit Illyricus, in doctrina bonorum operum, Pelagianismi notari, imò conuinci tantum doctorem à R. Casalio: vbi locum nō grauatius fuerit indicare, ipsius calumniam depulsam curabimus.

DE FIDE.

CAPVT V.



Scripseram in Capite 5. sceleratam esse calumniā in confessione Antuerpiensi, quod Catholici fidem & pietatem ac religionem erga Deum docerent sine verbo Dei, per doctrinas hominum. Hic iam confessionis apologiam patienter quæso audiat Christianus lector, & quo spiritu agitetur furens ac sacrilegum Illyrici pectus, pensulatè confideret, & aduersus eius venenatas ac sacrilegas fraudes, cordis aures deinceps obturet.

Atqui,

Atqui, inquit, negare non potest plenos esse eorum libros reuelationibus de purgatorio: de Missis pro mortuis, deque alijs operibus ad redimendos eos inde, faciendis: item de statu ac forma regni celorum ac inferni. Quotandem verbo Dei docent: Quòd si quis peregrè abibit Hierosolymam aut Compostellam, vel aliò vagabitur: Si coemerit multas missas: Si cucullam Francisci induerit: Si emerit bullas ac indulgentias: Si item mercabitur opera supererectationis monachorum: Si aqua lustrali sese consperferit, & alijs consecratis herbis ac rebus usus fuerit, præsertim illorum cæreo Agnus Dei: Si multas preculas sine omni intellectu battologizauerit: Si angelos ac sanctos inuocauerit: Si passim sacella extruxerit: Si deum auro, argento, gemmis coluerit: Si reliquias & imagines mortuorum adorauerit: Si sub vna specie communicauerit: Si se cruce signauerit: Si panem sacrum inuocauerit, & alias huiusmodi nugas innumeras fecerit: Si denique Pontificem Romanum adeo adorauerit, vt etiam inferiora eius osculetur, eique defraudatis liberis, omnia sua donauerit, eum rem gratam ac Deo acceptam facturum, Deumque propitium habiturum esse? Hac, inquam, omnia, per qua isti Deo fidere docent, an non sunt mere humanum, aut etiam diabolorum verbum? Hactenus Illyricus.

Ad hanc Apologiam, horrendis blasphemijs plenam, cohorrescis sat scio Christiane lector. An tibi impie seductor, diabolorum verbum sunt, & doctrina, ac merè nugæ, Panem Eucharisticum adorare, & etiã inuocare, qui verus Deus est & homo? Christianum hominem se crucis signo

I iij signa-

signare, quod tantopere celebrant oēs veteres, Tertullianus, Cyprianus, Augustinus, Chryostomus, & tota antiquitas: Sub vna specie cōmunicare, quod iam tribus generalibus concilijs approbatum est, & ab ipso statim ecclesiæ exordio in ecclesia factitatum esse certissimis documentis demonstratur. Tibi diabolorum verbum est, Sanctorum reliquias religiose venerari. propter quod verbum improbarum & contemptum, Vigilantius tanquam hæreticus damnatus est? Item sanctos & angelos inuocare, quod similiter improbens Vigilantius damnatus est? Tibi diabolicum verbum est, in Dei ac sanctorum cultum, venerationem & honorem sacella ac templa extruere? Tibi denique diaboli verbum est, Purgatorij confessio, ac sacrificij & oblationis pro mortuis, deque operibus piis pro mortuis suscipiendis? De quibus tanta constantia scribit Augustinus: Neque negandum est, inquit, defunctorum animas pietate suorum viventium releuari, cum pro illis sacrificium mediatoris offertur, vel elemosynę in ecclesia fiunt. & rursus: Per vniuersam ecclesiam in precibus sacerdotis, quæ domino Deo ad eius altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum. Imo Aerijs ob hoc quoque hæreseos damnatus est, quod improbaret orationes & oblationes pro mortuis. sicut hæc diffusius in suis locis demonstratur. Sane alia mens, alia sententia sanctis & orthodoxis patribus fuit, qui tanquam Dei verba ple-

August. in
Ench. ca-
pit. 110.

Idem lib.
de cura
mortuis.

pleraque omnia religiose amplexi sunt, & obseruarunt, quæ Illyricus pro meris nugis, imo pro verbo diabolorum (horrendum auditu) habenda decernit. Sic de legitimis peregrinationibus ad sanctorum memorias: de vsu aquæ lustralis: de consecratione herbarum ac aliarum quarundam creaturarum: de Canonicis & statis precibus, suis proprijs locis dicendum erit. & legitimus horum omnium vsus probandus, & aduersus subsanationes & contumelias seductorum defendendus. Sed non expectatis proprijs cuiusque horum locis, ad lectoris infirmi deceptionem opportunum, visum est impuro seductori impuri pectoris venena intepestiue effundere. Sed bene habet, quod id tanta improbitate fecerit, vt ne ijs quidem dogmatibus pepercerit, quæ nullus ecclesiæ Catholicæ germanus filius non potest non habere pro certissimis, indubitatis, verissimis ac fundatissimis religionis dogmatibus.

Peruersissima quoque & vanissima est ea seductorum istorum calumnia, qua apud infirmos & imperitos lectores traducunt Catholicos, tanquam in omnibus suis scriptis hoc vnū agant, vt extenuata & proculcata verbi Dei aut sacre scripturæ autoritate, tanquam verbi ambigui, manci, & obscuri, ac quod sit materia litis & rixarum, ad patres, ad varia concilia, ad ius canonicum, & si dijs placet, etiam ad varias reuelationes ac somnia monachorum ac vetularum traducant homines. Sciunt Illyrice catholici primam autoritatem & summam verbo Dei attribuendam esse:

I v eamque

August. cō
tra Faustū
lib. II. cap.
5. & de
baptismo
lib. 2. ca. 3.

eamque tanquam in sede quadam sublimiori constitutā, ut ait Augustinus, ut ei seruiat omnis fidelis & pius intellectus, & de qua discutari non possit, utrum verū, vel utrum rectum sit, quicquid in ea scriptum esse constiterit. Et proinde in omni controversia de religione imprimis consulunt Dei verbum, si quod de proposita quaestione extare comperiat. Verum quia improbitas & fraudes hæreticorum, peruersas explanationes verbi scripti statim committuntur, & Dei verbum ad suas peruersas sententias detorquent, recte admonuit, ut superius audiuius, Vincentius Lirinensis, & ante eum Ireneus & Tertullianus, ut conciliorū ecumenicorum, si quæ extāt, ac patrū orthodoxorum explanationes perpetuas & consentiētes inquiramus, & eas demum explanationes verissimas arbitremur, quæ cum illorū expositionibus cōsentaneæ reperiuntur. Deinde si qua extra verbum Dei posita in quaestione adducātur, verbo Dei expresso destituti, diligenter disquiramus, utrum de propositis quaestionibus apostolicæ aliquæ antiquæ & generales traditiones comperiatur. Quas ubi ex antiquitatis solidis, firmis, & perspicuis testimoniis certò deprehenderit, nihil dubitemus propositam quaestionem ex ijs definire. Nusquā autē vel ad somnia monachorum, vel ad reuelationes vetularum, aut omnino ad incertas, & fidei testimonio carentes traditiones confugiamus. Hæc verò tractandæ & inquirendæ veritatis rationem non ab-

abducere homines à verbo Dei, sed contra adducere homines ad synceram verbi Dei intelligentiam & veritatem, lectori Christiano persuasissimum esse confido.

Postremò in hoc capite acriter inuadit Caput illud, Si papa: quod habetur distinctione 4. apud Gratianum. *In quo tantam potestatem, inquit, Papa tribuit ipsorum ius, ut etiam si ille per suas impietates propalam innumeras animas in æternum exitium abduceret, nemo tamen illi resistere aut contradicere deberet.*

Caput, Si
Papa, di-
stinct. 4.
defendi-
tur.

Primum ut agnoscat lector qua fide reciter aduersarius patrum sententias: Sententia est Bonifacij Pontificis eò capite recitata in hæc verba: Si Papa suæ ac fraternæ salutis negligens deprehendatur inutilis & remissus in suis operibus, & insuper à bono taciturnus, & innumerabiles populos cateruatim ducat ad gehennam cum ipsis multis plagis vapulaturus in æternum, huius culpas isthic redarguere præsumat mortalium nullus: quia cunctos iudicaturus, ipse à nemine est iudicandus, nisi deprehendatur à fide deuius. Ex quibus verbis manifestissimum est, Papam Bonifacium non dicere, Papæ perditè viuenti neminem mortalium posse resistere aut contradicere: sed hoc tantum dicere, neminem posse eum redarguere, in legitimo scilicet aliquo iudicio eum reum peragendo, ut à iudice homine mortali iudicetur, condemnetur, & puniatur. Hoc enim est quod subiecit: Quia cunctos iudicaturus, ipse à nemine est iudicandus, nisi fortè
repre-

Anacletus
epist. 2 ad
Episcop.
Italiae.

Distinct.
79. cap.
electione.

1. Reg. 24.

reprehendatur à fide deuius. Quod & Anacletus Papa & martyr tradidit: Eiectionem summorum, inquit, sacerdotum sibi dominus reseruauit: electionem tamen eorum bonis sacerdotibus, & spiritualibus populis concessit. Idem habet & Fabianus Martyr in epistola 2. de sacerdotibus. Et sane si Illyricus cum veris ecclesiae Catholicae filijs persuasum haberet, à Christo summum aliquem Ecclesiae gubernatorem & pastorem constitutum esse, non calumniaretur hoc nomine sanctos Pontifices & Martyres, quod scripserunt, supremum illum pastorem nullum habere iudicem in terra, sed solius Christi, à quo constitutus est, iudicio relictum esse, scilicet accusandum, iudicandum, condemnandum, puniendum, & reiiciendum. Nam de correptione, aut etiam contradictione, & resistentia fraterna, & extraiudiciali sanctos pontifices non esse locutos, ex ipsorum sententijs manifestum satis est. Sicut igitur olim in regem Saulem iniustissime se vexantem, innocens Dauid à Domino in regem designatus, manus mittere non fuit ausus, eò quòd fuisset à Deo rex constitutus: Viuit Dominus, inquit, ad seruos suos, quia nisi dominus percusserit eum, aut dies eius venerit ut moriatur, aut descendens in praelium perierit, propitius sit mihi dominus, ut non mittam meam in Christum domini. Ita sancti pontifices docuerunt summum ecclesiae gubernatorem solius Dei iudicio relinquendum, quantum quidem pertinet ad ipsius depositionem

nem & eiectionem propter vitae improbitate. Verum cum Illyricus summum aliquem sacerdotem à Christo constitutum esse, & toti ecclesiae praefectum (quod tam constanter docent Cyprianus & Hieronymus: ut ex eo unitatem & salutem pendere disertè scribant) contumaciter neget, Papam quemlibet vult in ordinem redactum legitimis iudicibus subiectum esse. Sed ei contradicit vniuersa Christi Catholica ecclesia. ut suo loco postea solidissime demonstrabitur.

DE IUSTIFICATIONE.

CAPVT VI.



IN sexto capite agens de Iustificatione, scripserat: Promptissimam illam Christi obedientiam, qua vsque ad mortem patri obediens fuit, fuisse perfectissimam & absolutissimam iustitiam: verum ea Christi iustitia & obedientia formaliter nos iustos non esse, sed eam Christi iustitiam, esse causam meritoriam iustitiae nostrae, qua in nobis ipsis iusti formaliter sumus. Ac nostram iustitiam, qua videlicet formaliter iusti sumus, esse donum spiritus sancti, interius nos renouans, sanctificans & iustificans, & ad obedientiam legi Dei praestandam vires & facultate praebens. Huius meae sententiae primam rationem attuli, ex illustri illa collatione Pauli inter primum parentem nostrum Adamum, corruptionis & iniustitiae

Rom. 5.

autho-

authorem & propagatorem : ac Christum iustitiæ authorem. Quam tractans Paulus, sic concludit: Igitur sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi, ita & per vnius obedientiæ iusti constituentur multi. Ex qua Apostoli sententiâ hanc collegi rationem: Inobediencia Adæ non est formaliter peccatû, quo posteri, qui ab eo per carnalem propagationem nascuntur, peccatores sunt constituti: sed tantum causa, per quam suum in vñu- quemque posterorum peccatû & propriû propagatum est & contractum: Igitur Christi obedientia & iustitia, non est ea iustitia, qua credentes in eum qui iustificat impium, formaliter iustificantur, aut iusti sunt: sed tantum est causa meritoria eius iustitiæ. nam apostoli est sententiâ aperta: Sicut per Adæ inobedientiam constituuntur peccatores, ij qui ab eo carnali propagatione nascuntur: ita per obedientiam Christi constitui iustos eos, qui ab eo per fidem spiritualiter nascuntur.

Ratio prima.

Responso Illyrici ad primâ rationem

Hanc rationem firmam prorsus & solidam, & ex manifestissimis Pauli verbis extractam infirmare conatur aduersarius in hunc modum.

Paulus, inquit, non totam formam aut progressum interitus ac salutis exactè inter se conferre vult; quæ à multis à se inuicem differunt: sed tantum authores, & origi-

originem peccati & iustitiæ: ac denique effectum seu maiorem vim & successum obedientiæ Christi. Quare cum in omnibus similitudinibus & collationibus sit aliqua dissimilitudo, videndum sedulo est, quatenus similia in scripturis sunt collata. Authores igitur hic tantum vitæ & mortis, eorumque vis in seruando aut perdendo: non tota forma salutis & interitus, iustificationis & iniustificationis inter sese conferuntur. Illa igitur, inquit, vera & certa responsio est, quod à Paulo inducitur tantum collatio causæ & effectus: nequaquam verò modus applicationis, cum iustitia Christi per fidem tantum applicetur, illa vera per Physicannatiuitatem.

Respondeo, non describi quidem à Paulo in ea collatione totam formam interitus ac salutis exactè, sed tamen non tantum indicari à Paulo authores & originem peccati & iustitiæ, nec tantum collationem fieri inter causas & effectus: sed etiam modum aliquem & rationem ac similitudinem transmissorum effectuum peccati & iustitiæ à suis causis, manifestissimè cognosci potest ex ipsius Pauli explicatione: qua diserte indicat, in quo collationis & similitudinis ratio consistat, dum clarissimis verbis non dicit tantum, sed inculcat: Igitur sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationeni: sic & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificatione vitæ, & rursum: Sicut enim per vnius inobedientiâ peccatores constituti sunt multi: ita & per vnius obedientiam iusti constituentur multi. In his apostoli verbis manifestum est

Solutio.

est non solum causas peccati & iustitiæ inter se conferri: sed etiam modum aliquem exprimi clarè, quo duo hi authiores & causæ peccatum & iustitiam traducant, nempe Adamum per suam inobedientiam: Christum verò per suam obedientiam. Ex quo perspicuè & solidè inferitur, quod sicut Adæ inobedientia, per quam peccatores constituuntur omnes, qui ab illo carnali natiuitate propagantur, non est formaliter peccatum posterorum eius: ita nec iustitia & obedientia Christi, per quam constituuntur iusti omnes qui credunt in eum, non sit formaliter iustitia qua iustificantur credentes, sed sit eius iustitiæ causa meritoria. Quanquam autem interim diuersa sit ratio, qua posterii Adæ propagantur ab illo, & qua credentes spiritualiter inseruntur & incorporantur Christo: similitudo tamen & collatio in modo, quo tam peccatum quam iustitia traducitur, apertissime describitur. Et qua in re consistat collatio Apostoli, doctissime exposuit Augustinus libro i. de peccatorum meritis cap. 9. Sicut ergo, inquit, ille, in quo omnes viuificabuntur, præterquam quòd se ad imitandum exemplum præbuit, dat etiam sui spiritus occultissimam fidelibus gratiam, quam latenter infundit & paruulis: Sic & ille, in quo omnes moriuntur, præterquam quòd eis qui præceptum domini voluntate transgrediuntur, imitationis exemplum est: occulta etiam tabe carnalis concupiscentiæ suæ, tabificauit in se omnes de sua stirpe venientes. & post pauca: Christus

Christus vnus est in quo omnes iustificantur: quia non sola eius imitatio iustos facit, sed per spiritum renouans aut regenerans gratia.

Secundo respondet falsum esse quod non simus etiam ipso lapsu Adæ in sese facti peccatores, etiam si corruptio non fuisset secuta. Nam sicut in lumbis eius totum genus, dum peccaret fuit: ita etiam in eo peccauit, & mortuum est. sicut Paulus clarè affirmat, inquit: Mors in omnes homines pertransiit, quia omnes in eo peccauerunt, id est, peccante vno peccauerunt in eo omnes, veluti in lumbis eius existentes. Et sane, inquit, iniustum fuisset omnes ibi mori ac damnari, si non omnino omnes ibi culpam subiissent.

Secunda responsio Illyrici.

Respondeo: Neminem, qui vult Catholicus censere, negare posse, totum genus humanum, quod in lumbis Adæ cum peccaret fuit, in ipso peccante peccasse, quando hoc Paulus clarè affirmat: sed tamen quia genus humanum non per se exitit cum Adam peccaret, sed tantum in virtute lumborum eius, intelligendum est, peccatum Adæ quod transiit non potuisse posteros peccatores constituere, nisi inficiendo per suum peccatum ipsam naturam, quam in omnes posteros vitiatam & corruptam propagaturus erat. In naturam igitur quæ ab Adâ propagatur in omnes homines, traduxit Adam peccatum, iniustitiam & corruptionem, per suum peccatum: qua iniustitia & peccato formaliter posteri peccatores sunt, & non per peccatum Adæ. Verum hæc naturæ corruptio atque iniustitia non (vt cauillatur Illyricus nos sentire) in

Solutio.

sola carne intelligenda est, sed potissimum in mente, & rationali hominis parte, quæ per peccantem Adamū destituta est iustitia illa, quam Deus instituēs naturā in Adamo illo, tanquam quodā totius generis humani authore & principio, toti generi humano contulerat. Propter cuius iustitiæ carentiam & destitutionē, iustum supplicium mortis, damnationis, & tristissimarum pœnarum in omnes homines peruasit. Transit igitur in omnes mors & damnatio, sed nō nisi per hoc quod peccatum quoq; transit. Verum semper hoc verum est, posteros Adæ non per peccatum Adæ formaliter esse iniustos & peccatores: sed solum propter peccatū & iniustitiā, quam Adamus suo peccato in naturā traduxit. & secundum collationem Apostoli proportionabiliter de Christi iustitia est sentiendum. Hinc verò liquidissimè cernis Christiane lector, quod sicut si quis Adæ inobediētiā & iniustitiam per imputationem quandam transferri in posteros doceret, qua constituerentur iniusti & peccatores, tanquam cōmentitia, abijciēda esset huiusmodi imputatiua iniustitia. de quo postea prolixius dicendum erit. Ita cōmentitia profus est imputatiua illa Christi iustitia, quam aduersarij docent in credentes transferri, vt per eam formaliter iusti sint & iustificati.

Secundū
argumen-
tum.

Secundum argumentū ex eo contexui, quod apostolus mentionē eodē loco facit simul gratiæ Dei doni, & doni per gratiā vnus hominis Christi Iesu, dum dicit: Si enim vnus delicto multi mor-

mortui sunt, multo magis gratia Dei & donum in gratia vnus hominis Iesu Christi in plures abundauit. Vbi interpretatus sum donum esse, gratuitum donum iustitiæ, nobis per Dei patris gratiam, propter iustitiā vnus Christi donatū.

Cauillatur vero Illyricus. *Secundum, inquit, Resposio
Illyrici.* argumentū breuissimè attingit aut subindicat, ex eo quod Paulus ibidem facit mentionem gratiæ & doni iustitiæ: vbi ille vult gratiam Dei significare iustitiam Christi. quod tamen nunquam probabit. Significat enim propriè gratuitum Dei fauorem, quo nobis Christum & eius meritum donat.

Respondeo, nō ita se rem habere, vt affirmat *Dilutio* Illyricus. Nō enim Dei gratiā interpretatus sum Christi iustitiam: sed cū animaduertē ab Apostolo & gratiæ Dei & doni, & deniq; gratiæ vnus hominis Iesu Christi, distinctè mētionem fieri, Dei gratiā interpretatus sum gratuitū Dei fauorem, quo donum iustificationis credentibus donat, idq; propter iustitię Christi meritū, cuius nos Deus participes facit, dū propter illud nobis donū iustitię cōfert. In hac interpretatione quid meritò reprehendi possit nō video. Et quoniam de acceptione vocabuli, donū, potissimum quęstionem mouet aduersarius, excutiamus quo sensu eo Paulus vtatur.

Quod Pauli locutio, ea ipsa quam citat, inquit Illyricus, pro nostra sententia faciat, ex eo patet, quod Paulus confert peccatum Adæ cum dono. Inquit enim: *Itio.* At non vt delictum, ita etiam donum. Vnde manifestū est, inquit, quod sicut delictum vocatur iniustitia Adami,

ita contra donum, iustitia Christi nobis per imputationem donata.

Dilutio. Respondeo: Quid Paulus vocet donum, ex ipfomet perspicue intelligi potest, dicente: Abundantiam gratiæ & donationis iustitiæ accipientes (sic enim legunt Græci codices, atq; etiam Augustinus) in vita regnabunt per vnum Iesum Christum. Vbi manifestissimum est, donum iustitiæ quod accipiunt credentes, esse donum aliquod per fauorem Dei patris credentibus donatum & communicatum propter meritum iustitiæ Christi: non autem ipsam Christi iustitiam nobis per imputationem donatam. Nam de illa commentitia imputatione nihil dicit apostolus. Rectè ergo dicit Illyricus, donum oppositum delicto, esse donum iustitiæ nobis donatum: verum non rectè dicit esse iustitiam ipsam nobis imputatam. Et obseruandum est, quod Paulus delictum siue inobedientiam Adami non confert cum obedientia siue iustitia ipsa Christi: sed magis cum dono quod credentibus datur per meritum iustitiæ Christi. Id quod clarè cognoscitur ex subiuncta explanatione & ratione collationis. Si enim vnus delicto multi mortui sunt, multo magis donum in plures abundauit per gratiã Dei & meritum Christi. & rursus: Non sicut per vnum peccatum, ita & donum. Nam iudicium quidem ex vno in condemnationem: donum autem ex multis delictis in iustificationem. Quibus significat discrimen inter delictum siue inobedientiã Adæ,

Rom. 5.

Adæ, & donum iustificationis, quod per vnum delictum condemnatio venit in omnes: sed donum iustitiæ non vnũ illud delictum, sed multa delicta, imo prorsus omnia delicta abolet. De imputata igitur nobis illa ipsa iustitia, quæ est Christi obedientia, nullum verbum est, apud Apostolum: sed tantum de dono iustitiæ siue iustificationis propter Christum nobis ex gratia patris cœlestis donato.

At obijcit Illyricus. *Paulus facit discrimen inter donum & iustificationem vitæ. Inquit enim, donum Dei (siue gratia, vt noster interpret vertit) ex multis delictis in iustificationem. atqui istorum opinione infusio iustitiæ realis à iustificatione vitæ non differt) donum igitur, de quo Paulus loquitur, est beneficium præcedens realem iustificationem vitæ: non autem est ipsum donum iustitiæ, qua formaliter dicunt hominem esse iustum.*

Alia cauillatio.

Respondemus, quod donum, quod donatur nobis ad iustificationem, est illud ipsum donum quo iustificamur formaliter, & iusti sumus. Et quod dicit Apostolus, donum esse ex multis delictis in iustificationem, nõ aliud indicat, quàm quod donum hoc gratiæ Christi, vel donum ex gratuito fauore cœlestis patris nobis donatum propter Christum, sit donatum ad iustificandum credentes: in quo nõ fit distinctio inter donum & iustificationem. Sed significatur ipsum donum ad hoc donatum, vt per illud formaliter iusti & iustificati simus. Sicut dum dicit crebrò Augustinus, charitatis dono nos iustificari, non indicat discrimen inter charitatis donum & iustificationem.

Dilutio.

ficationem : sed contra significat charitatis donum esse ipsam iustificationem.

Obiectio. Sed adhuc obijcit Illyricus, quod tum donum hoc, tum obedientiam Christi, apostolus vocat iustitiam.

Respondeo, quod donum hoc vocat apostolus donum iustitiæ vel iustificationis: nusquam autem vocat hoc donum, aut obedientiam aut iustitiam Christi.

Illyrici postrema obiectio & prima rio.
Rom. 5.

Postremo obijcit aduersarius, quod in hoc ipso capite quinto, & aliàs sæpe Paulus illam iustificationem idem faciat cum recõciliatione, quæ quidem non potest esse realis quædam infusio, sed propriè gratuita peccatorum condonatio ob alienam per solutionem. *Nam, inquit, iustificati igitur eius sanguine, & : Si cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius. Hæc certè reconciliatio nequaquam est virtutum aut qualitarum infusio, sed propriè est nostræ offensæ aut culpæ per alienæ satisfactionis aut iustitiæ imputationem abolitio.*

Dilutio.

Respondeo, vt patefiant lectori latebræ errorum & insidiæ, quæ in hac obiectioe teguntur, quam crebro tanquam triumphum agentes aduersarij inculcant, aduertendum est, quod impij iustificationem nemo Catholicorum negat comprehendere reconciliationem siue propiciationem Dei. Non enim potest apud Deum iudicem iustificari, & iustus esse, cui non sit Deus per condonationem peccatorum reconciliatus & placatus. Sed hoc est, quod docent Catholici, iustificationem impij non in sola

re-

reconciliatione cum Deo, aut peccatorum remissione consistere : sed vel imprimis in interiore mentis renouatione & iustitia per donum spiritus sancti, per quam anima & in se formaliter iusta fit recta, & Deo accepta, & ad iustè rectèque viuendum, Deiq; legibus & mandatis parendum idonea & libera. Hanc porro interiorem renouationem per donum iustitiæ à spiritu sancto menti donatū & infusum, pernegant aduersarij posse veram iustitiæ ratione apud Deum obtinere, eo quod sit contaminata labe peccati per adhærentem carnè : & idem de obedientia legis diuinæ quam præstant credentes etiam renouati, pertinaciter docent. quod falsissimū esse in ipsa nostra Confutatione perspicuè & solidè demonstratur. Hæc cū ira se habeant, facile perspicit lector vanitatè obiectiois Illyricanæ, pro imputatitia, imo commentitia iustificatione per imputationem iustitiæ Christi, (falsum enim est quod affirmat) & in hoc ipso capite & aliàs crebro Paulū idem facere iustificationem cum reconciliatione, aut gratuita peccatorū condonatione. Quædo enim dicit, quod iustificati sumus in sanguine, nō hoc tantū significat, quod pretio sanguinis Christi condonationem peccatorū cōsecuti sumus: sed quod interuētu & merito sanguinis eius eò perducti sumus, vt peccatorū condonationem cōsecuti, etiā iustitiæ dono, & interioris renouationis munere donati simus. & : *Quædo à peccatis iustificati, credentes scribuntur, nō tantū recõciliationis gratia, sed etiā dono interioris*

Act. 13.

K iij reno-

Rom. 4. renouationis & iustitiæ donati intelligēdi sunt. Quod si verò alicubi remissio peccatorū, iustitia appellatur, non hoc ita intelligendum est, quasi iustificatio propriè sola remissione peccatorū constet: sed quia sine peccatorum remissione & condonatione, iustificatio apud iudicem Deum nemini cōtingere potest. Iā lector perspicuè cer-

Illyrici
Achilles.

nire, quid ad illud argumentū, quod diligēter retineri ac perpēdi vult, à lectore respondendū sit: *Reconciliatio, placatio, aut propitiatio Dei est, non realis virtutum infusio: sed propriè rationale quid, hoc est, in actu rationis cōsistens & imputatum. At qui iustificatio, est recōciliatio, teste Paulo, igitur & iustificatio, est quiddam rationale seu imputatiuū, non autē reale ali-* quod donū à spiritu sancto donatum, per quod renouatur interior homo, & iustus corā Deo efficitur & acceptus.

Rom. 5.

Respondendum est ad hoc iophissima Illyrici: Iustificationis præsertim impij descriptionem & rationem includere rationale hoc, quod in reconciliatione, propitiatione, placatione aut remissione continetur: sed in eo esse totam & propriam rationem iustificationis: hoc verò pernegamus iuxta manifestissima scripturarum testimonia, quæ testantur interiorem renouationem, & exteriorem legis Dei obedientiam, veram esse iustitiā, propter quam Deo accepti sunt iusti. Ea verò testimonia spiritus sancti diligenter retineat & perpēdat lector, & præstigij deceptorum opponat & obijciat. Illa nouitas, vocatur iustitia ad Rom. 6. & 1. Ioan. 3. Et bona opera fructus sunt spiritus sancti, ad Gal.

Gal. 5. Et de renatorum bonis operibus dicit Paulus, 1. Timoth. 5. Hoc acceptum est coram Deo. Et ad Ephes. 2. & 1. Ioan. 3. Et quæ placita sunt coram ipso facimus. Et ad Philip. 4. Repletus sum acceptis ab Epaphrodito, quæ misistis in odorem suauitatis, hostiam acceptā placentem Deo. Denique renati tanquam palmites Christo insiti fructum faciūt, Ioan. 15. ad Ephesios 5. Ioannis 3. Opera bona in Deo facta sunt.

Tertium argumentum constat, inquit Illyricus, Tertium testimonij quibusdam Augustini, quibus probare conatur nos iustificari gratia Dei nobis iustitiam donante. At hoc contra nos non est, qui fatemur ex gratia nobis donari filium cum suis meritis. Donare quoque non significat idem quod infundere. donantur enim multa per imputationem. Dicit quoque eandem gratiam nos intus renouare, quod nos quoque fatemur. Sed id nos contendimus, illam ipsam internam renouationem non esse eam ipsam iustitiam, qua coram se uero Dei iudicio iusti habeamur.

argumē-
tum.
Cauilla
tio Illy-
rici.

Respondeo luculentum mendacium esse, per Augustini testimonia non aliud probari, quam quòd ex gratia credentibus donatur filius Dei mediator cum suis meritis. Euentissimè enim & liquidissimè tradunt sententiæ istæ, ipsam illam iustitiam, qua iustificantur credentes, esse donum spiritus sancti, inscriptum mentibus eorum, & quo eorū mentes intus renouantur, & veram iustitiam esse aliquid dono spiritus sancti in mentibus effectum. Nemo, inquit, Christianus vereatur dicere, non per nos ipsos

Auguf. de
fpiritu &
litera cap.
19. & 27.

Idem de
peccato.
meritis,
lib. 1. ca. 9.

nos fieri iustos, sed in nobis hoc operante Dei gratia. & rursus: Iustificamur gratis per gratiam ipsius: qua gratia in interiore homine renouato iustitia scribitur, quam culpa deleuerat. Et clarissime de peccatorum meritis: Gratia, inquit, Christi illuminationem, iustificationemque nostram etiam intrinsecus operatur. item: Dat sui spiritus occultissimam gratiam fidelibus quos iustificat. Et denique: Iustificantur, inquit, in Christo qui credunt in eum. Audi lector, quomodo propter occultam communicationem & inspirationem gratiæ spiritualis, qua quisquis hæret Domino vnus spiritus est, iustificantur homines, & hanc quoque gratiam latenter infundi & paruulis, dum baptizantur qui nondum credere possunt.

An non hic luce meridiana clarius pronunciat & definit Augustinus, eam iustitiã qua formaliter iustificamur, non esse Christi iustitiam nobis imputatam: sed iustitiæ internæ donum, hoc est, renouationis donum credentibus per spiritum sanctum infusum & donatum: quoniam Deo tanquam vnus spiritus effecti adhererent, & ad legis obedientiam prompti & instructi sunt. Quod verò cauillatur Illyricus de verbo, donare, quod non significet infundere, audiatur apostolus dicentem: spiritum sanctum effudit in nos abundè per Iesum Christum Dominum nostrum. &: Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus siue donatus est nobis. Quod si hæc testimonia Augustini eludi posse

Tit. 3.

Rom. 5.

Epist. 120

posse existimat, quid quæso dicet de dictis illis Augustini admodum celebribus in epistola ad Honoratum: Non sit anima iusta, nisi participatione melioris qui iustificat impium? Et ne Illyricus posset dicere, quod participatio melioris boni intelligatur secundum imputationem iustitiæ Christi, qualem participationem intelligat ipse Augustinus, explicat. Quæ admodum, inquit, in ipsis corporibus ea quæ inferiora sunt, sicut terra & aqua, & ipse aer, meliora fiunt participatione melioris, id est, cum luce illuminantur, & feruore vegetantur: sic incorporeæ creaturæ rationales, ipsius creatoris participatione fiunt meliores; cum ei coherent purissima & sanctissima charitate. Qua omnino si caruerint, tenebescunt & obdurescunt. & rursus: Illa iustitia Dei commendatur in eo quod dicitur: Ignorantes Dei iustitiam, qua nos ex eius gratia iusti sumus, vt ipsa Dei iustitia nos simus cum iuste viuimus, credentes in eum qui iustificat impium, non illa qua ipse iustus est, æterna & incommutabili iustitia. Hæc itaque iustitia, qua nos Dei munere iusti sumus, intelligitur in Psalmo. & rursus: Timore itaque casto timeat Deum omne semen Israël. Timeant quem diligunt, non alta sapiendo, sed humilibus consentiendo, cum timore & tremore suam ipsorum salutem operando. Deus enim est, qui operatur in eis & velle, & operari pro bona voluntate. hæc est iustitia Dei, hoc est, quod Deus donat homini cum iustificat impium. Et obser-

obseruandum hic est, quod non dicat Augustinus, hoc Dei munere renouari quadam (vt vult Illyricus) inchoata, & adhuc contaminata iustitia: sed disertè dicat: quod tali iustitia Dei munere nobis donata, & infusa per spiritum, quæ in spiritali charitate & casto timore posita est, & in operatione salutis, iustificamur à Deo, & iusti simus. Sicut & Apostolus docet, dum scribit: In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium: sed fidès quæ per dilectionem operatur, valet, inquam, ad iustificationem.

Galat. 5.

Cauillatio.

Aug. lib. 19. de ciuitate Dei, cap. 26.

Matth. 6.

Dilutio.

Ceterum aduersus perspicua testimonia ex Augustino proposita, celebre quoddam dictum Augustini adducit, ex quo dicit Augustini sententiam de iustificatione & iustitia satis patere: Iustitia nostra tanta est in hac vita, vt potius remissione peccatorum constet, quàm perfectiōne virtutum. Testis est oratio totius ciuitatis Dei quæ peregrinatur in terris. Omnia quippe membra sua clamāt ad Deum: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

Hic quæso te Christiane lector conſydera fraudes Illyrici, expungentis quædam verba interposita, quibus dicti hic citati vera intelligentia manifestè indicatur, & inanis cauillatio Illyrici excluditur & coarguitur. Sic enim scripsit Augustinus: Ipsa quoque nostra iustitia, cū vera sit propter veri boni finem, ad quem referretur, tamen tanta est in hac vita, vt potius peccatorum remissione constet, quàm perfectiōne virtutum. En cernis lector primùm Augusti-

gustinum palam pronunciare, ipsam nostram iustitiam esse veram iustitiam, & proinde non esse contaminatam, & peccati labe vitiatam, vt Deo placere, & Dei iudicium sustinere non possit. quod hic inani cauillatione contendit Illyricus, dum scribit, illam ipsam internam iustitiam & renouationem, non esse eam ipsam iustitiam, qua coram seuro Dei iudicio iusti habemur & simus. Deinde aut imperitè aut maliciose cōfundit perfectionem virtutum cum operatione virtutum. Non enim dicit Augustinus, quod iustitia nostra in hac vita magis consistat in remissione peccatorum, quàm in operatione virtutum: per quam videlicet perfectam virtutum operationem sine omni profus peccato viuatur. ea enim demum est perfecta virtutum operatio. Atque hunc sensum subiecta explicatio plane indicat: Testis est oratio totius ciuitatis Dei, quæ peregrinatur in terris. omnia quippe eius membra clamant ad Deū: Dimitte nobis debita nostra. Quibus verbis manifestissimè significat Augustinus, in hoc neminem iustorum perficere virtutes, quod omnes in multis delinquant, & opus habeant remissione peccatorum. Haudquaquam verò affirmat, quod iustitia, quam ex munere diuino habent iusti, sit contaminata, & falsà iustitia, quæ Christi iustitia debeat ante seuerum Dei conspectum obtegi.

Quartum argumentum aduersus cauillationem Illyrici in defensionem primi argumenti satis

fatis est defensum, & collatio Pauli in cap. 5. ad Ro. manifestè & solidè nostrâ sententiâ cõfirmat.

Aug. li. 14
de ciuit.
Dei, ca. 7.

Quintum argumentum ex eo ductum, quod sicut Adamus, mox vt creatus fuit, iustus & rectus fuit, quia bonam & rectam voluntatem à creatore acceperat, quæ per synceram charitatem Deo adhærebat, Deoq; subditus erat: sic & iustitiam quæ reparatur per Christum, oportere esse donum gratiæ, quo iterum per spiritum sanctum voluntas hominis efficitur adhærens & subdita Deo, calumniatur Illyricus.

*Cavillatio quinta argu-
menti.*
Rom. 8.
Isaïæ 64.
Hebr. 12.
Deut. 4.

Adamus, inquit, ubique mox initio creatus valde bonus, tamen coram Deo non sua bonitate, sed gratuito Dei favore acceptus fuit. Est nihilominus verum, quod etiam nos in hac vita oporteat renouari. Sed cum nos tantum primitias, non decimas, multoque minus plenitudinem spiritus acceperimus, & quotidie mortificare veterē Adamū, ac incrementa spiritus accipere debeamus, quomodo possumus hac manca & immūda iustitia intrare in iudiciū cū illo viuento Deo, & igne omnia cõsumente?

Dilutio cavillationis.

Responsio: Tam exosa est bono isti viro interna iustitia, quæ tamen spiritus sancti donum & munus est, vt sentiat ne synceram quidem illam & prorsus incontaminatam Adami primam iustitiam commēdasse Adamum Deo, nec propter illam eum fuisse Deo acceptum, sed propter gratuitū Dei fauorem. Credo quod tandem viri isti ne Christo quidem parcent, negabuntque Christi quoque internam iustitiam, qua sine mensura eius humana mens perfusa est, eum potuisse commendare & acceptum facere

cere patri cœlesti, atque affirmare, eum per solū gratuitum Dei fauorem patri acceptum fuisse. Et in hac sane sententia Illyricus à suis dissidet. nam illi constanter & ingenuè consentitur: Si posset homo mortalis perfectè legē implere, sic vt nullum legis præceptū vnquam violaret, eū posse apud Dei seuerū iudiciū. vitæ suæ bonitate iustificari, Deo placere, eiq; acceptus esse. Quod cū Adamo adhuc incorrupto non solum possibile, verum etiam facile fuerit, necessariò consequitur, per suam internam bonitatem eū placuisse Deo, eiq; acceptum fuisse, & non tantum propter gratuitum Dei fauorem. Et quæ nā obsecro iustitia illi imputata fuit, qua iustus coram Deo, & rectus fuit creatus, si bonitate interna quæ spiritus sancti munere acceperat, iustus coram Deo non fuit? nō enim hic de Christi iustitia ipsi imputata comminisci aliquid licebit. Sed paradoxon istud Illyrici diuina scriptura validè & perspicuè confutat & iugulat. Deus, inquit, ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui. Adiecit mandata & præcepta sua: Si volueris mādata seruare, conseruabūt te, & in perpetuum fidem placitam facere. Apposuit tibi aquam & ignē, ad quod volueris porrige manum tuam. Antē hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei dabitur illi. In quibus verbis clarissimè affirmat Sapiens, quod per conseruationem præceptorum potuit conseruari & iustificari primus homo, adhuc rectus, integer & incorruptus.

Ecclesiastici 7.

Ecclesiastici 15.

Quod

Quod verò Illyricus ab Adami iustitia prima & innocentia ad nostram renovationem transit, quam dicit mancā & immundam iustitiam esse, & proinde nos cum illa nō posse intrare in iudicium cum illo vivente Deo, qui ignis quoque est omnia consumens:

Iam paulò antè respondimus ex Augustino, renovationem nostram, quam in nobis sui spiritus munere facit Deus: & iustitiam qua nos donat, esse veram coram oculis Dei iustitiam & renovationem: & proinde incontaminatam, & puram, & synceram, & quæ ferre iudicium Dei possit. Negamus tamen, quod illa sola freti iusti, audeant intrare in severum iudicium Dei: quia quamvis illam iustitiam in se agnoscant, simul etiam agnoscunt vitæ totius cursum, multis culpis & offensis contaminatum esse, & proinde illarum quoque culparum condonationem supplices postulant: quibus condonatis, quod reliquum est synceræ iustitiæ, coram Dei iudicio consistit, & gloriosam mercedem accipit. Id quod doctissimè explicat Augustinus in libro de perfectione iustitiæ, & in libro de ecclesiasticis dogmatibus definitur, quod iustus per quotidianas levis culpas, sine quibus non agitur vita mortalis, nō desinat homo esse iustus, scilicet corā Deo. Firmū igitur & immortū manet quintū argumentū, ductum à perfecta illa & prima iustitia Adami ad renovationem nostram interiorem, interioremque iustitiā, qua suo munere Deus donat hominē quē iustificat.

In

Auguf. de
perfect.
iustitiæ.
Idem lib.
de Ecclef.
dog. cap.
88.

In sexto argumento docui, iustitiam qua iustificatur impius per fidem, esse non tantum donum internæ iustitiæ, sed etiam donum remissionis peccatorum, & liberationis à morte æterna. Hic iam cauillatur Illyricus: *Redarguit, ergo, inquit, ipsemet suam principalem sententiam aut propositionem, qua contendit nostram iustitiam, qua coram Deo consistamus, esse tantum novas virtutes, aut infusas qualitates.*

Cauilla-
tio Illy-
rici.

Vidéne lector impudentissimum calumniatoris mendacium? Ipse enim propalam testatur, me sexto argumento confiteri, iustitiam non esse tantum virtutes internas à spiritu sancto donatas & infusas, sed etiam donum remissionis peccatorum, & liberationis à morte æterna: & mox tanquam conclusionem infert: Ergo ipse redarguit suam principalem conclusionem: iustitiam qua iustificamur, esse tantum donum internæ renovationis. Scripsi igitur, & rectè scripsi, iustificationem impij consistere in duobus, dono scilicet remissionis peccatorum, & liberationis à morte æterna, & dono interioris renovationis & iustitiæ: ac secundum hoc donum interioris renovationis & iustitiæ, credentes esse formaliter coram iudice Deo iustos. Quod verò dicit Illyricus: *Remissionem debiti, & liberationē à damnatione, nihil aliud esse, quam gratuitam imputationem alienæ persolutionis aut lytri, nempe passionis Christi*: Ita nunc quidem se res habet, quando cælestis pater offensus constituit in se admittas culpas non aliter remittere & condonare,

L nare,

Aug. lib. 13
de Trinit.

nare, quàm per debitæ pœnæ solutionem. Alio-
qui, vt docet Augustinus in libro 13. de Trini-
tate, potuisset Deus peccata condonasse sine vl-
lius pretij persolutione, aut etiam sine omni sa-
tisfactione. Quod si facere cõstituisset, aliud sanè
fuisset remissio peccati, quàm imputatio gratui-
ta alienæ persolutionis. Christi igitur cruciatus
& pœnas, Christiq; passionem, tanquam lytri
pro nobis persolutionem, confitemur gratuita
Dei patris bonitate & misericordia nobis im-
putati, ad remissionem peccatorũ nostrorum, &
omnis pœnæ, cuius eramus rei & debitores, per-
solationem. Sed simul confitemur merito pas-
sionis & mortis Christi, iis quibus remittuntur
peccata donari spiritum sanctum, qui suo dono
& munere eos iustos, rectos, & Deo acceptos
faciat, & vires rectè, sanctè & iustè coram Deo
iudice viuendí, & opera bona & iusta, quibus
Deo magis, magisq; accepti fiant, præstadi præ-
beat. Credo satis perspicuè sententiam nostram
expositã, vt eam amplius apud lectores deprau-
are non possit fœdissimis mendaciis.

Pertractata descriptione iustitiæ à nobis cõ-
stitutæ, & oppugnatæ ac concussis nostris atgu-
mentis, quibus eam descriptionem confirmauim-
us, per vanas & inanes cauillationes, sed mi-
nime euerfis, transit aduersarius ad oppugnan-
das eas rationes, quibus commentitiã senten-
tiam, quod sola imputatione iustitię Christi iu-
stificemur, redarguebam. Sed nec hanc transi-
tionem facere potest sine insigni mendacio.
dicit

dicit enim. *Propositis hisce ratiõculis sua descriptio-
nis iustitiæ, quæ in bonis operibus consistit, transit ad op-
pugnationem nostræ sententiæ.* Est enim lectori ma-
nifestissimum, quod nusquam descripserim iu-
stitiã in solis bonis operibus consistere: sed
semper addiderim, in interiore renouatione, siue
dono internæ iustitiæ & rectitudinis, simul &
bonis operibus siue legis obedientia positã eam
esse, addito etiam dono remissionis peccatorũ.
Porro oppugnationem meam in tribus ratio-
nibus collocauerã, quæ verum stramineæ sint,
(vt cauillatur aduersarius) an potius firmæ &
solidæ, iam excutiamus.

Prima ratio in eo posita fuit: Quia non ad-
mittit naturalis ratio, vt sapiens dicatur qui sa-
pientia præditus non sit: neq; bonus, qui bona
voluntate caret, & bonum non operatur. Quo-
modo igitur fieri potest, vt proprio & vero ser-
mone iustus sit, qui interna iustitia præditus
non est?

Respondet Illyricus: *Ob hoc ipsum dicitur euã-
gelium, totãq; nostra redemptio, non solum mysteriũ, sed
etiã stultitiã, quia est à ratione humana alienissimã. Sanè
si Aristoteles legisset euangelij doctrinam: Peccata iniu-
stissimorum hominũ ita in iustissimum Dei filium trans-
ferri, vt ille ob ea pro iniustissimo tum habeatur, tum pun-
niatur: & vicissim eius iustitiã nobis iniustissimis im-
putari, vt nostras sordes contegat, ne nobis imputetur: aut
visisset hanc doctrinam, aut etiam detestatus fuisset.*

Respondeo, Euangeliũ non ob hoc dici my-
sterium & etiã stultitiã, quia tradit ea quę sunt

L. ij cum

*An iusti
simus per
imputatã
Christi
iustitiã.*

*Prima
Ratio.*

*Cauilla-
tio.*

*Luc. 8.
Ephes. 6.*

Dilutio.

1. Cor. 1.

cum ratione quam instituit creator, pugnantis. Sicuti cum ratione pugnat, quod panis sit corpus Christi, aut quod sapiens homo sit in quo nihil est reuera sapientiae, sed tantum pro sapiente habetur. Sed quia ea quae per illud annunciantur, rationes habent occultas, absconditas, & quas humana ratio peruestigare non potest: sic euangelium nostrae redemptionis per crucem Christi, iudaeis scandalum est: Gentibus & sapientibus ac philosophis (inter quos haud dubie & Aristoteles adnumerandus est) stultitia. Quia carnali rationi non congruit, quod creator carne mortali se vestiat, ut in ea peccata plasmatis sui expiet. Verum si ex inhausta charitate erga suum plasma id faciat plasmator, & in corpore sibi unito poenas peccatis alienis debitas luere velit, id quod creatura debebat quae soluendo non erat, in se, propria voluntate transferendo: incomprehensibile illud consilium, atque incomprehensibilis bonitas patefcet omnibus, nihil autem contra rationes à Deo institutas factum deprehendetur. Confitemur itaque quod Aristoteli, ac alij cuius philosopho fide nondum illustrato imperuestigabile illius consilij mysterium, stultitia fuisset: sed non inde consequens est, quod pro euangelio vero agnoscere debeamus, aut quod panis pistorius & materialis, sit vere corpus Christi, & vinum sit sanguis. Aut quod sapiens aut iustus sit secundum rei veritatem, in quo nec vera sapientia, nec vera iustitia inest: praesertim cum iustitiam ipsam, per quam iustus esse quispiam

quispiam in scripturis sanctis pronunciat, tam diffuse describatur esse internum aliquid, ei qui iustificatus pronunciat donatum. Renouamini, inquit Paulus, spiritu mentis vestrae, & induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est, in iustitia & sanctitate veritatis. item: Salvos nos fecit per Iesum Christum saluatorem nostrum. Porro quid spiritus sanctus effusus in credentes, in eos operetur, diffuse dicit Apostolus: Charitas Dei diffusa est, inquit, in nos per spiritum sanctum qui datus est nobis, ut iustificati gratia ipsius, haeredes simus secundum spem vitae aeternae. Caeterum quod insolenter dicit: (Mirum non esse nobis, ipsorum doctrinam de imputata iustitia videri absurdam. Sic enim etiam Phariseis valde absurdum visum fuisset, quod Christus dicebat, publicanum orantem in templo, & humiliter confitentem peccata sua, & mulierem peccatricem, magis iustificatos fuisse quam Phariseos, & denique meretrices & publicanos praeventuros esse ipsos illos sanctulos in regno caelorum) ad nostram causam nihil pertinet: quae vera iustificationis ratione, in ipsis spiritus divini scripturis tradita nititur, quam superbi Pharisei aut ignorabant aut contemnebant.

Ad secundum argumentum, in quo scripturam hanc doctrinam esse contumeliosam, in spiritum sanctum; qui multis iustitiae laudem tribuat in sacris scripturis:

L iij Res

Ephes. 4.

Tit. 3.

Rom. 5.

Luc. 18.

Luc. 7.

Matth. 21.

2. Argumentum.

Cavilla-
tio.

Respondet versari in eiusmodi testimonijs Spiritum sanctum, non in foro severissimi iudicij Dei, ubi proprie vera iustificatio peragitur: sed in foro gratiæ. Vbi etiam publicanus & meretrix iusti vocantur. Fuerunt igitur, inquit, illi, quibus Spiritus sanctus laudem iustitiæ tribuit, iusti quidem coram Deo, primum contegente eo, aut misericorditer condonante, ac non imputante eorum iniustitiam, propter imputationem iustitiæ Christi, qua iustitiæ proprie servati sunt. Deinde verò fuerunt etiam aliquatenus acceptis primitiis Spiritus, renouati, & mente legi Dei servire sunt conati, semper clamantes: Non intres in iudicium cum seruo tuo o domine. quia si obseruaueris iniquitates, non sustinebit, aut non iustificabitur in conspectu tuo vllus viuens.

Psal. 143.
Psal. 130.

Dilutio.

Respondeo, Eos quos Spiritus sanctus pronunciat in scripturis iustos, non pronunciat eos sine omni peccato fuisse, aut non septies in die cecidisse, aut non indignuisse remissione peccatorum, aut posse intrare in iudicium cum severissimo illo iudice. Sed quamvis peccato non caruerint, & peccatorum remissione egerint, pronunciat tamen iustos fuisse: & veram iustitiam præditos & donatos fuisse: quæ ipsa iustitia in iudicio Dei consistere possit, si prius per misericordiam Dei, propter meritum iustitiæ Christi, peccatorum illorum, sine quibus vita iustorum non est, remissa essent veniam implorantibus, & peccata confitentibus. Pro quorum remissione quotidie dicunt omnes iusti; Dimitte nobis debita nostra. Atque hoc est quod dicimus: Renouationem illam, & iustitiam.

Prou. 14.
Psal. 143.

& iustitiam, quæ per primitias spiritus hic credentibus datur, esse veram iustitiam, quæ iudicium Dei sustinere poterit, remisissis peccatis illis, sine quibus vita hæc non agitur. Neque etiam sic renouati, ac vera iustitia præditi ac donati contendunt cum Deo intrare in iudicium: quia in iudicio illo Dei viuentis severissimo, non solum ipsa illa vera iustitia sistenda erit, sed etiam offensæ illæ in toto vitæ decursu admiffæ. Quæ postquam vel hic, vel ibi misericorditer condonatæ erunt, vera illa iustitia, qua donati sunt, & quam sunt operati, feret Dei iudicium, & gloriosam mercedem accipiet, vt iam sæpe dictum est, & sicut sententiæ superius citatæ docent. Atque hæc est prophetiæ Davidis sententia: Non quidem nullam esse iniustus veram & synceram, ac puram iustitiam, quæ posset sustinere severum iudicij diuini examen, & mercedem mereatur: sed nullius viuentis vitam esse ita incontaminatam, vt iudicium Dei severum sustinere possit, tanquam nulla misericordia, aut peccatorum remissione opus habens. Deinde vigilanter animaduertendum est, Dauidem non dixisse: Quisquis autem iustificabitur, non nisi in iustitia Christi sibi imputata iustificabitur. iustificabitur enim in conspectu Dei omnis iustus, quando remisso rigore suæ iustitiæ, misericorditer remiserit offensas quotidianas, & nihil in eius conspectu reliquum erit pæpter iusti iustitiam.

Augul. de
perfect.
iustitiæ.
Idem de
dog. Eccl.
Hierony-
mus lib. 1.
contra Pe-
lagianos.

L iij Porro

Porro quod hic subtexit Tileranum supra dixisse: Nihil manere in sanctis, ob quod sint damnabiles per Dei iustitiam: vide obsecro malitiosam fraudem hominis. Scripseram in capite de peccato originali: In sanctis nihil remanere ex reliquijs veteris hominis post baptismi lacerum, ob quod sint per Dei iustitiam damnabiles: & in eam sententiam interpretatus sum illud Pauli dictum, Nihil ergo damnationis est ijs qui sunt in Christo Iesu, scilicet propter legem membrorum repugnantem legi mentis, post baptismum reliquam. Hoc maliciosè mentitur me generaliter de quibuslibet sanctorum culpis affirmasse. Quod quanquam verum esse magis existimem, nolui tamen eam quæstionem de peccatis iustorum vel attingere: An possint secundum rigorem diuinæ iustitiæ æterna damnatione puniri. Sic bonam fidem suam scilicet declarat perpetuò Illyricus.

3. *Argumentum
cauillationis.*

Postremum argumentum cõtextum erat ex sententijs potissimum Augustini, supra in defensione tertij argumenti copiose citatis.

Respondet Illyricus: *Patribus iniuriam facit, sicut supra ostendi. Et adducit illud valde memorabile Augustini dictum: Omnia mandata Dei implentur, quando quicquid non fit, ignoscitur. Sicut Hieronymus inquit: Tunc ergo iusti sumus, quando nos peccatores fatemur. Et iustitia nostra non ex proprio merito, sed ex Dei consistit misericordia.*

Dilutio.

Respondeo, An patribus iniuriam faciam, æquus lector ex clarissimis ipsis sententijs ipse diju-

dijudicare potest, & cognoscere quod non ego, sed ipse manifestam iniuriam patribus faciat. Deinde quàm fraudulenter citauerit sententiam Augustini, & eam deprauauerit, satis ibi expositum est. Porro quod celebrem illam Augustini sententiam: Omnia mandata Dei implentur, quando quicquid non fit ignoscitur: detorqueat ad probandum, quod sola Christi iustitia iusti sumus, foedissima deprauatio est verissimæ sententiæ. Differit enim eo loco Augustinus de ea perfectione, qua lex ita impletur, vt ne apex quidem vnus, aut iota vnum prætermittatur: & quærit, an ea perfectio possit homini in hac vita contingere. Respondet autem non posse contingere, nisi secundum quendam modum: videlicet vt is intelligatur ad minimum vsque apicem mandata impleuisse, cui propter humilem orationem multa, in quibus deliquit, ignoscuntur, vt omnia mandata impleuisse dicatur mortalis homo, quando quicquid per humanam infirmitatem non fecit, Deus illi misericorditer ignouit. Sicut de Dauide scriptum est: quod fecit omnes volûntates Domini. Nihil ergo aliud docet memorabilis illa Augustini sententia, quàm nullum mortalem hominem hanc vitam transigere sine omni peccato. Rectè tamen de iusto homine dici, quod omnia mandata fecit, quando per humilitatem orationis ignosci impetrauit quicquid non fecit. Atque hoc est quod Catholici docemus: Quando iusto mise-

1. *Retract.
cap. 19.
Exponitur
sententia
sua
Augustini.*

Act. 13.

ricorditer condonati erunt humani lapsus, tunc reliquam eius iustitiam in diuino iudicio non solum non repudiandam, abijciendam aut damnamdam, sed etiam coronandam.

Hieronymus lib. 1. contra Pelagianos.

Libro 2. 2. Par. 3.

Lib. 2. contra Pelag.

1. Petri 4.

Similiter sententia Hieronymi: Tunc iustus sumus, quando nos peccatores famur: non eam habet intelligentiam, consistendum esse quod nihil iustitiæ habemus, & quod iniustum est quicquid facimus. nam hanc intelligentiã ipse palam dñat, dñi ita scripsit: Non enim ex eo quod parua peccauit, iustitiæ nomen amisit rex Ezechias, sed ex eo quod multa bona fecit, iusti uocabulum possidet. Scripturarum quoque sanctarum testimonijs comprobatur, non ex eo peccatores esse iustos, quod aliquãdo peccauerunt: sed ex eo iustos permanere, quod multis uirtutibus floreat. Et ualde memorabilis est illa in 2. libro contra Pelagianos sententia Hieronymi. Et si iustus uix saluabitur, impius & peccator ubi parebunt? Certe iustus est, qui in die iudicij uix saluatur. Saluaretur autem facile, si nihil in se haberet maculæ. Ergo iustus est, in eo quod floret multis uirtutibus: & uix saluatur, in eo quod in quibusdam Dei indiget misericordia. Hanc eruditissimi Hieronymi celeberrimam & validissimam sententiã diligenter retineat ac perpendat lector aduersus commẽtitiã istã doctrinã de iustificatione hominis per solam imputatã Christi iustitiã: quasi in iustis nulla sit uera & pura, ac sincera iustitia, quæ possit iudicium Dei sustinere. Iustus, inquit, ille, in eo quod floret

floret multis uirtutibus, multisque bonis operibus, saluabitur: sed uix saluabitur in eo quod eget in quibusdã Dei misericordia. Quod ergo dicit: iustitiã nostrã ex Dei misericordia consistere, iam audisti quomodo intelligendum sit, nempe iustitiã nostrã, non adeo esse perfectã & absolutã, ut in iusto nihil sit maculæ, & proinde nostrã iustitiã indigere in quibusdam Dei misericordia. Itaque uerissimè & rectissimè ab eo scriptum est, quod tunc iustus sumus, quando agnoscimus in nobis multas adhuc maculas in hac mortali uita esse, ob quas opus habeamus misericordia. Id quod si non agnoscimus, superbi sumus, & iustitiã caremus.

Confido iam palam & liquidò cernere Christianum lectorem, non me, sed nouatores istos sanctis patribus iniuriã facere, & patrum sententias, quas pro commentitiã sua doctrinã perperam citant, solidè & perspicuè nostrã sententiã confirmare.

Postquam nostrã sententiã, quæ uerè Catholica est, exposuissẽ, & idoneis, solidis ac firmis rationibus & argumentis confirmassẽ, progressus sum ad refutationem probationũ & rationum, quibus commentitiã sententiã comprobant. Eas igitur rationes iam pergit defendere, ac nostras refutationes oppugnare.

Primã probationẽ sumptã à contrario, siue ex cõmutatione iustitiæ ac iniustitię inter Christum mediatorem ac nos factæ, reuersi in aduersarios, & ostendi ex ea cõmutatione con-

Excusatur primã probationis cõfutatione.

firmari

firmari nostram sententiam. Cum enim iniustitia nostra non sit proprie & formaliter in Christum translata à patre cœlesti, & transcripta, sed tantum secundum effectum supplicij, quod per peccatum suum contraxit homo peccans, consequens esse ex ipsa commutationis similitudine, quod iustitia Christi in nos translata sit secundum effectum tantum aliquem, & non secundum seipsum formaliter. Et addidi, neque secundum iniustitiam, neque secundum iustitiam translaticiam, posse hominem dici formaliter vel iniustum, vel iustum.

Cauillatio Illyrici. Hic exclamat primùm Illyricus, *falsissimum esse etiam apud dialecticos, quod formaliter aliqua forma affectum esse non dicitur, nisi forma ei realiter insit, & inhæreat: cum sint etiam formæ rationales, ut in relationibus. Quare verissimè Christus, inquit, dicitur peccator ac debitor per potentissimam patris imputationem, & voluntariam peccatorum in se receptionem.*

Dilutio. Respondeo. Cum non de relationibus rationalibus, quæ in sola mentis cogitatione vel consideratione positæ sunt, sed de rei veritate hic quæstio sit, ut puta, utrum secundum rei veritatem homo iustus sit, & per Christi iustitiam iustificetur, an tantum per imaginariam mentis cogitationem: & utrum secundum rei veritatem, & sermonis proprietatem Christus sit iniustus & peccator, bonus Illyricus aduersus nostram sententiam excipit per rationales formas siue relationes. Sentit igitur Illyricus homines iustificari à Deo per Christum, non secundum rei verita-

veritatem, sed solum secundum rationem relationis, & considerationem mentis. Et sane prius absurdum est affirmare, iustitiam ipsam & iniustitiã, siue in nobis, siue in Christo esse formas rationales, quas evidentissimum est esse formas reales & absolutas, quæ minimè in relatione & comparatione cõsistant. Cernis igitur lector absurdissimam Illyrici doctrinam, homines iustificari per Christi mortem, nõ secundum veritatem, sed solum secundum rationis comparationem & imaginationem. Scio quidem verbum imputandi, esse verbum relatiuũ. Sed non nũc agimus, quid de ipsa imputatione sentiendum sit, sed quid de ipsa iustitia, quæ imputatur credenti, existimandum sit: an ipsa quoque forma tantum rationalis sit. Quam veram esse & absolutam formam non ipsa tantum recta ratio, & communis sensus, sed etiã diuina scriptura, & tota antiquitas clamant. Stat ergo solida sententia nostra: Subiectum formaliter, aliqua forma, reali scilicet & absoluta (nam de eiusmodi forma sermo erat) affectum non dicitur, nisi ea forma ei realiter insit & inhæreat. Neque dialectica illa sententia verissima, theologo repudianda est aduersus sophismata & cauillationes hæreticorum disputanti, præsertim quando in ea sola non constituitur totum robur disputationis.

Vociferatur deinde Illyricus: *Sophisma esse non minus falsum quàm impium, quod Christus non tam culpam aut peccatum, quàm penam tantum peccati in se receperit. Ideoque à Paulo improprie vocetur peccatum,* 2. Cor. 5. *nempe*

Alia cauillatio.

nempe *victimam peccati*. Quia ex contextu Pauli manifestè, inquit, contrarium apparet. Inquit enim, eum qui non nouit peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos fieremus iustitia Dei in ipso. Vbi clarè videmus, inquit, ex duplici antithesi agi de vero peccato, de vera iustitia & iniustitia. Sensus enim est, quod innocentissimū filium suum fecerit per imputationem peccatorem, qui nullum peccatum vnquam patrauerat.

Dilutio. Respondeo. Peccata, culpas, iniustitias ac iniquitates nostras translatas esse in Christū à Patre cœlesti, affirmat scriptura diuina: Omnes nos quasi oves errauimus, vnusquisq; in viam suam declinauit. & : Posuit dominus in eo iniquitatē omnium nostrōrum. item: Iniquitatem eorū ipse portauit. rursus: Ipse peccata multorū tulit. & Petrus: Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum. Verū quo sensu hæc dicta spiritus sancti accipienda sint & intelligenda, id expendendum. Atq; hic mox certum est, non posse hæc testimonia sic accipi, ut intelligantur nostræ culpæ, & iniustitiæ proprio sermone in Christo esse, cum eas ipse non admisit, & proinde eius nō sint. Intelligendæ sunt ergo Christo à patre impositæ tantum secundum certum quendam modū: nempe quia eas luendas, exoluendas, dependendas, & expiandas, per ineffabilem charitatē nostrę salutis ipse innocentissimus suscepit. Quod secundum veritatē & proprietatē sermonis nō est aliud, quàm culparū nostrarum expiationē, exolutionē & abolitionē suscepisse. Quę quidē expiatio secundū scripturas in duobus

bus potissimum consistit, nempe in abolitione inimicitia, quæ per peccatū inter Deum & nos conciliata erat, per remissionē peccati gratuitā, & iustitiæ perditę reparationē: & in exolutione pœnarū & suppliciorum, quorum per peccatum & iniustitiā debitores constituti eramus. Secundum hunc itaq; sensum si quis dicat: Christum factū esse à Patre peccatorem, fortasse nō aberrauerit. quanquā ea sermonis forma in scripturis, illis verbis nō reperiatur: nec propria esse possit, cum peccatorem esse, propriè non sit nisi peccato proprio obnoxium esse. vnde dicit Sapiens: Altissimus odio habet peccatores.

Ecclesiastici 12.

Quæ cum ita sint, cernit lector verissimū esse quod scripsi: quod Christus nō culpam aut peccatū in se suscepit proprio sermone, sed culpę debitam pœnā, & supplicium, & culpæ expiationem ac inimicitia per culpā contractæ interfectionē & abolitionem, ac deniq; amissæ iustitiæ reparationē. Neq; huius contrariū habet textus Pauli, inquentis: Eum qui nō nouit peccatum, nempe Christum, factū esse pro nobis peccatū, ut efficeremur iustitia Dei in ipso. vbi opponitur quidē iustitia peccato, nō quod Christus factus sit ipsa iniustitia hominis qui peccauerat: sed quia factus est sacrificiū & victima, per quā peccatum expiaretur: eoq; expiato, amissa iustitia homini per victimā illam reconciliato restitueretur. Ad hunc modū vniuersi interpretes catholici hunc locū explanauerūt: ut sicut in veteri lege hostia, quę pro peccato offerebatur, peccatū appellatur:

1. Cor. 5.

August. in locis innumeris.

ita

Leuitici
16. de Hir
co.
Rom. 8.

ita hoc loco Christus peccatum sit factus à patre, quia à patre factus est, & decretus victima & sacrificium pro peccato. Ad quem modum Paulus in epist. ad Romanos dixit: Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, de peccato damnauit peccatum in carne, hoc est, per hostiam & victimam filij pro peccato oblatam, damnauit peccatum in carne. Quod si omnino contendat Illyricus peccatum eo loco accipi propriè de vero peccato, sane non aliter intelligi potest Christus factus esse à patre cælesti peccatum aut peccator, quàm quia officium & ministerium expiandi peccatum, Christo tanquam sacerdoti est à patre impositum, & ab eo voluntariè susceptum. Quod non aliud est, quàm eum factum esse à patre sacrificium & victimam pro peccatis.

Ex his quoque intelligere & iudicare potest lector, quàm maliciôsè improbus calumniator scribat me per flagitiosam fraudem peruertisse locum Esaïæ: Posuit in eo iniquitates omnium nostrum: propterea quod loci huius explicationem insinuatam dixerim per sententiam aliam eiusdem capituli: Disciplina pacis nostræ super eum. item: Vulneratus est propter peccata nostra, & attritus est propter scelera nostra: quæ antecedit priorem sententiam. Quasi verò ex sententijs subsequentijs dicti alicuius intelligentia sumenda sit, & non possit vera dicti intelligentia & explicatio ex ijs quoque sententijs quæ antecedunt colligi & sumi, quasi verò

Pro-

Prophetæ sententias obscuriores non soleant sepe verbis clarioribus fatishabere prius expressisse. Et obsecro te lector, quid aliud est, patrem posuisse in Christo iniquitates omnium nostrum, quàm eum disciplinam pacis nostræ super eum posuisse, & eum vulneratum esse propter peccata nostra, & attritum propter scelera nostra? hoc est, reconciliationem nostri cum Deo per ipsum factam esse, & debitum omne pœnarum, reatuū ac suppliciorum per eius vulnera & liuorem sublatum & exolutum esse? Vides hic Christiane frater, non in me flagitiosam aliquam fraudem, aut sophisticam imposturam, sed improbi hominis malitiosam cauillationem.

Cæterum quod adhuc cauillatur ex ipsometextu Esaïæ clarè apparere, loqui prophetam non tantum de pœnæ translatione, sed etiam de culpæ & peccati, quia dicit: Omnes nos sicut oues aberrauimus, singuli in propriam viam declinauimus: at Deus posuit in eo iniquitates omnium nostrum: nisi calumniandi studio excæcetur, facile perspicere possit quod non scripserim, non esse translatas iniquitates nostras in Christum: sed quod non sint proprio sermone translatae in eum. Nec ipse proprio sermone factus peccator, sed secundum modum supradictum, quæ etiam in antecedentibus sententijs propheta explicauit, dicens: Disciplina pacis nostræ super eum, & vulneratus est propter peccata nostra, & attritus propter delicta nostra. Sicut propheta ipse tam signanter dixit cum peccatoribus eum

M

repu-

Leuitici
16. de hir-
co ables-
gato.

reputatum, non autem eum peccatorem factum esse aut fuisse. Sicut ergo in veteri testamento victimæ, quæ erant typi Christi, omnia peccata populi in suum caput recipiebant, & ea secum auferbant, & tamen non erant proprio sermone peccata aut peccatores: ita de Christo quoq; qui in se voluntariè transtulit omnium peccata, sentiendum omnino est. vt proprio sermone verum peccatum, aut vere peccator appellari non possit. Falsissimum igitur est, quod inuerecundè scribit, me scientem abuti scripturis, & filij Dei mysterium obscurare, dum prophanas sermonum nouitates, Christum esse verum peccatū seu iniustitiam: Christum vere esse peccatorem, deuitās patrum vetustissimorum explanationes sequor, & sequēdas ac tenendas commendo. Vide Augustinum lib. 2. contra Maximinū. In Enchiridio cap. 41. item de gratia noui testam. cap. 3. in lib. quæst. Numeri 12.

Stat igitur solida confutatio primæ rationis. quod in hac commutatione mirabili sicut nostra iniustitia non fuit formaliter translata in Christum, sed solum vt ipse in suo corpore eam dependeret, & debitum per eam nobis contractum persolueret pro nobis: ita iustitia Christi non formaliter transferatur in nos, vt per eam formaliter iusti simus, sed transferatur & applicetur per gratiam Dei patris in nos, ad donandum spiritum sanctum, qui innouet nos, & diffundens gratiam faciat nos dilectores Dei, & operatores iustitiæ, & imitatores obedientiæ legis

gis. Quæ interior renouatio, & legis obedientia, vera est & illa ipsa iustitia, qua coram Deo iusti sumus.

Secunda ratio Confessionis fuit, quod sicut nostra iniustitia est debitum culpæ, aut obedientiæ non præstitæ: ita Christi persolutio pro nobis legi ac seueræ Dei iustitiæ facta, & in nos per imputationem translata, est coram Deo nostra iustitia qua iustificamur.

2. Ratio
Confes-
sionis.
,,
,,
,,

Ad hanc respondi in confutatione: Nostram iniustitiā & inobediētiā nō proprie esse ipsum debitum illud aut reatū, cuius persoluedi corā Deo debitores cōstituti sumus. Non enim iniustitiæ aut inobediētiæ debitores facti sumus, sed rei facti sumus æternæ damnationis & pœnarū tā futuræ quā præsentis vitæ. Ac proinde nostrā iniustitiā ac inobediētiā, magis dicēda esse parere in nobis debitū pœnarū ac dānationis. Ex quo cōclusi, quod similiter nostra iustitia coram Deo, proprie nō sit persolutio debiti illius quod per iniustitiam contractū erat, sed potius iustitia & sanctificatio, quæ per pretij & lytri persolutionē à Christo factam pro nobis, nobis donata est.

Hic primūm vociferatur Illyricus, quod argumētum tā in refutatione, quā in recitatione, data opera corruerim. quod cum Confessio clarè posuisset, quod nostra iniustitia sit debitū non solum exoluedarum propter admittam iniustitiā pœnarū: sed etiam debitū non præstitæ obedientiæ, de debito neglectæ obedientiæ nihil dixerim: sed tantum egerim de debito exoluedarum pœnarū.

Cailla-
tio Illy-
rici.

M ij Deinde

Deinde reprehendit, quod negauerim peccata esse debita, & persolutionem debitæ obedientiæ legis, esse iustitiam.

Dilutio.

Respondeo: quod satis habuerim in vna specie, nempe exolendarum pœnarum, ostendere iniustitiam ipsam & culpam nõ esse propriè debitum exolendarum pœnarum, sed potius debiti illius coram iudicio & foro Dei contracti causam. quod verissimum esse res ipsa clamat. De debito autem obedientiæ non præstitæ, existimaui idem prorsus esse iudicium. Inobedientia enim contra legem Dei non alia ratione est debitum coram Deo, nisi quia facit hominem inobedientem, esse debitorem apud Deum. Sed cuius quæso rei præstandæ debitore, an inobedientiæ? Minimè sanè. Cuius ergo, an obedientiæ? sed ad eam præstandam etiam iustus astrictus est. Cuius ergo tandem? certè non alterius rei, quàm pœnarum & damnationis luendarum. Sed quando vrget fraudulentia Illyrici, aperiam lectori mysterium erroris, quod sub inuoluto sermone de debito obedientiæ non præstitæ, vel neglectæ, & de persolutione obedientiæ Christi regit. Contendit impiè Illyricus obedientiam etiam renatorum esse semper contaminatam, & labe peccati infectam: & proinde nullam eius obedientiam legi satisfacere: Christi verò obedientiam patri delatam & persolutam nobis imputari, nosque per eam censerì a Deo impletores & factores legis, contra aperitissimas scripturas: Iustificatio legis impletur in

Rom. 8.

ijs


ijs qui non secundum legem ambulant. item: Ipsi sumus figmentum creati in operibus bonis in Christo Iesu, quæ præparauit Deus vt in illis ambulemus. rursus: Nihil mihi conscius sum, inquit Paulus. item: Bonum certamen certauit: cursum consummaui: fidem seruauit. item: Abraham ex operibus, scilicet per fidem factis, iustificatus est, scilicet coram Deo. Non igitur nostra obedientia consistit in persolutione obedientiæ Christi in nos translata, & nobis imputata (vt comminiscitur Illyricus) sed in vera legis obseruatione, quam viribus ex obedientiæ Christi merito nobis donatis operamur. Quod deinde dicit, Christum proprie vocare ipsa peccata, debita: concedimus Christum ita appellare peccata, & rectè: at nõ quod ipsa proprie sint debita. non enim peccatum est Deo debitum, sed quia faciunt nos apud Deum reos & debitores: debitores, inquam, exolunde æternæ damnationis & pœnarum horribilium, nisi alius quispiã suo merito debitum hoc aboleri & expungi procurer. Similiter scelerata calumnia est, quod scribit nos negare, persolvere debitam obediẽtiam legibus, esse verã iustitiam. nusquam enim hoc a nobis scriptum esse monstrare poterit. Sed id tantum scripsimus, obedientiam illam Christi, qua debitum peccatorum nostrorum, hoc est, debitum per peccata nostra coram Deo contractum exoluit, non esse nostram illam iustitiam qua coram Deo iustificamur: & falsam esse & commentitiam impu-

Eph. 2.

2. Tim. 4.

Iacobi 2.

Matth. 6.
& 18.
Luc 7.



M ij ta.

tationem illam perfectissimæ illius obedientiæ nobis factam, vt in nobis iniusti & inobedientes, per eam iusti & obedientes habeamur & censeamur apud iustum illum iudicem Deum, cuius iudicium nõ est nisi secundum veritatem. Stat ergo solidè nostra confutatio.

Rom. 2.

3. Ratio
Confessio
nis.

Tertia ratio erat sumpta ex similitudine captiuitatis alicuius bello victi, & in seruitutem redacti, & tandem persoluto prætio siue lytro per amicum, redempti & liberati, & nostræ captiuitatis & seruitutis sub tyrâno diabolo, & iustissima Dei ira. Ex qua concludit, quod sicut redemptio captiuorum ac seruorum prætij seu lytri imputatione, transcriptioneq; peragitur: ita & redemptio per Christum facta, peracta sit sanguinis eius lytro nobis imputato, & in nos transcripto.

Responderam, hanc collationem magis pro nobis facere, quandoquidè quando seruus quispiam aut captiuus liberatur è captiuitate aut seruitute per solutionem lytri seu prætij ab amico factam, ipsa persolutio pacti & conuenti prætij, quamuis sit iustitia erga dominũ, non est tamen ipsa libertas, in quam restituitur qui è seruitute aut captiuitate liberatur: sed est ratio, qua ad libertatem peruenitur. Sic quando per lytrũ sanguinis Christi homo redimitur è seruitute aut captiuitate diaboli, ipsum lytrum aut ipsius persolutio, iustitia quidem est ergo patrem cœlestẽ offensum: sed non est ea ipsa iustitia & libertas, ad quam captiuus restituitur.

Hanc

Hanc responsonem & refutationem aper-
tissimam & solidissimã, vanissima cauillatione
oppugnat Illyricus, astutiam nescio quam mihi
impingens, quod libertatem hominis redempti
ex seruitute vel captiuitate, conferam cum ius-
titia hominis redempti per Christi passionem
ex seruitute & captiuitate diaboli: cum libertas,
& econtrà seruitus & miseria sint conferendæ
cum felicitate piorum, & infelicitate peccato-
rum: Iustitia verò sit causa liberationis, & in-
iustitia, causa seruitutis. Scientem & pru-
dentem hæc fraudulentum hominem cauillari
nihil dubito. Non enim potest ignorare homo
in scripturis versatus, libertatem spiritus, no-
uitatem spiritus, seruire iustitiæ in sanctificatio-
nem, pro iisdem poni in scripturis. Et proinde
captiuitatem & seruitutem sub tyrannide dia-
boli, rectissimè comparari cum redemptione à
tyrannide & seruitute diaboli, & cum seruitute
iustitiæ. Sed omiſſis cauillationibus, res ipsa
per seipsam manifestissima est. Sicut per prætij
& lytri pacti persolutionem redimitur quidem
captiuus aut seruus ex captiuitatis & seruitutis
miseria: sed tamen ipsa persolutio lytri, non
est ipsa libertas ad quam restituitur: ita per
lytri solutionem pro nostris peccatis à Christo
peractam redempti quidem sumus ab infelici
seruitute sub diabolo, sed tamen libertas ipsa
siue nouitas spiritus, ad quam restituti per eius
gratiam sumus, non est illa ipsa persolutio
prætij pro nobis, sed est aliquid nobis à patre
cœlesti

2. Cor. 3.
Rom. 7.
Ioan. 8.
Rom. 6.

M iij cœlesti

cœlesti donatum per meritum Christi, quo seruiamus deinceps patri cœlesti in nouitate spiritus, & non in vetustate literæ. Hoc autem est donum interioris renouationis & veræ obedientiæ sanctæ legis eius in posterum præstandæ. Est igitur obedientia & præmium passionis Christi, verissima & perfectissima iustitia apud patrem cœlestem, qua ex inferni carcere redemptis restituitur libertas & nouitas spiritus, siue iustitia: at non est ipsa illa libertas & nouitas siue iustitia spiritus, qua redempti liberamur. Et hoc diligenter obseruet & perpendat lector Christianus, hominem istum fraudulentum statum disputationis & controuersiæ astutè pervertere. Non enim quæritur, vtrum per solutio prætij & lytri, à Christo pro nobis facta, sit vera iustitia: sed vtrum illa iusta per solutio, sit ea ipsa iustitia, qua iustificantur, & iusti constituuntur, & iusti sunt credentes in eum qui iustificat impium. Et grato animo ac lubenti profitentur omnes Catholici, Christi illam per solutionem esse verissimam & absolutissimam iustitiam: sed non esse eam iustitiam, qua formaliter iustificantur in Christum credentes. Confitentur quoque verè dici, Christi illam per solutionem pro nobis factam, siue iustitiam, nobis hactenus applicari ac communicari, ac (si ita placet loqui) imputari, vt per eam nobis donetur spiritus renouans nos, & faciens impletores legis: in quibus donis eam iustitiam, qua iusti sumus coram Deo, positam esse,

*Astutia
& fraus
Illyrici
detegitur*

esse, nos cum scriptura diuina & vniuersa antiquitate rectissimè docemus.

Scribitur, inquit Augustinus, in interiore homine iustitia per Dei gratiam. item: Iustificatio- nem nostrâ gratia Christi intrinsecus operatur. rursus: Iustificantur in Christo qui credunt in eum propter occultam inspirationem gratiæ spiritualis, quia quisquis hæret Deo, vnus spiritus est, quam gratiam latenter infundit & paruulis. Et de gratia noui testamenti ad Honoratum prolixè & disertè tradit, iustitiam Dei qua iustificamur, non esse ipsam Christi iustitiam: sed iustitiam, quæ nobis à patre cœlesti propter Christi meritum donatur, & per spiritum sanctum infunditur. Non igitur blasphemia est, sed spiritus sancti doctrina per eruditissimos patres ex scripturis sanctis sumpta & tradita: Iustitiâ, qua credentes iustificantur, iusti cõstituntur, & iusti sunt corâ Deo, non esse ipsam obedientiam, & iustitiam absolutissimam Christi, erga patrem cœlestem in nos transcriptam, & nobis imputatam: sed interiorem renouationem per spiritum sanctum credentibus donatam, qua tanquam vnus cum eo spiritus iam renouati Deo adhærere possunt, & mandatis sanctis eius obedientiam præstare & volunt & valent. Atque hanc conclusionem perpetuò ante oculos sedulo retineant Christiani lectores aduersus fraudes & deceptiones istorum impostorû.

Quarta probatio Confessionis erat: Christus nos sua passione, tanquam sacrificio quodam

N v ser-

*Lib. 1. de
pecc. meritis.*

Epist. 110.

*4. Probatio
Confes.
excusatur*

seruauit. Meritum verò sacrificiorum nō transfertur in eos pro quibus trāsfertur, nisi per imputationem, & clemētem patris cœlestis transcriptionem.

Respondi, sacrificij meritum & virtutem non transferri in eos pro quibus sacrificiū offertur, nisi per fructum aliquem aut effectum, quem eis impetrat aut confert: & ex eo consequens esse, ex sacrificij passionis Christi merito & virtute in nos transferri fructum iustitiæ, quo dicimur iustificari.

Cauillatio.

Obiicit hic Illyricus: *Me scientem, dum hac scribo, peruertere veritatem. Me enim non posse ignorare, in omni sacrificio esse duo quædam, nempe meritum seu iustitiam quædam, & premium seu bonum impetratum. vtrumq; horum donari ei pro quo fit sacrificium.*

Dilutio.

Respondeo me agnoscere in omni sacrificio duo quædam. Rem, quæ Deo offertur, & bonum siue fructum, qui à Deo expectatur & impetratur. Verum quod horum vtrumque ei donatur pro quo fit sacrificium, hoc prorsus absurdum dico. Non enim sacrificium, aut id quod Deo ad impetrandum aliquid offertur, ei donatur pro quo fit sacrificium, sed id demum ei pro quo fit sacrificium donatur, quod per sacrificium Deo gratum & acceptum impetratur. Vt, verbi gratia, quando sacrificium iuxta præscriptum legis pro condonatione peccati impetranda Deo offerebatur, nō hostia, quæ pro peccato offerebatur, ei pro quo offerebatur donabatur: sed tantum condonatio peccati, quæ sacrificij

sacrificij merito & valore impetrabatur. Solidissimè ergo conclusi ex ea similitudine in Coniuratione, quod sacrificium passionis & obedientiæ Christi, non sit nostra iustitia, sed sit meritū & causa nostræ iustitiæ, tanquam fructus cuiusdam à patre cœlesti per hoc sacrificiū impetrati ac promeriti. Postremò, quod scribitur in lege, sacrificia peccata alicuius expiare (quod pro sua sententia facere putat) nōne perspicuè significat, non sacrificiū imputari alicui, aut transferri siue transcribi in eum ita vt fiat eius: sed ex sacrificij merito, valore, aut dignitate, aut impetratione fructum expiationis peccatorum provenire in aliquem? Et hoc sane modo confitemur, sacrificium obedientiæ Christi imputari, aut transferri in nos. non quod nostrum fiat, sed quia applicatur nobis, vt ex eius merito proveniat in nos fructus expiationis aut abolitionis peccatorū, fructus iustitiæ, & omnis boni, omniumq; virtutum.

Leuitici 1.2.3.4.5.

Quinta probatio Confessionis ex eo fuit ducta, quod Paulus ad Rom. 3. 4. & 5. ex professo agens de iustitia qua coram Deo iustificamur, nullam prorsus facit mentionē iustitiæ alicuius nobis donatæ aut infusæ. quin potius eam inde omnibus modis, summaq; seueritate excludit, & vrget quod sit quiddam à Deo imputatum.

5. Probatio Confessionis.

Responderam, Paulum in epist. ad Rom. potissimum agere, quomodo homo consequi possit eam iustitiam qua verè iustificaretur coram Deo, & quanam ratione ad iustitiam coram Deo

perue-

Rom. 9.

peruenire posset. Atque ex capite 9. epistolæ eiusdem confirmari & demonstrari diligenter & studiose Paulum docere, fide eam iustitiam obtineri posse ab ijs qui nihil ante fidē operati sunt boni, imo ante fidem fuerunt inimici, & destituti omni iustitia, atque adeo etiam impij. Atque hanc esse summam Dei gloriam, quod inimici, & omni impietate contaminati (si modo vera & sincera fide crediderint in Christū) possint propter meritum sanguinis & obediētię Christi consequi iustitiam coram Deo. Non autem docere Paulū, quod ipsa iustitia qua iustificantur homines coram Deo, sit ipsa satisfactio aut obedientia filij Dei Christi nobis imputata.

Cauilla-
tio.

Ad hæc nihil respondet Illyricus, in quibus Confutationis vis & robur positum est. Sed arripit quædam verba, quæ modesta subdubitatione adscripseram: Paulum ex professō magis agere, qua ratione possit homo ad veram coram Deo iustitiam peruenire, quam explicare, diserta scilicet & expressa descriptione, in quo consistat illa iustitia, quæ propter Christi passionem, passionisque meritum donatur credentibus. Quam sententiam mox veluti temperans adieci. Quanquam nec hoc penitus prætermittat, dum in capite 4. partē vnā iustitię explicans, dicit hominis beatitudinem siue iustitiam in eo esse, quod non imputetur peccatum, quodque tecta sint peccata.

Dilutio.

Respondeo, primum fraudulentum cauillatorem pessima fide verba mea recitare. Non enim

enim scripseram, Paulum agere non de iustitia, quid sit: sed tantum quomodo acquiratur. Sed scripseram, Paulum potissimum agere. ita magis agere de ratione consequendæ iustitię, quam de descriptione iustitię. quod verissimum esse, quisquis vel obiter legit eam epistolam, satis perspicere potest. de qua tamen re nullam volui mouere quæstionem: statim corrigens potius, aut temperans eam sententiam, quam affirmans & vrgens. Ac falsissimum quoque est, quod confessus sim, secundum Pauli doctrinam, iustitię descriptionem in eo esse sitam, quod non imputantur, sed reguntur, & condonantur homini peccata per imputationē iustitię Christi nostro bono præstitæ. Sed id tantum scripsi: iustitiam, qua impius apud Deum iustificatur, vel imprimis remissionem peccatorum comprehendere, non autem totam iustitię rationem in remissione peccati positam esse. Atque eam quoque remissionem non dixi per imputationem iustitię Christi donari: sed propter mediatoris Christi passionem & sanguinē, meritumque obediētię eius, credentibus gratis sine vllō bono merito præcedente donari. Id denique falsissimum esse cernit lector, quod in eo scripto tanquam forex causam prodiderim.

Quia igitur in hac probatione continentur fundamenta doctrinæ istius cōmentitię & profanæ de imputatitia iustitia, & hic tantopere iactat Illyricus salutarem, vt ait, descriptionem iustitię

*Sententia
Illyrici
de iustitia
coram
Deo.*

iustitiæ in eo positam esse, quod iustitia Christi nobis imputatur ad peccatorum remissionem, paucissimis Illyrici doctrinam exponam, & falsissimam esse demonstrabo: ac simul cavillationes nostræ Confutationis & responsionis redarguam.

Suam sententiam Illyricus satis inconstanter exponit, dum iustitiam hominis coram Deo, modo in eo positam esse dicit, quod non imputatur, sed teguntur & condonantur ei peccata, nempe per imputationem iustitiæ Christi, hoc est, in remissionem peccatorum: modò verò iustitiã hominis coram Deo, describit iustitiam ipsam Christi nobis imputatã. Hæc enim esse diversa inter se quis non videt? remissionem peccati, & iustitiam Christi. Fieri igitur non potest, ut proprio sermone, qualem dialectica descriptio requirit, iustitia sit & remissio peccati, & iustitia Christi. Sed ignoscamus ei improprios sermones etiam in rei descriptione, & intelligamus in descriptione iustitiæ vtrumque comprehensum esse, & causam remissionis peccatorum, quæ est Christi iustitia & satisfactio: & ipsius effectum, pura remissionem ipsam peccatorum. Atqui iustitiam Christi, quam contendit homini imputari, ipse explicat esse iustitiam persolutionis Christi: iustitiam verò persolutionis, siue iustam persolutionem Christi in eo positam esse, quod non solum debitum illud poenarum, quas per peccata contraximus, patri exolvit per acerbissimam passionis cruciatum & supplicia: sed etiã quia patri cœlesti persolvit semper debitam obedientiam,

EX-

exhibens eius legibus perpetuam & absolutam obedientiam. qua persolutione gemina, non nobis tantum reatus peccatorum admissorum condonetur, sed etiam perpetua nostra inobedientia & iniustitia tegatur, & non imputetur: debitum quæ obedientiæ, quo astringimur erga Deum perpetuo, & nunquam præstamus, quia legi nunquam satisfacimus, ipse Christus pro nobis solvat, sua illa perfectissima & perpetua obedientia nobis imputata.

Hæc igitur est Christiane frater illa tantopere iactata de imputatitia iustitia Illyrici & suorum doctrina: Hominem neque interiorem, neque exteriorem ullam obedientiam Dei legibus præstare posse: sed omnem prorsus eius operationem, tam interiorem quam exteriorẽ, immundam esse; & legibus Dei difformem. Omnem verò iniustitiam eius, & inobediẽtiam propter iustitiam Christi, hoc est, propter persolutionem, qua patri debitum obedientiæ semper persolvit, nobis imputatam, & in nos transscriptam, tegi, & non imputari: quin potius nos propter eius obedientiam nobis imputatam haberi à Deo iustos & obedientes, & debitum obedientiæ persolventes, & legem implentes.

Huc igitur Christiane frater pertinet commentitia hæc doctrina, ut omnia opera hominis, omnemque obedientiam etiam iustificati & renouati, immundam esse, & si rigido Dei iudicio exigatur, esse inobedientiam, persualum habeamus. Quo dogmate an sit aliud peruersius,
& spi-

& spiritus sancti clarissimę doctrinę magis cō-
trarium, haud equidem me scire profiteor. Sed
de hoc pestilentissimo errore mox p̄lixius a-
getur. Sed audiamus quibus scripturis & te-
stimoniis hanc commentitiam imputationem
persolutionis & obedientię Christi statuere co-
natur.

*I. Ratio
Illyrici
pro com-
mentitia
imputati-
one perso-
lutionis
& obedi-
entię
Christi.*

*Paulus, inquit, dum dicit beatitudinem, hoc est, iu-
sticiam hominis in eo esse, quod non imputatur peccatum,
sive quod teguntur peccata: ibi plenę & clarę voluit ex-
ponere perpetuam iustificacionem hominis coram Deo,
& non unicam tantum sententiolam de ea obiter pronun-
ciare, aut tantum primum introitum in Christianismum
indicare. In hac quoque tam celebri iustitię salutaris de-
scriptione nulla iustitię infusę aut donatę mentio est.*

Confutatio.

Respondeo, ex ipso textu Pauli manifestissi-
mum & certissimum esse, quod sententia eius
potissimum pertineat ad eos qui ex impiis sũt
iusti. Nam dicit disertę: *Credenti in eum qui
iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiã
secundum propositum gratię Dei. Sicut & Da-
uid dicit, beatitudinem hominis, cui Deus ac-
cepto fert vel reputat iusticiam sine operibus:*
*Beati, quorum remissę sunt iniquitates, & quo-
rum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non im-
putavit Dominus peccatum. Impiorum porro
iustificacionem non fieri sine remissione pecca-
torum est evidentissimũ. Pertinet tamen etiam
ad omnes omnino mortalem vitam agētes iu-
stos, quatenus sine peccato non viuunt, sed in
multis egent peccatorũ remissione. Hoc igitur*

Psal. 32.

Rom. 4.

tantum

tantum docet Paulus ex testimonio Davidis,
impij iustificacionem non fieri sine peccatorum
remissione: non autem docet, impiorum iu-
stificationem coram Deo non esse aliud quàm
peccatorum remissionem. Considerandum
quoque est diligentissimę, quod in sententia
Pauli nulla sit mentio Christi iustitię, nec im-
putationis iustitię Christi, siue obedientię Chri-
sti: sed tantum dicitur, quod fides imputatur
ad iusticiam, sicut David dicit. quare vanum
est quicquid hic de iustitia Christi imputata
concludere conatur Illyricus. Ex testimonio
porro Davidis ostendit Apostolus, quod iu-
sticia, quam impetrat fides, etiam peccatorum
remissione constat, tamen non sola. Quin si
textus apostoli diligenter perpendatur, compe-
rietur quod apostolus per testimonium Davidis
non aliud probet, quàm quod sine operibus &
gratis fides reputetur ad iusticiam: nempe quod
beatitudinem & iusticiam nemo consequatur,
nisi accepta remissione peccatorum. Certa au-
tem & firma probatio est, credenti iusticiam
gratis & sine merito donari, ex eo quod nõ do-
natur sine gratuita remissione peccatorum. Po-
stremò, quod non intelligat Paulus essentiam
iustitię & beatitudinis consistere in remissione
peccatorum, ex eo evidēter demonstratur, quod
beatitudinem, de qua Davidis testimonium po-
suerat, dicit extitisse in pręputio ipsius Abrahe.
Nempe cum credidit semen suum futurum si-
cut arenam maris, & stellas cœli, aut quod in

Genes. 15.

N se-

femine eius benedicerentur omnes gentes, aut quòd filium immolatum Deus reuocare ad vitam posset. in quibus operibus fidei nemo, nisi amens prorsus & impudens, affirmabit Patriarcham Abrahã peccasse. Non igitur docet Paulus iustificationem in sola remissione peccatorum consistere, quando plane notoriũ est, quod Abrahæ iustificatio illa, quæ tanquam exemplar nostræ iustificationis proponitur à Paulo, non fuit peccatorum remissio: sed hoc docet, quod gratuita & sine operibus donatur iustificatio impio, quia non donatur nisi cum remissione peccatorum, quam manifestissimè constat esse gratuitam, vtpote quæ datur indignis.

Verissimam
re-
spon-
sio.

Quod autem adfert Illyricus Apostolum eo loco nullam facere mentionem donatæ alicuius, vel infusæ iustitiæ: Respondemus, quod nullam etiam faciat mentionem imputatæ, vel transcriptæ iustitiæ Christi, sed tantũ dicat, fidem reputari ad iustitiã. Deinde dicimus, ipsam vocabuli iustitiæ notionem satis significare in scripturis iustam vitam, & interioris hominis renovationem: Qui facit iustitiã, iustus est. Quando ergo dixit Apostolus disertè, quod credenti fides imputatur ad iustitiam, ex scripturarum consuetudine notum est, quod fides imputatur ad vitæ iustitiam, & iustificationem. Sicut Paulus in eadem epistola dixit: Quod gentes quæ non sectabantur legem iustitiæ, apprehederunt, siue consecuti sunt iustitiam: hoc est, perueniunt ad vitam iustam, & legi Dei conformem.

Rom. 9.

1. Ioan. 3.

Secunda

Secunda probatio Illyrici est, ex capite tertio ad Romanos, in quo copiose, inquit, per omnes causas iustitia salutifera describitur, & tamen nulla prorsus qualitatum infusarũ (addere debuit, aut iusta vita) mentionem facit. Causam instrumentalem Dei, facit testimonium legis & prophetarum. Instrumentalem causam nostram, fidem. Causas efficientes primarias, Dei gratiam & redemptionem quæ est in Christo Iesu. Causam formalem seu finem proximum, remissionem peccatorum quæ Deus tolerauit. Finem denique remotiorem, ostensionem iustitiæ Dei in presenti tempore, in hoc vt ipse sit iustus, & iustificans eum qui est ex fide Iesu.

2. Ratio
Illyrici
pro com-
mentitia
imputa-
tione.

Respondemus, quòd in loco illo capitis tertij. (Nunc autem sine lege iustitia Dei manifestata est, testificata à lege & prophetia. Iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi in omnes, & super omnes qui credunt in eum. non enim est distinctio. Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei, iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Iesu. quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum, ad ostensionem iustitiæ eius in hoc tempore, vt sit ipse iustus, & iustificans eum qui est ex fide Iesu Christi) manifestissimum est Apostolum nõ agere de descriptione iustitiæ qua iustificantur homines, videlicet quænam res sit iustitia illa: sed de ratione & modo, quibus eam credentes consequantur, nempe per fidem, & per gratiam Dei parris, & per redemptionem

Confutatio.
Rom. 3.

N ij quæ

quæ est in sanguine Christi Iesu, quem Deus proposuit propitiatorem per fidem in sanguine ipsius, propter remissionem peccatorum. Vbi diligenter considerandum, quod sicut gratuita Dei patris bonitas, per quam iustificantur credentes, non est causa formalis iustificationis hominis: ita nec redemptio quæ est in Christo Iesu, potest esse causa formalis nostræ iustificationis: sed vtrumque est causa efficiens vel meritoria iustificationis. quod ipse Illyricus disertè confitetur. Remissio quidem peccatorum est finis, siue potius effectus gratiæ Dei patris, & redemptionis quæ est in Christo Iesu: sed non affirmat Paulus quod in ea consistat descriptio iustitiæ qua iustificatur credens coram Deo: sed tantum significat, quod sine remissione peccatorum non iustificatur impius credens. In quo autem consistat ipsa iustificationis ratio, & forma ipsa nominis, ratio, satis indicat. Constat enim iustitiam nihil esse aliud, quam ex interiore renouatione iustam & rectam secundum legem operationem & conformitatem. Quod autem non facit hoc loco Apostolus mentionem vllius donatæ iustitiæ per gratiam patris, aut per Christi redemptionem: certè dum dixit: Iustificati, hoc est, iusti facti per gratiam patris, & per redemptionem Christi Iesu: ibi insinuauit iustitiam esse, quæ per gratiam Dei patris, & per redemptionem quæ est in Christo Iesu, donatur credentibus non sine remissione peccatorum. Falso itaque exclamat Illyricus, clarè hoc

hoc dici, Iustitiam nostram esse propitiationem sanguinis, seu passionem Christi peccata nostra abolentem. Manifestissimum enim est, hoc hic non dici, sed hoc tantum dici: Nos à Deo iustificari, siue iustos effici coram Deo, per gratiam patris, per redemptionem Christi Iesu: quod est, nos iustitiam consequi per fidem, propter gratuitam bonitatem patris, & propter meritum mortis & passionis Christi. Remissio autem peccatorum, cuius etiam mentio fit, significat gratuitò indignis conferri donum iustitiæ & iustæ vitæ, vtpote ijs qui nihil boni operis & meriti adferunt ad obtinendam iustitiam coram Deo, sed potius indigni sunt. Porro causas iustitiæ salutaris ab Illyrico assignatas non est huius loci excutere prolixius.

Scripseram ex Pauli sententia, qua dicit: iustitiam nostram esse iustificationem vitæ: constare, quod per iustitiam intelligat sanctitatem & iustitiam vitæ, & non imputatam iustitiam Christi. Sicut per vnius delictum in omnes homines in condensationem: sic & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ. Ita hoc eludit astute, dicens: *Iustificationem vitæ hic opponi condemnationi, & proinde intelligendam esse absolutionem vitalem aut salutarem: quod hæc absolutio nos ad vitam æternam perducit. Sicut Ioannis 6. dicitur panis vitæ, id est salutaris, adferensque vitam.*

Respondeo, Iustificationem rectissime opponi condemnationi, quia simul absoluit à reatu æternæ damnationis, & restituit hominem ad

Rom. 6. iustitiam per peccatum amissam. Porro vitæ iustificationem, ipse apostolus capite sexto vocat vitæ nouitatem. Quomodo, inquit, Christus surrexit à mortuis, ita nos in nouitate ambulemus. quæ non est intelligenda nouitas vitalis, & salutaris, perducens ad vitam æternam: sed nouitas præsentis conuersationis. Sicut & Zacharias cecinit: Vt seruiamus illi in sanctitate & iustitia. Et Paulus Ephesijs: Induite nouum hominem qui secundum Deum creatus est, in iustitia & sanctitate veritatis. & Petrus: Vt peccatis mortui, iustitiæ viamus.

**Luc. 1.
Ephes. 4.**

1. Petri 2.

**Cauiilas
tio.
Rom. 5.**

Postremo, quod opposueram: Gratia Dei regnat per iustitiam in vitam æternam, hoc est, per operationem iustitiæ perducit ad vitam æternam: sicut peccatum regnavit in mortem per operationem iniquitatis: ipse eludit, *dicens Paulum hic non indicare, in quo in hac vita consistat vel peccati, vel etiam gratiæ regnum: sed tantum quorsum ambo tendant, seu quid tandem efficiant. nempe peccatum efficit æternam mortem: gratia autem per iustitiam Christi nobis imputatam, parit vitam æternam.*

**Dilutio.
Rom. 6.**

Respondeo, ex capite sequenti eius epistolæ euidenter nobis indicatur quid sit gratiam per iustitiam regnare in vitam æternam, & peccatum regnare per iniquitatem & prauas concupiscentias in mortem æternam: dum ibi dicitur: Ne regnet peccatum in mortali corpore vestro ad obediendum concupiscentijs ad mortem. &: Liberati à peccato serui facti estis iustitiæ, &: Exhibite membra vestra seruire iustitiæ

tiæ in sanctificationem. & rursus: Nunc verò liberati à peccato, serui autem facti Deo, habetis fructum animarum vestrarum in sanctificationem, finem verò vitæ æternam. In quibus locis docet Paulus, non solum quo perducant peccatum & gratia: sed etiam in quo consistat regnum peccati, nempe in obediendo desiderijs eius & concupiscentijs: & in quo consistat regnum gratiæ, nempe in operibus iustitiæ quibus sanctificatur anima. Vanissimæ ergo sunt istæ elusiones nostrarum solidarum obiectionum & confutationum, & impiæ sunt scripturarum deprauationes. Atque hæcenus de commentitia imputatione iustitiæ Christi, ac hominum iustificatione per imputatam iustitiam Christi. Et quoniam Illyricus tam odiose passim scribit de infusione gratiæ & virtutum, in iustificatione coram Deo: perpendat lector, & memoriæ commendet celeberrima Augustini dicta: Gratia Christi illuminationem, iustificationemque nostram etiam intrinsicè operatur. rursus: Dat sui spiritus occultissimam fidelibus gratiam, quam latenter infundit & paruulis. rursus: Iustificantur in Christo qui credunt in eum propter occultam communicationem & inspirationem gratiæ spiritualis, qua quisquis Domino adhæret, vnus est cum eo spiritus. rursus: Iustos facit per spiritum renouans & regenerans gratia. Atque huiusmodi dictis, quæ ex diuinis scripturis desumpta sunt ab eruditissimo Augustino,

Augus. de pecca. merit. cap. 9

muniat mentem suã aduersus deceptorum profanas & impias nouationes.

6. probatio
Con-
fessionis.

Sexta probatio Confessionis erat: Verbum, iustificare, in sacris literis passim significare absolueri aut pronuciare iustum, & non significare aliquam nouam virtutem aut qualitatem infundere.

Responderam ita rem se habere. Verum que sit eius significatio apud Paulum, quando de iustificatione per Christi redemptionem agitur, id ex ipso Paulo manifestè cognosci: quando iustificari hominem per gratiam Christi, ipse disertè exponit per constitui vel effici iustum: Sicut, inquit, per vnius hominis in obedientiam peccatores constituti sunt multi (non per imputationem solum peccatores, sed re ipsa peccatores) ita per vnius obedientiam iusti constituentur multi (iusti re ipsa, & non solum per imputationem.) Rursus ex eo quod iustificari per fidem, Paulus explicat idem esse, quod per fidem consequi, aut peruenire ad iustitiam.

Rom. 5.

Rom. 9.

Cauillatio.

Hæc scripturæ diuinæ testimonia à me producta Illyricus audet eludere, dicens: *Et testimonia accipi posse, & accipienda esse de constituendis iustis, non realiter, siue re ipsa: sed imputatiuè, siue per imputationem. Similiter per fidem consequi iustitiam, idem valere, quod imputatam iustitiam consequi.*

Dilutio.

Sed confido quod Christianus lector satis perspicit impiam deprauationem testimoniorum spiritus sancti, dum quos spiritus sanctus clarè pronuciatur constitui iustos, sine vllò commentario

tario ipse audet interpretari non re ipsa, sed secundum imputationem tantum, iustos. Et iustitiam per fidem impetratam & obtentam, tantum imputatam iustitiam esse, & non veram, & à spiritu sancto realiter donatam siue infusam iustitiam. Requirit autem, vt ego ostendam phrasin illam, iustum constituere, significare realiter iustum constituere: & iustitiam per fidem impetratam, esse non imputatam Christi iustitiam, sed iustitiam realiter per spiritum sanctum donatam creditibus. Ego illi respondeo, Illi non esse permissum, vt ad statuendas suas conceptas falsas opiniones, commentarios addat apertissimis sententijs spiritus sancti. Deinde ipsam vocabuli, iustitia, significationem propriam, germanam, & in scripturis vsitatam euincere, quis sit germanus sensus sententiarum Pauli. Constat enim in scripturis, iustum esse, nihil aliud esse, nisi Deo subiectum viuere, ac vitam legibus summi Dei conditoris conformem agere. Constat quoque iustitiam propriè esse conformitatem cum legibus constitutis. Sententijs itaque, quibus spiritus sanctus dicit per Christi obedientiam homines constitui iustos, hoc propriè significatur, quod renouantur interius, & spiritus sancti donum accipiunt, quo valeant vitam iustam & conformem Dei legi ducere. Verum Christiane lector, quia deceptores isti absurdissimè & impiissimè docent omnem hominis operationem, siue in interiore mente, siue in exteriori obedientia, esse veram

coram iudicio Dei inobedientiā : hinc statuunt hanc commentitiam imputationem alienæ iustitię qua iustificatur homo. Et quis obsecro catholicorum scriptorum ante exortos istos noatores, scripsit, & interpretatus est, iustum esse, non aliud esse, quàm iustum siue acceptum reputari: & non realiter siue re ipsa iustum, rectū, vel Deo obedientem & subditum esse?

Obiectio. At opponit Illyricus *satis apparere in ipso Paulo, quod verbū, iustificare, propriè significat absoluerè: quia in capite 5. idem facit iustificari, quod reconciliari cum Deo per sanguinem Christi: & ex eo quod bis opponit iustificationem condemnationi. ex qua antithesi vult euincere, quod iustificatio cōdemnationi contraria, sit propriè absolutio.*

Solutio. Respondeo, quia vera hominis coram Deo iustificatio & dissoluit, siue interficit, vt loquitur Augustinus, inimicitiam hominis erga Deum, quæ per peccatum hominis contracta erat, hoc est, reconciliat hominem Deo, & præterea restituit eum in statum iustitię, efficiens eum filium Dei, hæredem Dei, & cohæredem Christi, subiectum Deo, & obedientem per dilectionem legi eius: hinc fieri, vt interdū in scriptura prior illa pars iustificationis, quæ est posita in absolutione à peccatis, remissione peccati siue reconciliatione, nomine iustificationis insinuetur, non explicata disertè tota iustificationis forma & ratione. Quanquam tamen vbi absolutionis à peccatis, siue remissionis, siue denique reconciliationis expressa mentio sit à Paulo, ipsa iustitia
& re-

& restitudo credenti à Spiritu sancto donata, comprehensa sit: eo quod vera & propria reconciliatio inimici cum Deo, & peccati remissio non constat, nisi abolito & remisso peccato, simul restituta sit amissa cum Deo coniunctio & vnio per sinceram charitatem, qua Deo reconciliatus, Deo subiectus viuat: & rursus qui erat per peccatum factus inimicus, sit factus Dei filius, & hæres vitæ æternæ per adoptionis spiritum. Vanissima igitur est sophistica Illyrici cauillatio, qua ex eo quod iustificandi vocabulum opponitur condemnationi, & interdum commutatur cum reconciliatione siue absolutione, tanquam triumphum agens vociferatur, iustificare, nihil aliud esse, quàm absoluerè à peccatis. rectissimè sanè Apostolus condemnationi opponit iustificationem. Sed considerare debuit Illyricus, quod iustificatio & absolutionem à reatu æternę damnationis condemnationi oppositam, & præterea restitutionem status pristinæ iustitię comprehendat. quod Apostolus clarè insinuauit, quando conclusit, per Christi obedientiam homines constitui nō tantum absolutos ab reatu æternæ maledictionis: sed etiam constitui iustos, hoc est, Deo subiectos, rectos, & Dei legibus obedientes. Stat igitur immota nostra confutatio contra istorum sophismata, qui ex eo quod verbum iustificare, interdum ponatur pro absoluerè: & iustificatio pro absolutione vel reconciliatione: contendunt, iustitiam qua coram Deo iusti sumus,
non

non esse reale quiddam, donatum & infusum per spiritum sanctum: sed esse tantum imputationem alienæ iustitiæ, per quam, & ob quam absoluihur à nostra iniustitia. Et cōmentitiam prorsus esse hanc imputationem, inde clarissimè potest lector perspicere, quod vt verum esset, iustificationem esse propriè absolutionem à peccatis, manifestissimum est absolutionem à peccatis, nullius iustitiæ imputationem importare. Potest enim absolutio à peccatis donari absque vlla iustitia concurrente. Si igitur iustificatio prorsus & propriè perinde valet atque absolutio, & non præter absolutionem aliquid amplius includit, corrui omnis labor constituendi imputatam aliquam iustitiam.

7. probatio
Con-
fessionis.

Septima probatio fuit: Negari non potest nostram iniustitiam coram Deo esse debitum peccatorum: Ergo contrà, nostra iustificatio, est remissio aut condonatio debiti peccatorum. quæ certè à nullo sano dicitur esse realis quædam infusio vllarum virtutum. Et testatur disertè Paulus iustificationem esse remissionem, & non imputationem peccatorum, idque summi prophetæ testimonio comprobatur.

Responderam (dissimulato eo quod assumptum erat, nostram iniustitiam, coram Deo esse debitum peccatorum, de quo in secunda probatione latis dictum erat) iustificationem impij, de qua Apostolus agit in cap. 4. ad Romanos, duobus constare, remissione scilicet peccatorum, & interiore renouatione, simul cum

ex-

externa iusta operatione: Apostolum verò, cum vellet ostendere iustificari hominem impium sine vlllo bonorum operum merito, gratis, adducere testimonium Dauidis de remissione peccatorum, quam manifestissimum est esse gratuitam. vt per illud demonstraret, quod iustificatio hominis, quacunque tandem in re posita sit, esse verè gratuitam: & donari impio credenti per fidem sine operibus. non autem vt per illud iustitiæ descriptionem traderet.

Hic vociferatur Illyricus. *Iste, inquit, cum ante a semper contendisset, iustitiam nostram esse renouationem interiorè spiritus sancti, diffundentis sua dona in corda credentiū: hic veluti oblitus sui, duas facit iustificationis partes. nempe remissionem peccatorum, & renouationem: Vel potius tres, dum addit bona piorum opera, seu effectus, fructusque renouationis.*

Cauilla
tio.

Respondeo, verissimum esse, & ex scripturis manifestissimum, quod dum impius per fidem iustificatur, simul accipiat gratuitam remissionem & condonationem peccatorum, & spiritum sanctum, quo interius renouetur, vt possit subditus Deo viuere, & ei debitam obedientiam præstare, hoc est, vt possit iustam deinceps vitam ducere. quare verissimum quoque esse constat, impij iustificationem duobus constare. Ac posterius hoc, quod est, gratia & donum interioris renouationis & iustæ vitæ, propriè iustitiam esse: neque hoc loco tantum hoc scripsi tanquam mei oblitus (vt calumnia-

Dilutio.

tus

tur iste) sed perpetuò superius ita scripsi : Iustificationem, & remissionem peccatorum & donum spiritus sancti comprehendere. Et sanè probatio ipsa Illyrici rectissimè in ipsum retorqueri potest. Cùm enim clarissimum sit iniustitiam nostram coram Deo, non esse nisi auersionem mentis à Deo, Deique legibus, hoc est, inobedientiam mandatorum eius : necessariò consequens est, quod iustitia nostra coram Deo, sit subiectio, & coniunctio mentis nostræ cum Deo, per debitam obedientiam præstandam legibus & mandatis: non autem esse ipsam remissionem peccatorum antè admissorum. Non enim per hoc factus est homo Deo subiectus, Deoq; coniunctus, quod admissa peccata cõdonantur, & non imputantur ad reatum damnationis : sed quia per donum sinceræ charitatis factus est iterum Deo adhærens, eiq; ac eius legibus subditus & obediens. Quenam verò fuerit Apostolo Paulo ratio, vt de impij iustificatione differens, testimoniũ Davidis de remissione peccatorum adduxerit, iam semel & iterum indicauimus. nempe vt euinceret, impiũ per fidẽ, sine operibus, gratis, à Deo donũ iustificationis accipere: non autem vt doceret, iustificationem impij tantum in remissione peccati consistere. Iam quod hic iterum dicit: *Remissionem peccatorũ, plane idem esse quod applicationem, aut imputationem per solutionis iustitiæ Christi*, verum non est. Nam manifestum est, imputationem alienæ per solutionis causam tantum esse, ob quam remittitur

pecca-

peccatum & iniustitia, non autem ipsam remissionem. quamuis autem imputatio alienæ solutionis, sit meri debiti abolitio, non tamen imputatio iustitiæ Christi potest propriè esse ipsa remissio peccati, quia (sicut supra in confutatione probationis secundæ satis demonstratum est) peccatum siue iniustitia non est propriè debitum, sed facit hominem Deo debitorem.

Iam quod hic scribit, *Confessionem nullo modo negare renouationẽ, quin potius eam asserere, sed tantum ex iustificatione eã coram se uero Dei iudicio excludere: nos itaq; saluò affirmare, ipsos planè tollere renouationem, vt semper hætenus Papiæ factitarunt: fraudulenter scriptũ esse ab eo, faciam lector vt clarè perspicias. Ac primũ de eo quod dicit, renouationem interioris hominis, quæ fit per spiritũ sanctum, excludendam ex iustificatione coram se uero Dei iudicio, postea dicendum erit. Nunc id tantum excutiamus, an renouationem verè agnoscant, quæ est realis commutatio iniustæ vitæ in iustam & bonam. Confitentur quidem spiritum sanctum donari in iustificatione, qui menti inserat novos motus spirituales, & qui inchoet nouam quandam obedientiam. & hætenus quidem rectè, sed fraudulenter. Nam simul docent omnes illos spirituales motus per spiritum excitatos, omnemque obedientiam per illius gratiam inchoatam, propter carnem & legem in carne hærentem, contaminari, infici, & aliquid peccati & iniustitiæ contrahere. Et proinde, neque per interiores*

motus,

Cauilla-
tio.

motus, neque per obedientiam suam homines Deo placere & acceptari: sed in omnibus suis qualibuscunq; motibus, in omni que qualicunq; obedientia, remissione peccatorum egere. nusquam autem & nunquam Deo debitum obedientię reddere. Omnis igitur interior renouatio, quam agnoscunt, reuera, iuxta eorum sententiam, peccatum, vetustas, & iniustitia est. Quare conuincuntur verissimē & solidissimē à Catholicis, negare renouationē, veram & synceram scilicet, coram se uero Dei iudicio, & tantum affirmare speciem quādam & simulacrum mendax renouationis, contra apertissimam scripturarum doctrinam, ad Ephesios 4. ad Coloss. 2. Cor mundum crea in me Deus, inquit David, & spiritum rectum innoua in visceribus meis. Et dominus apud Ieremiam: Dabo leges meas in mentes eorum, & in corde eorum superscribam eas: videlicet per synceram charitatem. & apud Ezechielem: Facite vobis cor nouum, & spiritum nouum. Itaque frater Christiane, quoties audis homines istos prædicare spiritus sancti dona in iustificatis, scito fraudulentiam in verbis illis occultari. Scribunt enim disertè, omnia spiritus sancti dona contaminata ex carne, verti in vitia, & peccata, & legis transgressionem esse.

Quod scripseram, ex Paulo quoque cōstare, iustificationem non esse solam remissionē peccatorum, sed etiam renouationem vitæ, eo quod dicat Paulus, in illo ipso 4. cap. Christum tradi.

Ephes. 4.
Coloss. 2.
Psal. 50.

Ierem. 31.

Caui-
llatio.

traditum esse propter delicta nostra, & resurrexisset propter iustificationem nostram, astuta deprauatione eludit, dicens: *Paulum non ibi aliud docere, quam nostra peccata Christum adegisse in cruce: ipsum verò resurrexisse vt nos iustificaret, hoc est, à peccatis absolueret, applicando nobis suam iniustitiam.* Sed hanc cauillationem, & diuinæ scripturæ corruptelam clarissimè refellit apostolus, dum in cap. 6. eiusdem epistolæ dilloquit de morte Christi propter abolitionem peccati: & resurrectione, propter nostri iustificationem. An ignoratis, inquit, fratres, quia quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo in mortem per baptismum, in mortem scilicet peccati, vt quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam patris: ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. & post pauca: Ita & vos existimate, vos mortuos quidem esse peccato, viuentes autē Deo in Christo Iesu. Nonne hic luce meridiana clarius est, mortem peccati, quæ est remissio peccati, distingui à resurrectione ad iustificationem, siue ad nouitatem vitæ? Quam distinctionem diligentissimè & clarissimè annotauit Augustinus in Enchiridio cap. 52. Intelligamus, inquit, nihil aliud esse in Christo baptismum, nisi mortis Christi similitudinem: nihil autem aliud mortem Christi crucifixi, nisi remissionis peccati similitudinem. vt quemadmodum in illo vera mors facta est, sic in nobis vera remissio peccatorum. & quemadmodum

Rom. 4.

Dilutio.

Rom. 6.

in illo vera resurrectio, ita & in nobis vera iustitia, &c. Stat igitur solida nostra probatio contra cavillationes Illyrici.

9. Probatio
Con-
fessionis.

Nonam & decimam probationem Confessionis mox post septimam tractavi propter argumenti affinitatem, & postea octavam. Nona probatio fuit, quod Paulo idem sit iustificatio, quod reconciliatio. Responderam, reconciliationem, si tantum importet remissionem peccatorum, & abolitionem inimicitie, pertinere quidem ad iustificationem, sed non continere perfectam & plenam rationem iustificationis. Verum si importet perfectam rationem reconciliationis, quæ non consistit, nisi is cui peccata remittuntur, simul in pristinum statum restituatur, tunc reconciliationem idem esse quod iustificationem. Sed hanc reconciliationem comprehendere & includere renouationem interiorem per synceram subiectionem sub Deo, quæ est per charitatem, & per synceram legis obedientiam.

Cavilla-
tio.

Respondet Illyricus: *Vult iste renouationem interserere iustificationi, quod tamè non probat, & contra Paulus eam excludit, dum tantum remissionem peccatorum, facit esse iustificationem hominis coram seuero iudicio Dei.*

Dilutio.

Respondeo falsissimum esse quod Paulus dicat tantum remissionem peccatorum esse iustificationem hominis. Nam (vt modò ostendimus) in fine eiusdem cap. 4. disertè distinguit abolitionem siue remissionem peccati à iustificatione, dum dicit: Christum mortuum esse propter delicta nostra, hoc est (vt Paulus ipse cap. 6. interpretatur)

Rom. 4.

tur) propter remissionem & abolitionem delictorum, & resurrexisse propter iustificationem nostram. Rursus Paulus disertè ipsam iustificationem nostram, appellat nouitatem vitæ: Sicut, inquit, Christus resurrexit à mortuis per gloriam patris, ad nouam videlicet & immortalè vitam: ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Rursus cap. 5. iustificationem nostram disertè appellat iustificationem vitæ. Quæ sanè nihil aliud est quàm renouatio hominis ad iustam vitam. Denique in ipso quoque testimonio Dauidis à Paulo citato non temere addidit spiritus sanctus, beatum eum esse cui remissa sunt peccata, & in cuius spiritu non est dolus. Quo sanè significatur, quod spiritus, siue cordis rectitudo & sinceritas, quæ sanè est cordis impij renouatio per spiritum sanctum, æquè atque remissio peccati, pertineat ad iustitiam & beatitudinem hominis coram Deo. Et quod renouatio hominis ad iustam vitam non solum sit interserenda vel admiicenda iustificationi, sed sit ipsa substantia, & natura propria iustificationis, solidissimè & clarissimè docet Augustinus: Charitas, inquit, inchoata, inchoata iustitia est: charitas prouecta, prouecta iustitia est: charitas magna, magna iustitia: charitas perfecta, perfecta iustitia est. ipsa est enim gratia Dei per Iesum Christum dominum nostrum. Viden' Illyrice non iustitiam siue per solutionem Christi nobis imputatam, esse iustitiam nostram: sed ipsam charitatem renouantem hominem? Viden' non sola remissione

Rom. 6.

Rom. 5.

Psal. 32.

Ex ipso prophete testimonio conuincitur mendacij Illyricus Aug. lib. de nat. & gratia cap. vi.

O ij pec-

peccatorum iustificari hominem, sed per charitatem quoque, quæ est ipsa iustitiæ substantia. & rursus: Gratia, qua iustificamur, est, qua charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis. & rursus: Cum à Deo iustificamur, nescio quo alio munere ipsius gaudere debeamus, quam videlicet munere bonæ voluntatis, quæ est charitas. Et rursus, legimus iustificari in Christo qui credunt in eum propter occultam communicationem & inspirationem gratiæ spiritualis, qua quisquis hæret domino, vnus spiritus est. quæ gratia spiritualis, haud dubiè charitas est. rursus: Non sola imitatio iustos facit, sed per spiritum regenerans siue renouans gratia. Et tractans dictum Apostoli: Abundantiam gratiæ & iustitiæ accipientes: disertissimè explicat totam rationem iustificationis. Quid est, inquit, quod abundantiam gratiæ & iustitiæ accipiunt, nisi quod non ei tantum peccato, in quo omnes peccauerunt, sed eis etiam quæ addiderunt, gratia remissionis datur, eisque hominibus tanta iustitia donatur, vt cum Adam consenserit ad peccatum suadenti, non cedant isti etiam cogenti? Viden Illyrice remissionem peccatorum omnium pertinere ad abundantiam gratiæ? ad iustitiam autem, magnam animi virtutem & fortitudinem ad iuste viuendum, etiam in summis persecutionibus? Qua igitur fronte audent isti docere, quod iustificatio siue iustitia tantum in remissione peccatorum consistat, quodque renouatio

Auguf. de gratia Christi, cap. 30.

Auguf. de peccat. merit. lib. 2. cap. 8. Ibidè lib. 1. cap. 10. Ibidem cap. 15.

Ibidem cap. 13.

& iustitia vitæ non sint interserendæ aut admiscendæ iustificationi: sed sint extra veram rationem & substantiam iustificationis aut iustitiæ, quam credenti per fidem imputari dicit Apostolus? Sententia denique Apostoli: Gentes quæ non sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam: iustitiã autem quæ ex fide est. Israël verò sectando legem iustitiæ, in legē iustitiæ non peruenit: eadem facit, iustitiam, & legem iustitiæ. Porro quid lex sit iustitiæ, disertè tradidit Augustinus, dicens: Cum charitas diffunditur in cordibus credentium, lex est fidei, & spiritus viuificans dilectorem. & rursus: Quid sunt ipsæ leges Dei scriptæ in cordibus, nisi ipsa præsentia spiritus sancti: quo præsentē diffunditur charitas in cordibus, quæ plenitudo legis est, & finis præcepti? Postremò: Iustificamur, inquit Aug. gratis per gratiam ipsius. Qua gratia in interiore homine renouato iustitia scribitur, quã culpa deleuerat: & est hæc misericordia super genus humanum per Christum Iesum dñm nostrum. & paulò pòst: Ipsa inscriptio legis diuinæ in cordibus credentiũ, videlicet per charitatē, ipsa iustificatio est. Hæc paulò diffusius scripsi, vt intelligat lector, renouationis & iustitię siue iustę vitæ gratiam non tantum interserendam esse iustificationi, sed esse ipsam veram substantiam iustificationis: non autem (quod seductores contendunt) iustitiam Christi imputatam, aut solam remissionem peccatorum.

Rom. 9.

Auguf. de spiritu & lit. cap. 16.

Ibidem cap. 21.

Ibidem cap. 27.

Circa decimę probationis confutationē nulla

O iij pro-

proponitur noua cauillatio, quæ non sit partim in ipsa Confutatione, partim in dictis superius, satis confutata.

S. Probatio Confessionis.

Octaua probatio Confessionis erat, differre iustificationem à renouatione: renouationem uero esse qualitatum, ac totius naturæ ex praua in bonam, realem commutationem per spiritum sanctum, seu nouarum qualitatum infusionem: ergo iustificatio est imputatiuæ iustitiæ Christi applicatio, hanc renouatione præcedens.

Responderam, inter iustificationem & renouationem, secundum uocabulorum propriam significationem, posse aliquid discriminis constitui: quod renouatio commutationem à uetustate importare videatur, quam non insinuat uox iustificationis, tamen ab apostolo pro eodem usurpari iuxta sententias apostoli, ad Ephesios 4. & ad Titum 3.

Cauillatio.

Hic primum calumniatur, me in tantis rebus certum nihil habere, sed diuinare oportere, hoc ne an illud sit uerum & falsum: eo quod modestè scripseram, quod renouatio videatur importare commutationem à uetustate, quam non importat iustificatio (nam angeli & primus homo, iusti & recti conditi sunt & iustificati. in quibus tamen nihil uetustatis præfuit) non autem asseruerim, renouationem uetustatem designare. Superbus sane & tumidus hominis istius spiritus modestiam sermonis non sustinet, sed requirit oracula & asseuerationes. Sed inanis simam cauillationem missam faciamus, remque

remque ipsam intueamur. Deinde respondet: *Renouationem proprie esse istam, quam catholici pro iustificatione obtrudunt, bonarum qualitatum infusione: sed eam non esse iustificationem, sed iustificationem antecedere.*

Respondeo. Primum hic considerare debet lector, qualem renouationem isti boni uiri agnoscant. quod hoc quoque loco disertis uerbis Illyricus aperit: *Verum est, inquit, quod sic quædam inchoata & manca nouitas iustitiæ in regeneratione, sed qua in conspectu Dei, si intret in uerum iudicium, nequaquam subsistere & iustificari possimus: ubi tantum ad unicum propitiatorium ac umbraculum Christi, & iustitiam ipsius fide nobis imputatam confugere oporteat, ut propter illam tegat Deus nostram iniustitiam.*

Renouationem igitur ueram & sinceram non agnoscunt, quæ posset sustinere iudicium: sed tantum mentitam quandam renouationis speciem, quæ assidue opus habeat remissione.

At contra Catholici secundum diuinarum scripturarum auctoritatem dicimus & credimus, per spiritum sanctum, effici in ijs quos Deus per gratiam Christi iustificat, ueram, sinceram, & Deo acceptam, & incontaminatam renouationem: dum diffundit in corda eorum ueram & sinceram charitatem, qua unus cum Deo spiritus efficiuntur, & eius mandatis subditi, per quam Deo accepti, & apud Deum uerè & realiter iusti sint. quod superius probatum satis arbitror. Atque hanc renouationem interioris hominis asserimus esse non posteriorè iustificationem: sed esse illam ipsam iustificationem impij, ad quam fides imputatur.

quod paulò superius ex Augustini clarissimis testimonijs copiosè, clarè, & solidè demonstra- uimus. Sed diligenter considerandum est, non solum illam interiorem renouationem, qua pri- mum naturę ex praua in bonam realis sit com- mutatio per spiritum sanctum, & nouarum qualitatum infusio, esse verā renouationem, & veram iustificationem: sed etiam eam renoua- tionem, qua natura per spiritum sanctum com- mutata ex praua in bonam, amplius renouatur, & de vetustate remanente aliquid semper de- ponit: ac similiter eam iustificationē, qua homo iam iustificatus, hoc est, ex impio factus iustus, magis iustificatur, ac proficit in iustitia, esse ve- ram iustificationem. Sicut eruditè dixit Augu- stinus, quando scripsit, quod illud apostoli: iu- stificati sumus: iam agitur in nobis, quando ipsa iustitia cum proficimus, crescit. Atque hic ipse profectus in iustitia, sicut est vera iustificatio, ita etiam vera renouatio. Quod igitur dicunt isti, iustificationem antecedere renouationem, con- fuso sermone fallere student minus peritum le- ctorem. Præcedit quidem iustificatio impij, qua primum ex impio & iniusto efficitur iustus, eam renouationem, qua iam iustificatus impius mor- tificat veterem hominem pijs & sanctis exer- citijs virtutum, & qua proficit in renouatione: sed non præcedit eam renouationem, qua im- pius primum commutatur ex malo in bonum, per infusionem donorum spiritus sancti: sed ipsa impij iustificatio est illa ipsa renouatio simul

Aug. ser. 16. de ver- bis Apo- stoli.

cum

cum remissione peccatorum. Deinde illa reno- uatio, qua iustificatus & renouatus, qui modò fuit impius, iam mortificat veterem hominem pijs operationibus & studijs, non est posterior iustificatione illa, qua iustificatus iam proficit in iustitia: sed est illa ipsa iustificatio, qua proficit iam iustificatus: estq; vera iustitia coram diuino iudicio. Hæc dum confundunt & permiscent hæretici, & seipsos & alios fallunt.

Quod igitur scripseram ex Paulo ad Ephe- sios quarto: Deponite veterem hominem: Re- nouamini spiritu mentis vestræ, & induite no- uum hominem, qui secundum Deum creatus est, in iustitia & sanctitate veritatis: probari posse, quòd idem sunt Paulo iustificatio & re- nouatio, eludere vult Illyricus, dicens: *Paulū hoc scripsisse Ephesijs iam iustificatis. & proinde aliud esse renouationē, ad quam hortatur eos, quam iustificationē.* Sed ex iam dictis facilè ea cauillatio refutatur. Eam renouationem, qua iam iustificatus morti- ficat veterem hominem, esse veram iustificatio- nem: qua videlicet iustificatus certamen glo- riosum exercens cum reliquijs veteris hominis proficit in iustitia: sed tamen esse posteriorem illa iustificatione & renouatione, qua impius ex prauo in bonum cōmutatus est & renouatus. Atq; hoc Pauli testimonium cōvincit, renoua- tionem illam quoq; quæ in mortificatione ve- teris hominis consistit, esse veram iustitiam siue iustificationem, quando, Apostolo teste, fit in iustitia & veritate.

Cauilla- tio. Ephes. 4.

Dilutio.

O v Ad.

*Alia Cas
uillatio.
Tit. 3.*

IVD. RAVESTEYN APOLOGIA
Adduxeram & locū Apostoli ad Titum 3.
Secundum misericordiam suam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde per Spiritum sanctum, vt iustificati gratia ipsius, hæredes simus secundum spem vitæ æternæ: ex eo loco concludens, eadem esse iustificationem & renouationem: aut certe renouationem in substantia iustificationis inclusam esse.

Respondet Illyricus, *coniungi quidem eo loco illa Dei beneficia, iustificationem, donationem spiritus sancti, regenerationem, renouationem & adoptionem in hereditatem: sed nequaquam Paulum dicere renouationem idem esse cum iustificatione.*

Dilutio.

Respondeo, Apostolum non solum illa coniungere, sed postquam discretè enumerasset renouationem, regenerationem, & largam spiritus sancti effusionem, postea subiecisse: vt iustificati gratia ipsius hæredes simus secundum spem vitæ æternæ. Quod quid est aliud, quam vt per renouationem, regenerationem & effusionem, siue donationem spiritus sancti iustificati, hæredes simus secundum spem vitæ æternæ? Renouatio igitur, regeneratio, & donatio spiritus sancti, vel sunt ipsa iustificatio, nec ab ipsa differunt, nisi secundum diuersum significandi modum: vel certe sunt in ipsa substantia iustificationis comprehensa.

Quod postremo dicit apparere ex toto nono testamento istas voces & res à seinuicè distingui. Sicut Paulus, inquit, ad Rom. 3. 4. 5. agit de iustificatione, at de renouatione cap. 6. 7. & 8. capite, cum inquit: Nulla est
nunc

nunc damnatio ijs qui sunt in Christo Iesu: de iustificatione agit. Cum verò addit: qui non secundum carnem ambulant, sed secundum spiritum: de renouatione loquitur.

Responsio. Paulum in capite sexto & septimo discretè explicare, quid ipsa iustificatio, quam in capite quarto dicit imputari per fidem credenti, requirat: nempe vt accepto dono iustificationis, in nouitate vitæ siue iustitia ambulent. Quæ quidem ambulatio in nouitate vitæ, non est ipsa prima renouatio, qua videlicet homo impius ex prauo (vt inquit Confessio) in bonum commutatur. quæ commutatio est illa ipsa iustificatio, quam fides impetrauit. Sed est illius primæ interioris renouationis fructus & effectus: qui tamen fructus, ipse quoque vera est iustificatio, sicut est vitæ nouitas, siue vitæ renouatio. Ac ne hæc subdolè confunderentur, semper diximus: Iustificationem impij esse ipsam interiorē illam renouationem, cuius ambulatio illa in nouitate fructus est: qui fructus & ipse recte dicitur renouatio veteris hominis.

Vndecima probatio Confessionis fuit: Peccatū, est omisio perfectissime obedientiæ, quam Deus seuerissime per legem à nobis exigit: ergo remissio peccati, est imputatio plenæ obedientiæ, qua imputatione Deus propter filium suum peccata remittit: & eum cui remittit, plane eodem loco & cōditione habet, ac si perfectissime legi Dei satisfacisset. Quā probationem subdolè & fraudulenter sic commemorat, quasi neque per-

Dilutio.

*II. Probatio
Con-
fessionis.*

perfectissimæ obedientiæ, neque eodem apud Deū loco haberi omnes quibus peccata remittuntur, vlla in argumento mentio facta esset: ad quæ refutanda, refertur responsio. Sed callide hæc subticet, vt occasio sit scribendi, me cum responsione vera desituerer, ad duos impios errores decurrisse.

Responsio.

Responderam ad duos impios errores, quos probatio complectitur, dissimulata principali ratiocinatione: quæ est alioqui ineptissima, & superius confutata. Peccatum est inobediencia legis, siue neglectio obedientiæ legis: ergo remissio peccati est imputatio obedientiæ legis, quæ est vera iustitia. Nam manifestissimum est, peccati remissionem, sicut & debiti, posse fieri per nudam cōdonationem, sine compensatione alicuius solutionis. Deinde vbi remissio & condonatio sit interueniente aliquo pretio vel lytro, ipsius pretii vel lytri persolutio, non est ipsa remissio vel condonatio: sed est ipsius remissionis causa & meritum tantum. Sed sub hac sermonis forma: remissionem peccati, esse imputatam persolutionem obedientiæ Christi nobis applicatam vel imputatam: tegunt suum venenum. Iustum nullo opere suo legi satisfacere, sed inobedienciæ perpetue applicari obedientiam Christi: per quam habeatur, tanquam legis obedientia vera esset. Hoc, inquam, dissimulato, responderam duplicem errorem impium in probatione & argumento affirmari.

Alterum: Eum cui remittuntur peccata propter filium

filium Dei, plane eodem loco & conditione haberi ac reputari à Deo, ac si perfectissimè legi satisfecisset. Alterum: Deum à nobis perfectissimam suæ legis obedientiam sub comminatione damnationis requirere.

Priorem ergo errorem tuetur Illyricus.

Summa, inquit, est blasphemia, non statuere perinde Christi plenissimam obedientiam ac impletionem legis imputatam esse mulieri peccatrici, aut latroni, sicut Baptista, aut alteri Ioanni (vtpote Euangelista) vt per eam imputationem perinde sit eis omnis violatio legis remissa, ac si omnia exactissimè seruassent. Nec hoc tantum verum esse de peccatrice & latrone, & Ioanne Baptista aut Euangelista: sed de omnibus omnino credentibus probat per Hieronymum in commentario cap. 10. ad Rom. Sicut, inquit, præclare dixit Hieronymus: Omnis in Christum credens, tunc cum credit talis est, qualis qui vniuersam legem impleuit.

Cavillatio prior.

Hier. in cap. 1. ad Rom.

Respondeo dogma prorsus esse blasphemum & impium: Affirmare cuilibet peccatori credenti & pœnitenti perinde plenissimam Christi obedientiam & impletionem legis imputari, vt omnis violatio legis perinde sit ei remissa, ac si ipse omnia mandata legis exactissimè seruasset. Tollit enim hoc dogma omnem pro peccatis admissis, & semel remissis satisfactionem, & pœnitentiæ laborem: confundit sacramenti baptismi & pœnitentiæ differenciam: tollit denique & peccatorum discrimen, quando omnia eadem & vna imputatione perfectissimè & ple-

Dilutio.

Cypr. lib.
4. epist. 2.
ad Antoni
anum.

Insignis
sententia.

& plenissimè delentur. Sed audi Illyrice catho-
licum doctorem vetustissimum, & in scriptu-
rarum diuinarum campo exercitatissimum, bea-
tum martyrem Cyprianum te redarguentem:
Nec putes, inquiens, frater charissime hinc aut
virtutem fratrum minui, aut martyria deficere,
quod lapsis laxata sit pœnitentia, & pœnitenti-
bus spes pacis oblata. Aliud est, ad veniam stare,
aliud ad gloriã peruenire. Aliud, missum in car-
cerem non exire inde donec soluat nouissimum
quadrantem: aliud, statim fidei & virtutis acci-
per emercedé. Aliud, pro peccatis longo dolore
cruciatum emendari, & purgari diu igne: aliud,
peccata omnia passione purgasse. Aliud deniq;,
pêdere in die iudicij ad sententiã Domini: aliud,
statim à Domino coronari. An tu blasphemo
ore istum tantum virum, fortissimum Christi
martyrem audebis summè blasphemix in Chri-
stum reum facere, quod non statuat plenissimam
Christi obedientiam & legis impletionem om-
nibus credentibus ex æquo imputari, vt omnis
violatio legis perinde eis remittatur, ac si omnia
exactissimè seruassent? Non enim agit Cypria-
nus de noua obedientia legis, in qua dicis alios
alium excellere, sed disertè de ipsa remissione
peccati. Nec Hieronymum sanctissimum docto-
rem in tui erroris patrociniũ producere legi-
timè potes, qui de seipso scripsit, quod peccatis
primæ ætatis, & diuini iudicij seueritate conter-
ritus, se ad vastam & duram eremum contulerit,
vt ibi præteritæ vitæ maculas & culpas
abo-

Exponitur
Hieronymi
sententia.

aboleret & elueret. Quod ergo exponens illud
capitis 10. ad Rom. Finis enim legis Christus est
ad iusticiam omni credenti, dicit: Omnis in
Christum credens, die qua credit talis est, qualis
qui vniuersam legem impleuit: intelligi debet
de ijs qui siue ex gentibus, siue ex Iudæis pri-
mum in Christum credunt, & Christi sacra-
mento abluuntur. in ijs enim sic prorsus pecca-
torum remissio plena sit, vt nihil ab ijs debiti
propter ea admissa exigatur: quod quidem per-
tinet ad futuram vitam, perinde atque si legem
obseruassent. Quod si generalem omnino sen-
tentiã esse contendas de quolibet credente, vera
est sententia Hieronymi, relata ad peccatorum
remissionem, quantũ ad reatũ æternæ damna-
tionis pertinet. Nam quilibet verè in Christum
credens, fide videlicet per dilectionẽ operante,
& diuinitus ordinatis sacramentis ritè vtens,
prorsus liberatur à reatu æternæ damnationis,
perindeq; talis efficitur, qualis est qui vniuersam
legem impleuit: non autem continuò efficitur
omnis credens perinde liber ab omni debito
& reatu per peccatum contracto. Verum alijs
locis impium hoc dogma & blasphemum co-
piose confutatur.

At, inquit Illyricus, sententia illa Augustini: vni-
uersa lex impletur, cum quicquid nõ sit, ignoscitur: istum
hominem potentissimè redarguit.

Obisidio.

Responsio. Imo cõtrã Augustini sententiã vali-
dissimè Illyrici doctrinã cõuellit. Nam in ea sen-
tentiã clarissimè testatur, à iustis hominibus mul-
ta man-

Respon-
sio.

ta mandata ritè fieri & impleri, ita vt in illis nulla sit opus remissione: quanquam iustorum nemo in hac mortali vita sine omni prorsus peccato uiuat. Cuius peccati sanandi & condonandi remedium in ipsis quoque legis mandatis demonstratur, per humilem scilicet orationem, & veniæ deprecationem, & alienæ in nos offensæ benignam condonationem. Id cum factum fuerit, tum iustum habendum à Deo, tanquam in nullo legem neglexisset, sed vsque ad minimum apicem omnia mandata impleisset. non quod eiusdem conditionis futurus sit is qui mandata violauit post condonationem impetratam: & eo loco habendus apud Deum, quo is qui omnia mandata fecit. Quantum igitur ad Dei offensam, & reatum æternæ damnationis pertinet, deputatur is cui ignoscitur omnia mandata fecisse: sed non quantum ad merita apud Deum comparata, neque etiam quantum ad reatum pœnæ temporalis, pro admisis peccatis, & pro legis violatione exoluendæ, secundum fundatissimam Catholicæ ecclesiæ doctrinam. Potentissimè igitur prosternit Augustini sententia impiam Illyrici doctrinam: Iustum in omni opere suo quantumuis bono egere remissione peccatorum.

Aug. lib. 1.
cap. 1. re-
tract.

2. Error.

Secundus error quem notaueram erat, quod affirmat Illyricus: Deum seuerissimè à nobis exigere perfectissimam obedientiam legis suæ, sub interminatione scilicet æternæ damnationis, & comminatione indignationis suæ.

Hic

Hic exclamat Illyricus, errorem esse minimè ferendum, quod affirmo legem non exigere perfectissimam obedientiam. ac prolixè verba in Confutatione à me descripta recitat.

Caustio.

Sed vide obsecro, Christiane lector maliciosam fraudem hominis: in nostra confutatione non mea verba recitantur, sed Augustini: ad scriptis etiam locis vnde ea desumpta sunt: De spiritu & litera capite ultimo. & libro de perfectione iustitiæ. Neque verbum vnum in mea confutatione scriptum est, quod non vel expressè illis locis continetur: vel ex ijs manifestissima & necessaria ratiocinatione deduci & colligi potest. Non mecum igitur, sed cum Augustino sciat se pugnare. Conferat quæso lector loca citata & notata, & verissimum esse perspiciet quod scribo.

Dilutio.

Sed, inquit, hæc est illa ipsissima Pharisæica obscuratio legis, quam Christus tam studiose detergit, ostendens oportere omnino legem impleri vsque ad minimum iota vel apicem: alioqui nisi plenissimam & abundantissimam iustitiam legi Dei præstemus, non posse nos saluos fieri. Et hac quidem ratione, inquit, tum euangelium, tum iustitia, tum misericordia Dei hominibus prorsus obscurantur, & tantum non plane abolentur.

Obiectio.
Matth. 5.

Has tam atrocès contumelias quo pacto homo iste audeat contra sanctissimum & eruditissimum Augustinum euomere, ipse viderit. Hoc loco rursus astutè & fraudulentè agit. Nam cum quæstio sit, non de hoc, an Deus seuerè exigat eam perfectionem obedientiæ,

Solutio.

P qua

qua omnia mandata legis seruantur, adeo vt ne iota vnum, aut apex vnus negligatur & preteratur: sed de hoc, an perfectissimam obedientiam seuerè exigat, vt non solum fiant omnia mandata, sed etiam vt perfectissimè fiant. Verbi gratia: An seuerè exigat Deus, & sub comminatione indignationis suæ, vt perfectissimè diligatur Deus ex toto corde, ex tota anima, & ex omnibus viribus, absque omni carnalis corruptionis impedimento: & non sufficiat in hac corruptibili vita diligere Deum per veram & synceram charitatem, quæ tamen non fit perfectissima charitas: ipse peruertens statû quæstionis, de eo obiectionem facit quod extra omnem est controuersiam: Deum exigere omnium mandatorum legis plenam obedientiam, etiam minimorû mandatorum: sicut rectè quæstionem in 1. lib. Retract. tractat Augustinus: An perfectio illa, qua lex vsq; ad minimum apicem exactè seruatur, sit præstita ab apostolis, aut etiam præstari possit in hoc corruptionis mortalis statu: & eruditè respondet: non aliter posse eam perfectionem præstari à mortali homine, quâ quia per ignoscentiâ eius quod peccatum erat, habetur tanquam non factum, quod peccatum erat: Omnia mandata, inquit, tunc facta deputantur, quando id quod non fit, nec est factum, ignoscitur. Inanes igitur sunt & vanæ Illyrici cauillationes contra Catholicam doctrinam. Ad Pharisaicam verò doctrinam hoc ostendit Christus pertinere, quod legis

Aug. lib. 1
retract.
cap. 9.

legis quædâ præcepta deprauabât, atq; internâ cordis immunditiâ & concupiscentiâ pro nihilo ducebant, neq; legi Dei aduersari existimabant.

Duodecimâ probatio Confessionis erat: Paulum passim excludere omnia nostra opera à iustificatione, & docere, nos iustificari sine aut absque operibus: non ex operibus, nõ ex nobis.

12. Probatio
Confessionis.

Responderam, perspicuum esse D. Paulum ea tantum opera excludere, quæ nostris viribus, absque fidei & gratiæ Dei adiutorio fiunt: non autem ea quæ ex fide & gratia Christi sũt, atq; hoc per scripturas, ad Rom. 4. & 9. ad Philipenses. 3. comprobaueram: addito insigni dicto Augustini obiurgantis Pelagianos: Audi, inquit, & intellige, non ex operibus dictum, tanquam tuis, ex teipso tibi existentibus.

Aug. insigne dicti
de grat. &
libe. arb.
cap. 8.

Ad hæc testimonia cum non haberet quod verè responderet, transfert se ad cauillandum quod probaueram non excludi opera quæ ex gratia fiunt à iustificatione, hoc dicto Pauli: Gratia estis saluati per fidem, & hoc non ex vobis. Dei enim donum est, non ex operibus, vt ne quis gloriatur. ipsius enim sumus factura, creati in Christo Iesu, in operibus bonis, quæ præparauit Deus vt in illis ambulemus. Hoc dictum, inquit, planè contra ipsum est. Aded enim hic Paulus excludit bona opera ex causa nostræ salutis, vt ea faciat effectum aut fructum salutis nostræ. Sicut & Baptista & Christus sepius iam iustificatis præcipiunt, vt faciant fructus dignos penitentia, & non amplius peccent.

Cauillatio.

Ephes. 2.

Matth. 3.
Ioan. 5.

Dilutio.

Respondeo. Iam paulo superius admonuimus, & ostendimus, Iustificationem nostram fieri, nō solum quando primum ex impijs iustificamur per remissionem peccatorum, & interiorē renouationem per donationem spiritus sancti: sed etiam quando in iustitia proficimus, & quando per bona virtutum opera nostram salutem operamur. Falsissimum enim esse & impium dogma: Bona iustificationum opera ad salutem & iustificationem nostram coram Deo nihil conferre. Per fructū igitur iustificationis primo acceptæ sine meritis operum, qui consistit in bonorum operum operatione, ad quæ per gratiam suam nos præparauit, vt in illis iam iustificati ambulemus, amplius iustificamur. iuxta illud: Qui iustus est, iustificetur adhuc. item: Abraham nonne iustificatus est ex operibus? rursus: Qui perspexerit in lege perfecta libertatis, & permanserit in ea, nō auditor obliuiosus factus, sed factor operis, beatus in facto suo erit. & rursus: Non auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur. Ad hanc igitur iustificationem, quæ consistit in profectu iustitiæ, solidissimè & aptissimè adductus est locus Pauli ad Ephesios, contra eos qui negant iustificatos per opera etiam quæ ex gratia Dei fiunt, amplius iustificari: & docet bona iustificationum opera nihil ad iustificationem conferre.

Apoc. 22.
Iacob. 1.
& 2.

Obiectio.

At obijcit Illyricus, Paulum etiam sanctissimi patris Abrahami opera excludere à iustificatione eius coram Deo, quam collocat tantum in non imputari, tegi, &

condonari eius peccata: excludere eum manifestè etiam ea opera Abrahami, quæ postea in circumcisione, aut sub lege Dei fecit: sicut & in Galatibus, ea quæ post acceptum spiritum sanctum faciebant.

Rom. 4.

Galat. 5.

Respon-
sio.

Respondeo falsissimū esse, quod Paulus opera Abrahami, quæ per fidē fecerat, excludat ab eius iustificatione. Imo Apostolus Iacobus, qui eodem spiritu inspiratus, quo Paulus locutus est, disertè ostendit, opera Abrahamæ, quæ per fidem in Deum fecerat, & potissimum opus illud memorabile obedientiæ de offerendo filio suo Isaac, in iustificatione Abrahamæ, & in fide, quæ reputata est ei ad iustitiam, comprehensā fuisse. Vides, iniquiens, quoniam fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus fides consummata est: & impleta est scriptura, dicens: Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam. Quando igitur dicit scriptura, Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam, non hoc docet, quod sola fides sine vllis operibus sit ei deputata ad iustitiam: sed id tantum docet, quod non ex operibus, qualia opera sine fide in Christum facta Iudæi superbe iactabant, hoc est, non ex operibus sine gratia Christi factis sit iustificatus. quod ostendit, quia scriptum est, quod credidit Deo, & reputatum est ei ad iustitiam, hoc est, fides eius, qua per dilectionem Deo adhærebat, & gratia Dei adiutus bona opera faciebat, ea est illi deputata ad iustitiam. Manifestissimum est enim, quod cum Iudæis agat, qui suis viribus, & doctrinæ

Iacobi 2.

que per legē erat eis tradita, confisi, Christi gratiam necessariā non putabāt. Ad eos itaq; dicit: Si Abrahā ex operibus, sine Christo scilicet mediatore, per liberi arbitrij vires factis, iustificatus est, gloriā quidem habere potest apud homines, at nō apud Deum. Falsissimū quoq; est, quod exclusis omnibus operibus, Abrahami iustificationem collocet Paulus tantū in non imputari, regi, & condonari eius peccata, quam clarissimē D. Iacobus, spiritus sancti organū, docet in fide pariter & sanctis operib⁹, quæ per fidē faciebat, positam esse. Probationem itaq; illam, quā desumpsit Paulus ex testimonio Davidis, non refert ad id quod de Abrahamo cōtulerat ex Genesi: Credidit Abrahā Deo, & reputatū est ei ad iustitiam: sed ad id quod proximē dixerat: Credenti in eū qui iustificat impium reputatur fides eius ad iustitiā. sicut & David dicit, beatitudinē hominis, cui Deus imputat iustitiā sine operibus: Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Falsissimum enim est, Abrahamum illum sanctissimū in operibus illis suis heroicis, quibus Deo obediuit ad deserendā suam patriam & cognationē, & ad peregrinandum in terra aliena: deniq; ad offerendū vnicum filium suum, remissione peccatorum opus habuisse (quod impudētissimē isti affirmare non erubescunt) sed impius ille, de quo dixerat: Credenti autē in eū qui impiū iustificat: is sanē egebat remissione impietatis suæ. Et rectē dicitur de eo, quod fides qua credit in eū qui iustificat

Genes. 15.

im-

impiū, deputata est ei ad remissionē peccatorū. quamuis, (vt suprà satis ostēdimus) non ad solā remissionem peccatorū, sed etiam ad iustitiā interioris renouationis per donū spiritus sancti, ea sentētia pertinet. Postremō, falsissimū similiter est, quod Paulus Galatharū opera, quæ post acceptum spiritū sanctum faciebant iustificati, excluderet à iustificatione. Qui tā studiosē adhortatur Galathas, vt in libertatē vocati, liberratē in occasionem non darent carnis: sed per charitatē spiritus seruirent inuicem. Omnis, inquit, lex in vno impletur: Diliges proximū tuū sicut te ipsum. itē: Fructus spiritus sunt, charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, māfuetudo, fides, modestia, cōtinentia, castitas. Porro quid de huiusmodi charitatis operib⁹ sentiat, ipse disertissimis verbis expressit: Nam in Christo Iesu, inquit, neque circumcisio aliquid valet, neque præputium: sed fides, quæ per charitatem operatur. Nōne hic clarissimē refutat impietatem istorum hominum, dum dicit, opera charitatis valere in Christo Iesu? ad iustificationē scilicet, & ad Rom. scribens: Qui in hoc, videlicet in iustitia & gaudio in spiritu sancto, seruit Deo, placet Deo. Sed de Galatharum operibus postea copiosius disserendū erit.

Galat. 5.

Rom. 14.

Decima tertia probatio Confessionis, dissimulatis calumnijs & conuitijs, in eo posita fuit, quod cū perfectissimam filij Dei iustitiam nobis imputatam, vt per eam saluemur, rejiciamus, contendamus nos miserorum ho-

13. Probatio Confessionis.

»

»

P iij mun

» muncionum, monachorum scilicet & sacerdo-
 » tum, impurissima & imperfectissima iustitia in
 » nos transcripta, & nobis imputata, aut etiam
 » mortuorum meritis nobis imputatis, saluari &
 » iustificari, quasi imputativa Christi iustitia parū
 » solida aut sufficiens sit ad salutem, cūm homi-
 » num imputativam iustitiam putemus esse suffi-
 » cientissimam: atque hanc cecitatem certum esse
 » & evidens reprobis sensus indicium, & iustissimā
 » irati Dei vindictam, quod deserto fonte aquæ
 » viventis Christo, ad proprias virtutes & opera,
 » & ad peccatorum homuncionum impuras in-
 » iustitias confugiamus.

*Catholici
 doct.
 doctrina.*

Respondeo. Quo constat evidentissimè Chri-
 stiano lectori doctrinam istorum de imputativa
 Christi iustitia, quam tanto studio prædicant,
 commendant, & tuentur, esse perniciosam, &
 Christianæ ac Euangelicæ doctrinæ omnino con-
 trariā: operæ pretiū est, ut ea doctrina brevissimæ
 repetitionis compendio ob oculos obijciatur,
 idque cum oppositione catholicæ doctrinæ. Sic
 enim ipsa seipsam patefaciet, & iudicandam ex-
 hibebit. Catholici igitur docent, Christum,
 sacrificium passionis, mortis & sanguinis Deo
 patri cœlesti obtulisse, ut hominem, qui propter
 inobedientiam factus erat æternæ mortis &
 damnationis reus, & in ira ac inimicitia Dei cō-
 stitutus, patri reconciliaret, & ab æternæ mor-
 tis ac damnationis reatu & debito liberaret:
 idque prætio & lytro sufficiente, iusto, & con-
 digno pro hominis delicto oblato & perso-
 luto.

Rom. 3.

luto. cuius liberationis & redemptionis posset
 homo peccator secundum propositum gratiæ
 Dei per synceram fidem, fideique sacramenta
 particeps fieri. Nec solum ut liberaret hominē
 ab æternæ damnationis debito, sacrificiū mor-
 tis suæ obtulisse, sed etiam ut Deo reconciliatus
 in pristinum gratiæ statum restitueretur, videli-
 cet ut per spiritum diffundentem dona sua in
 corda iustificatorum renouaretur, Deo subijce-
 retur, & coniungeretur per veram & synceram
 charitatem, eiusque sanctissimæ legi veram, syn-
 ceram & Deo acceptam obediētiam præstaret.

Contra Prophani isti ac novitij magistri Il-
 lyricani docent: Christi iustitiam siue iustā per-
 solutionem prætij & lytri pro inobedientia ho-
 minis, fieri nostram per imputationem, ut non
 solum propter & per eam liberi simus à reatu
 & debito æternæ damnationis: sed etiā ut illa
 reputetur nostra persolutio obediētiae, quam
 Deo, Dei que legi debemus. nostra enim opera
 nunquam per veram, synceram, & incontami-
 natam obediētiam Dei legem implere: sed po-
 tius esse veras inobedientias, & peccata. Nos
 verò pro nostris debitis, nostraq; debita obedi-
 entia, persolvendis, habere nobis donatam &
 imputatam, Christi iustitiam & obediētiam per-
 solutionem, quam patri cœlesti iam iustificati
 persoluamus & offeramus: denique per hanc
 nobis imputatam Christi obediētiam & iusti-
 tiam, nos perinde iustos haberi coram Deo, ac
 si nos ipsi perfectissimè ea omnia præstitissemus,

*Illyricas
 norū do-
 doctrina de
 imputa-
 tiva do-
 doctrina.*

quæ Christus pro nobis largissimè præstitit: nec posse nos per bonorum operū quoduis coram Deo iustificari aut saluari. Scribit alicubi D. Hieronymus, quod detexisse hæreses, superasse est. hoc confido apud Christianum lectorem factū esse. Quis enim Catholicus perniciosissimis illis erroribus: Omnia iustificatorū qui spiritu Dei aguntur opera, peccata esse: & inobedientias potius quam syncerā obedientiam: solamq; Christi obedientiā esse incontaminatā obedientiam. item: Per Christi imputatam obedientiam hominem ex seipso re vera inobedientē, & legi nō satisficientem, talem à Deo censerī, ac si ipse omnia mandata perfectissimè perfecisset? Prodigiosos istos errores hæctenus satis cōfutuimus, & infra de operibus diffusius de ijs dicendū erit.

Cauillatio.

Iam quod hic tumido spiritu scribit Illyricus, euidens esse indicium reprobī sensus, quod Papistæ reijciunt imputatiuam iustitiam Christi, & iustam irati Dei vindictam, quod reiecta imputatiua iustitia Christi, ad proprias virtutes ac opera, imo ad hominum peccatorum, siue viuorum, siue mortuorum merita & iustitiam, quæ sibi imputari volunt, confugiant:

Responsio

Respondemus primū, quod quandoquidem nobis euentissimum est & compertissimum, nostram doctrinam de iustificatione, per meritum obedientiæ & passionis Christi, non per commentitiā imputationem supra explicatam, semper in catholica ecclesia creditam, prædicatam, & obseruatam secundum scripturarum diuinarum intelligentiam, germanam esse: adeoq;

adeoque, vt tandem contra nouitios hæreticos sit etiam publico iudicio totius ecclesiæ in œcumenico concilio Tridentino approbata, vestraq; doctrina reiecta & condemnata. nos bene securi simus nos in hac sententia non reprobo spiritui traditos esse: sed spiritus diuini, qui docet nos non esse apud nosmetipsos sapientes, neque alta sapere, sed humilibus consentire, denique Christi ecclesiam audire, ductum sequi. qui nostram causam à Pharisæorum causa, qui vel in suis viribus confidentes gratiam Christi nō requirebant, vel de donis à Deo acceptis superbiebant, alios qui nondū eisdē donis præditi essent contententes, discernet. qui neque in proprijs viribus confidimus, neq; de Dei donis superbumus. Sed per ea Deo, Deiq; legibus subiecti, rectè viuere, Deo obedientiā syncerè præstare, ac denique cum Deo nostram salutem operari sedulò studemus: nec omnia in vnum & solum Christum ipsi nihil nisi peccantes reijcimus. Quin potius vobis prouidendum est Illyrice, quomodo vobis constare possit ratio apud fœnerum iudicem dominum, quod contempta totius orbis sententia & iudicio, propriā eligatis & tueamini doctrinā, scripturas ex vnus apostatæ Martini Lutheri sententia deprauantes.

Quod deniq; de imputatis meritis & iustitia hominum siue viuorum, siue mortuorū, hoc est, iustorum cum Christo viuentium, cauillatur Illyricus: Nos iterū respondemus, nos hominū iustorum viuentium aut defunctorū cum Deo agen-

Rom. 12.
Prouer. 3.
Esaie 5.
Luc. 18.
Matth. 6.

agentium, præces, suffragia ac merita non aliter applicare vel imputare nobis, quàm quomodo reus aduocati aut intercessorum patrocinium aut præces sibi applicat. Sicut enim Paulus postulans præces & orationes iustorum uiuentium, ut iis commendatior coelesti patri fieret ad impetrandum quæ volebat: ita & nos tam uiuentium quàm defunctorum sanctorum præces postulamus, ut eius maiestati nostra imperfectio, nostræque præces, orationes & postulationes commendatiores sint ad impetrandam salutem. Merita uero iustorum cum Deo agentium, eius maiestati similiter ueluti recordanda proponimus, ut in gratiam seruorum suorum fidelium, quorum studiosam iustitiam scimus illi acceptissimam fuisse, nobis propitius sit: non autè illa superbè & arroganter nostra facimus. Sicut olim Dauid, & sancti reges precari solebant, ut propter Abraham, Isaac & Iacob dilectos & fideles seruos, & cultores suos, propitius esset plebi Israeliticæ: uidelicet recordatus meritorum sanctorum patriarcharum.

Exod. 32.

Quod autem attinet ad merita monachorum & monacharum, uilissimorum hominum (ut ipse ait) comparanda, nos sanè nullam in iis rebus nundinationem probamus: Piorum tamen & religiosorum hominum, siue monachi, siue monachæ sint, siue alij quiuus, præces & supplicationes laudabiliter & rectè à fidelibus postulari non dubitamus.

Tertia

Secunda sententia Confessionis in argumèto
& causa

& causa iustificationis fuit: Deum quidem per Spiritum sanctum regenerare & renouare quos iustificat, atque in eis bonas qualitates & uirtutes excitare, & etiam inchoatam quandam obedientiam: uerùm hæc omnia nequaquam esse illam iustitiam, qua coram Deo iusti sumus, aut uitam æternam consequimur, & nequaquam hæc illi admiscenda esse. Iam porro pergit Illyricus rationes, quibus eam sententiam confutaueram, oppugnare.

tur secundum sententiam Confessionis.

Primum, inquit, sophisma struit ex dicto Pauli ad Roman. 5. in quo iustificatione, qua per Christi obedientiam multi constituti sunt iusti, siue sunt iustificati, diserte uocat iustificationem uitæ, quod ei significat emendationem uitæ, siue uitæ rectam institutionem. de cuius loci uera sententia abundè supra in defensione quintæ probationi idifferni.

Respondemus. Nos supra in defensione quintæ confutationis satis clarè ostendisse ex capite ad Romanos sexto. item ex fine capitis quarti, quæ sit apud Paulum iustificatio uitæ, utpote ipsa uitæ renouatio & nouitas.

Dilutio.

Secundum, inquit, sophisma ducit à collatione Christi & Adami. de qua itidem respondi. Neque tamen hoc negamus, inquit, quod sicut Adamus tum reatum, seu imputatam iniustitiam tum inhaerentem nobis reliquit: sic & Christus nobis etiam infusam iustitiam acquisierit. Sed tantum negamus, quod illa manca iustitia in conspectu Dei consistere & saluari possimus.

2. Cauillatio.

De collatione Christi & Adami, & in quibus ea consistat, satis supra diximus, solideq; ac perspicue

Dilutio.

spicue ex ea ostendimus, sicut per Adamum secundum fidem catholicam vera iniustitia secundum veritatem, & non tantum secundum imputationem in filios Adæ translata est & propagata: ita & per Christum in credentes veram iustitiam secundum veritatem, & non tantum secundum imputationem, traductam esse. Ac quod ad veram iniustitiam per Adamum traductam in posterum attinet, satis nobis consentire visus est. At nunc observa diligenter Christiane lector, quod hoc loco dicit, Adamum reatum siue imputatam iniustitiam, & inhærentem nobis reliquisse. Sentit ergo, quod iniustitia, qua posterum Adami iniusti sunt, sit imputata tantum iniustitia, cui tamen etiam inhærens iniustitia coniuncta sit. In quo vides eum peccatum originale non nisi secundum imputationem constituere in parvulis Adæ posteris, quod est, dænata hæresis.

Secundo observandum est quod infusam iustitiam, credentibus à Christo acquisitam, vocet mancā iustitiam, qua saluari in conspectu Dei non possumus. In hoc enim impiè facit Christi gratiam & donum inferius peccato Adæ. Nam confitetur delictum & inobedientiam Adæ, veram iniustitiam inhærentem posteris suis reliquisse: Christi verò gratiam non posse efficere in iustificatis inhærentem iustitiam, nisi mancā & cōtaminatā, contra expressum Pauli dictum: Non sicut peccatum, ita & donum.

3. Probatio.

Tertio loco adduxeram locum Apostoli ad Roman. 8. Lex spiritus vitæ liberauit me à lege peccati

peccati & mortis. faciens videlicet me quoque impleto rem legis. Nam Deus mittens filium suum in similitudinem carnis peccati, de peccato damnauit peccatum in carne, ut iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus.

Respondet Illyricus. *Primum prorsus nusquam ad Rom. 8. verba ista haberi, sed potius contraria haberi: unde plane crimen falsi hic quoque admittere me, meo more, vociferatur.* *Cauillatio 3.*

Respondeo, Textum Pauli inspectum me prorsus liberare à crimine falsi. Nam neliteram quidem in citatione ipsa de verbis Pauli immutasse me comperiet lector: nisi fortè commentariolum, quem post primū Paulini dicti membrum subieci, ille malevolentia sua solita interpreteretur & cauilletur me textui Paulino inseruisse, tanquā Pauli esset. Quod si fecerit, quomodo quæso seipsum à crimine falsi liberare poterit, sic scribēs? Dicit enim Paulus: quod id quod lex exigebat, & nos præstare non potuimus, Christus incarnatus præstiterit pro nobis, ut sic nihilominus eius satisfactione, nepe nobis fidem imputata, legi perfolueremus. Falsissimum enim est hoc Paulum dicere aut scribere, quod illi adtingit Illyricus. Cōmentarius enim est peruersus & falsus: non Pauli, sed Illyrici. Verum commentarius, quem ego primis verbis Paulinis adscripsi, probatur ex membro sequenti: Nam quod impossibile erat legi, Deus mittens filium suum in similitudinem carnis peccati, de

Dilutio.

Rom. 8.

de peccato damnauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus. Porro iustificationem impleri in nobis, non est aliud, quam per gratiam Dei in nobis operantem, nos gratiæ eius cooperantes implere legem, auctore & interprete Augustino toto ferè libro de spiritu & litera. Fides: inquit, impetrat gratiam qua lex impleatur. rursus: Lex data est, vt gratia quæretur: gratia data est vt lex impleretur. Neque enim suo vitio non implebatur lex, sed vitio prudentiæ carnis. Quod vitium per legem demonstrandû, per gratiam sanandum fuit. quod enim impossibile erat legi in quo infirmabatur per carnem, misit Deus filium in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatû in carne, vt iustitia legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus. rursus: Per donum spiritus operamur iustitiam, & à præuaricationis damnatione liberamur. rursus: Voluntas nostra ostenditur infirma per legem, vt sanet gratia voluntatem, & sanata voluntas impleat legem. item: Quod lex iubet, per gratiam potest impleri. &: Gratia datur, non quia bona opera fecimus, sed vt ea facere valeamus. id est, nõ quia legem impleuimus, sed vt legem implere possimus. Et contra Faustum Manichæum: Vides quàm sit aliter intelligendum quod ait, non se venisse soluere legem, sed adimplere: scilicet vt nõ quasi semiplena istis verbis integraretur: sed vt quod litera iubente propter

Auguf. de
spir. & lit.
cap. 29. &
19.

Ibidem
cap. 17.

Ibidem
cap. 9.

Aug. lib. 1.
cõr. Fau-
stû, ca. 27.

super-

superborum præsumptionem non poterat, suadente gratia propter humilium confessionem impleretur, opere factorû, non adiectione verborum. Fides enim (sicut Apostolus ait) per dilectionem operatur. Vnde idem dicit: Qui diligit alterum, legem impleuit. Istam charitatem, veniens Christus donauit, qua sola charitate iustitia legis possit impleri. Vides Christiane lector, nostrum commentarium ex perspicuis, & certissimis scripturæ diuinæ testimonijs desumptum esse (Plenitudo legis charitas. Qui diligit proximû, legem impleuit. In Christo Iesu valet fides, quæ per dilectionem operatur, operatur, inquam, legis impletionem) & grauissima authoritate eruditissimi Augustini confirmatum. Ex quo constat non me posse crimine falsi notari, sed Illyricum verius, qui falsam explanationem, & diuinis testimonijs contrariam inducit, & Paulo adfingit.

Rom. 13.
Galat. 5.

Quod rursus cauillatur Paulum non dicere: *talem à nobis factam impletionem legis, pertinere ad iustificationem*, potentissime Paulus ipse cõfutat, & redarguit, qui ipsam impletionem legis disertè appellat iustificationem siue iustitiã. Sed animaduertere debet lector, Illyricû non agnoscere aliã veram iustificationem, quàm primã illam, quæ in remissione peccatorû posita est. ex quo consequens necessariò est, quod legis impletio à nobis facta, Dei etiã gratia operãte in nobis, nõ sit iustificatio, quia nõ nisi à iustificatis præstari potest.

Cauilla
tio.

Dilutio.

4. Proba
tio.

Quarto loco citauerã dictum Pauli: Et hæc qui-

Q

1. Cor. 2. quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine domini nostri Iesu. Ex quo loco conclusi, interiorem renouationem & sanctificationem non esse excludendam à iustificatione.

Cauillatio. Respondet Illyricus, *me non probare, neq. probare posse, vocem Iustificati estis: pertinere propriè ad insinuationem nouarum qualitatum. cum potius manifestè sonet de remissione illorum prius nominatorum peccatorum.*

Dilutio. Respondeo manifestissimum esse ex ipso Paulo vocem Iustificati estis: eo loco non sonare remissionem peccatorum: cum illud quod primo loco positum est: sed abluti estis: nõ aliud significet, quàm ablutionem peccatorum, hoc est, remissionem peccatorum. Nõ igitur ineptè idem rursus insinuat voce, iustificati estis. Verissimus igitur sensus dicti Paulini est: Abluti estis à peccatis, hoc est, præteritorum peccatorum in baptismi sancti lauacro remissionem consecuti estis: nec tantum abluti, sed sanctificati estis, hoc est, per renouationem interioris hominis Deo consecrati estis, & Dei templum sanctum facti, & iustificati estis, hoc est, ad iustitiæ statum restituti, vt iam abluti & sanctificati, iustè viuatis. Vbi manifestum est & ablutionem seu remissionem peccatorum, & interiorem sanctificationem à iustificatione non esse excludendam, sed potius per ea credentem ad iustificationem perducere.

5. Probatio. Quinta probatio nostra ducta fuit ex dicto Pauli ad Philippenses: Omnia detrimentum feci,

feci, & arbitror vt stercora, vt Christum lucrificiam, vt & inueniar in illo non habens meam iustitiam, quæ est ex lege: sed illâ quæ ex fide est Christi, quæ est ex Deo iustitia in fide.

Respondet Illyricus: *In loco citato Paulus omnia opera sua ac iustitias pro meris reiectamentis ac etiam damnis deputat, & sola Christi iustitia potiri, ac coram Deo consistere cupit. Et clarè loquitur non solum de operibus in Pharisaismo, sed etiam de presentibus in Christianismo. Inquit enim: Sed quæ erant lucra, ea duxi propter Christum damnatum. Et porro de presenti sanctitate inquit: Quin etiam certè duco omnia detrimentum esse. item de futura: vt reperiar in eo non habens meam iustitiã, sed eam quæ est ex fide. Simpliciter ergo omnem suam iustitiam in conspectu Dei abiicit, agnoscens se esse miserum peccatorè, & ad solius Christi meritum confugere.*

Respondeo, hoc commentum Illyrici prorsus contumeliosum esse in spiritum sanctum, quo opera post renouationem per spiritum sanctum facta, (quæ fructus spiritus sancti appellat scriptura diuina) affirmantur esse coram Deo tanquam stercora quædam graueolentia. De quibus pronunciat Paulus in eadem epistola, quod sunt hostiæ Deo acceptæ & placentes, spirantes odore suauitatis. Et alibi dicit idè, quod opera renouatorum accepta sunt coram Deo, quod quæ placita sunt coram Deo. Et audet Paulus sanctè in Deo glorians scribere: Bonum certamè certauimus, cursum consummaui, fidè seruauimus: in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quâ reddet mihi dominus in die illa iustus iudex. Cõsidera quæso

Q ij lector,

Philipp. 3.

Cauillatio.

Dilutio.
Galat. 5.

Philipp. 4.
1. Tim. 5.
1. Ioan. 3.

1. Tim. 4.

De operibus post conuersionem factis, vide August. lib. de gratia & lib. arbit. cap. 12.

Aug. de gratia & lib. arbit. cap. 12.

lector, quanta blasphemia sit affirmare quoddam iustus iudex in illa die reddet coronam iustitiæ debitam pro stercorebus Pauli. Prorsus igitur falsum est, quod hic impudenter affirmat Illyricus, Paulū de operibus suis post conuersionem factis dixisse: Existimo omnia detrimentū esse propter eminentem scientiam Iesu Christi, & propter Christum detrimentum feci, & arbitror etiam nunc ut stercora: sed hoc tantū de operibus ante conuersionem factis eū dixisse, quod omnia quæ fecit extra scientiā Iesu Christi, hoc est, extra fidem, arbitratus sit, & adhuc constanter arbitratur, esse Deo ingrata, tanquam stercora, demonstrat ipsa circumstantia sententiæ Pauli. Subijcit enim: ut inueniatur in illo non habens meam iustitiam, quæ ex lege est: sed illam quæ ex fide est Christi, quæ ex Deo est iustitia in fide. Vbi manifestissimum est eum rejicere tantū suam propriam iustitiam quæ est ex lege: amplecti verò eam iustitiam quæ est ex fide Christi: quæ iustitia ex Deo est, hoc est, quam dono spiritus à Deo accepit, & quam ex fide per spiritum renouationis operatur. Sic sanè Apostoli sententiam interpretatus est August. Quid est, inquit, non habens meam iustitiam quæ ex lege est? cum sua non esset lex ipsa, sed Dei: nisi quia suam dixit iustitiam, quamuis ex lege esset, quia sua voluntate legem se posse putabant implere sine adiutorio gratiæ, quæ est per fidem Christi. Ideo cum dixisset: Non habens meam iustitiam quæ ex lege est: secutus adiunxit:

adiunxit: sed eam quæ est per fidem Christi quæ est ex Deo, hanc ignorabant. de quibus ait: Ignorantes Dei iustitiam, id est, quæ ex Deo est. hanc enim dat non litera occidens, sed uiuificans spiritus. & suam volentes constituere, quam dixit ipse ex lege iustitiam, cum diceret: non habens meam iustitiam quæ ex lege est, iustitiæ Dei non sunt subiecti. Et rursus alibi: Ecce, Apostolus inquit, secundum iustitiam quæ ex lege est, sine querela se fuisse. non utique mendaciter: & tamen hæc quæ illi lucra fuerūt, abijcit propter Christum, & damna ac detrimenta ac stercora existimat. non solum hæc, sed & omnia quæ supra commemorauit. Abijcit ergo illa beatus Apostolus præterita iustitiæ suæ, tanquam detrimenta & stercora, ut Christum lucrifaciat. suam ergo iustitiam noluit habere, sed proiecit ut stercora. Cur ita? nisi quia, qui ignorantes Dei iustitiam, suam volunt constituere iustitiam, iustitiæ Dei non sunt subiecti. Putant enim arbitrij sui viribus implere legem iubentem.

Iam Christiane lector cernis foedissimā Paulini dicti ad Philippenses deprauationem ab Illyrico confictam contra clarissimam mentem & intentionem ipsius Pauli: qui duplex operum genus, siue duplicem iustitiā clarissimè insinuat. Alterum, quod sit extra eminentem illam scientiam Iesu Christi, hoc est, extra fidem & gratiam Christi, proprijs viribus. Alterum, quod sit ex fide Christi, & ex Deo, hoc est, ex gratiæ

Q. iij diuiniæ

Aug. lib. 3 contra 1. epist. Pelag. cap. 7.

Attende lector.

Vide August. de verbis Apostoli Iam. 15.

diuinæ adiutorio. Et priorem illam operû iustitiâ, quæ viribus sit liberi arbitrij, sine Christianæ gratiæ adiutorio, rejicere tanquam stercorea: alteram verò studiose sectari, vt brauium superne vocationis consequi possit. Quod autè cauillatur, Paulû de præsentî & non de præterita tantum sanctitate locutum esse, eo quod dixerit: Et arbitror omnia vt stercorea: verbû illud præsentis temporis non aliud denotat quàm sententiæ constantiam, vt quod prius se dixerat sensisse de operibus præteritis in Pharisaismo factis, id & constanter in præsentî quoq; tempore sentire se testetur. sicut Augustini commentarius verissimè annotauit. Prorsus confido in Christo de Christiano lectore, quod seductori isti blasphemus non auscultabit, sed à se tanquàm pestem salutis humanæ abijciet, qui satanica arrogantiâ audet scribere, sanctissimos illos Pauli labores, quibus ab Hierusalem per circuitum vsque ad Illyricum euangelium Christi disseminauit tantis sudoribus, sollicitudinibus, & curis, stercorea esse coram Dei conspectu.

Rom. 15.

Cauillatio.

Dilutio.

Citaueram & illud Dauidis: Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis: cauillatur Illyricus, *Dauidem non dicere, aut creationem noui cordis, aut innouationem recti spiritus, esse iustificationis partem.*

Sed respondemus Illyrico, clarissimum esse, hæc orasse Dauidè dum iustificari cuperet post peccatum adulterij & homicidij commissum, ac proinde satis significare, quòd postulata iustificatio

ficatio non consisteret in sola nuda remissione grauissimorum peccatorû, verum etiam in creatione mundi cordis, hoc est, mundarum cogitationum, & in innouatione recti & iusti spiritus, hoc est, in renouatione interioris hominis & spiritus, qui deinceps rectam & iustam vitam & obedientiam Dei legibus præstaret. Iam Christiane lector iudicare potes, num scripturæ in quinta probatione nostra propositæ pro nobis, an contra nos (vt iste cauillatur) faciant.

Sexto loco citaueram locum ad Titum 3. *6. Probatio.* Non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam saluos nos fecit per lauacrû regenerationis & renouationis spiritus sancti, quæ effudit in nos ab ubi, vt iustificati gratia ipsius, heredes simus secundum spem vitæ æternæ. *Tit. 3.*

Respondet, *reuera Paulum nec dicere clarè, nec negare renouationem esse partem iustificationis: sed dicit nos gratia saluari, cõplectens prius omnia beneficia Christi, & mox singula clarius exponens: nempe prius, id quod est posterius, regenerationem ac renouationem. Postea id quod est prius, iustificationem seu absolutionem, aut remissionem peccatorum ex gratia contingentem.* *Cauillatio.*

Respondeo, Paulum clarissimè indicare, in regeneratione & renouatione spiritus sancti effusi copiose in corda credentium ipsam iustificationem consistere. Proprius enim & germanus sensus est dicti Paulini: Secundum suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrû regenerationis & renouationis spiritus sancti, vt sic iustificati, hoc est, vt per hæc iustificati,

Q. iij hære.

hæredes simus secundum spem vitæ æternæ. Nam quod iustificatio hoc loco non indicet absolutionem à peccatis propriè, hinc intelligitur, quòd regeneratio & renouatio in lauacro percepta, includat absolutionem seu remissionem peccatorum. Deinde idem ex eo manifestissimè patet, quòd absolutio à peccatis, siue remissio peccatorum, non est gratia adoptionis, qua efficiamur hæredes vitæ æternæ: sed ipsa regeneratio, qua videlicet regeneramur in filios Dei. Cû igitur perspicuum sit, quòd iustificatio hoc loco includat regenerationem, qua nouam naturam filiorum Dei accipimus, (dicit enim Paulus: vt iustificati hæredes simus vitæ æternæ) perspicuum quoq; videtur, quòd iustificatio hoc loco non sit sola remissio peccati: sed his duobus, lauacro regenerationis & renouationis consistet. Alioqui dicendum potius erat, vt regenerati & renouati gratia eius hæredes simus secundum spem vitæ æternæ.

Tandem hunc locum concludit Illyricus, sed non sine aperto mendacio. *Hæc, inquiens, sobisismata pro inhærente iustitia proposuit.* Non enim dicta testimonia pro inhærentis iustitiæ probatione adducta sunt, sed ad probandum, quod interior renouatio ac sanctificatio, atq; per spiritum sanctum donata iustitia, quam & Illyricus nobiscum confitetur, tamen si eam sinceram esse neget, à iustificationis ratione non sit excludenda.

Iam pergit Illyricus oppugnare quod scripseram:

ram: Iustificationem etiam sitam esse in bonis operibus: & propter bona opera iustos esse homines coram Deo.

Prima probatio Confutationis desumpta fuit ex loco Pauli ad Rom. 2. Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur. hoc est, factores legis iusti erunt apud Deum, vel iusti deputabuntur, vel habebuntur à Deo.

1. Probatio Confutationis. Quod bonis operibus iustif

Respondet Illyricus. *Hoc sane verissimè dici de iustitia legis, quod illi tantum in ea iustificabuntur, qui perfectissimè legem fecerint. Est enim, inquit, legis conuicio, iudeis de iustitia legis inflatis, quam tamen non præstabant, proposita. Sed Papiæ, inquit, ignari discriminis legis & euangelij, ac iustitiæ utriusque, deberent ista duo cum Paulo discernere. Qui hoc ipso distinguit iustitiam legis & fidei, quod iustitia legis perfectam obedientiam exigit. Euangelij autem tantum fidem in Iesum aut inuocationem, id est, mendicationem, dicentem: Esto mihi peccatori propitius propter filium tuum. aut: Remitte, remitte debita nostra.*

ficatur homo. Caullatio.

Respondeo, perniciosissimam hic tradi doctrinam de iustificatione per bona opera, siue de iustitia bonorum operum: similiter de discrimine iustitiæ legis, & iustitiæ fidei. Sentit enim iustitiam fidei non complecti vlla opera bona, sed in sola fide in Iesum, & inuocatione positam, id est, in mendicatione dicente: Esto mihi peccatori propitius propter filium tuum. aut: Remitte, remitte debita. Opera igitur etiam ea quæ per spiritum gratiæ fiunt, negat ad iustitiam

Dilutio.

QV fidei,

fidei, vel ad euangelium pertinere: sed dicit ea ad iustitiam legis pertinere opera, secundū quæ legis opera iustificatur quidem homo secundum legis iustitiam, sed non iustificatur simpliciter apud Deum. Nam apud Deum sola fidei iustitia iustificari affirmat homines. Factores legis iustificantur apud Deum.

Primum hanc pestilentissimā sententiam clarissime & firmissimè redarguit dictum Pauli hoc loco à nobis positum. Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur. Clarissimum enim est, illud (apud Deum) quod in priore membro positum est, repetendum in secundo quoque membro. ut sic sensus, Factores legis iustificabuntur, vel iusti erunt apud Deum. Vanissimum igitur & falsissimum est, quod hic fingit Illyricus, factores legis, qui scilicet perfectè & verè legem fecerint, iustificari tantum iustitia legis, at non iustificari apud Deū. Et antichesis illa inter auditores tantū legis, & factores legis eam intelligentiam prorsus requirit. vnde fraudulenter dictum Pauli citat: Non auditores legis, sed factores iustificabuntur. exclusā in utroque membro particula, (apud Deum) ut suo cōmento locus esse possit.

Deinde quod ad discrimen legis & euangelij, siue iustitiæ legis & iustitiæ fidei attinet, perniciose labitur, & explicationem doctrinæ Pauli adfert, Pauli intentioni prorsus contrariā. Itaque sic scribit Paulus: Moyses scripsit, Quoniam iustitiam quæ ex lege est qui fecerit homo, viuet in

Factores legis iustificantur apud Deum.

Rom. 10.

ca.

ea. Quæ autem ex fide est iustitia, sic dicit: Ne dixeris in corde tuo, Quis ascendet in cœlum? id est Christum deducere. aut quis ascendit in abyssum? hoc est Christum à mortuis reuocare. Sed quid dicit scriptura? Prope est verbum in ore tuo, & in corde tuo, hoc est verbum fidei quod prædicamus. Quia si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, & in corde credideris, quod Deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris. Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Omnis enim quicumque inuocauerit nomen Domini, saluus erit. His verbis vult Illyricus hoc tradi discrimen inter legis iustitiam, siue iustitiam quæ est ex lege, & iustitiam fidei siue quæ ex fide est: quod iustitia legis perfectam obedientiam exigat, Euangelij autem siue fidei iustitia tantum fidem exigat in Iesum, quæ innocet Christum, & mendicet ab eo remissionem peccatorum. Verum falsissimum esse quod euangelica fides tantum fidem exigat, non autem opera. siue quod fidei iustitia constet fide tantum in Dominum Iesum, & non ex operibus ex fide factis: clarissimis verbis ipse Paulus redarguit, scribens in epistola ad Galathas: In Christo Iesu, neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides quæ per fidem operatur. Et disertè Iacobus ostendit iustitiam fidei patris Abrahami non tantum fide, sed etiam operibus constituisse. Abraham, inquit, pater noster, nonne ex operibus iustificatus est,

Discrimē inter iustitiam legis & iustitiam fidei.

Galat. 5.

est, offerens Isaac filium suum super altare? Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus fides consummata est. & suppleta est scriptura, dicens: Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam. vbi non tantum affirmat Apostolus, quod fides euangelica sit operatrix bonorum operum per charitatem, sed etiam quod fidei iustitia consistat in bonis operibus per fidem & gratiam euangelicam factis. Porro catholici scriptores discrimen à Paulo traditum inter iustitiam legis & iustitiam fidei rectè & verè tradit in eo positum esse, quod iustitia legis fide non constet, sed tantum obedientia legis, viribus liberi arbitrij, sine gratia & fide facta: fidei verò iustitia, gratia Christi, & spiritus sancti operatione. Itaque si quis ex lege, siue per legem adiutus, legem impleat, & iustitiam legis operetur, eum victurum non simpliciter, sed victurum in ea iustitia, sic vt comminationes transgressoribus & inobedientibus propositas euadat, eumque non iustificandum apud Deum, sed tantum apud homines. sicut de Abrahamo dixit: Abraham pater noster si ex operibus iustificatus, scilicet sine gratia Dei, per solas vires liberi arbitrij factus: hoc est, si iustitiam quæ ex lege est fecit, habet gloriam apud homines, & poenas comminatas euasit: sed non apud Deum gloriam iustitiæ habet. Qui verò viuam & sinceram fidem, quæ per charitatem bonorum operum est operatrix, credit in dominum Iesum, & inuocat

Iacobi 2.

Rom. 4.

no-

nomen eius, non solum vt per eius gratiam obtineat remissionem peccatorum, sed etiam vt per gratiæ eius adiutorium valeat iuste & sanctè viuere, eum demum iustum apud Deum & fore saluum. Sic sane Augustinus Apostoli verba interpretatus est, in libro de spiritu & litera locis quamplurimis. Hęc, inquit, sola distantia est, quia mandata bona & sancta sibi tribuebant, quæ vt possit homo facere, Deus operatur in homine per fidem Iesu Christi, qui finis est ad iustitiam omni credenti, id est, cui per spiritum incorporatus, factusque membrum eius, potest quisque, illo incrementum intrinsecus dante, operari iustitiam. & post pauca: Iustificatio ex fide impetratur. de qua scriptum est: Ne dixeris in corde tuo, quis ascendet in cœlum? hoc est Christum deducere: aut quis descendet in abyssum? hoc est Christum à mortuis reducere. Sed quid dicit scriptura? Prope te est verbum in ore tuo, & in corde tuo, hoc est verbum fidei quod prædicamus. Quia si confitearis in ore tuo quia dominus est Iesus, & credideris in corde tuo quia Deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris, in tantum iustus, in quantum saluus. Per hanc enim fidem credimus, quod etiam nos Deus à mortuis excitet: interim spiritu, vt in nouitate gratiæ eius temperanter, & iuste, & piè viuamus in hoc seculo. Fide igitur Iesu impetramus salutem, & quantum nobis inchoatur in re, & quantum perficienda expectatur. Omnis enim qui inuocauerit nomen domini, saluus erit.

Vides

Auguf. de
spir. & lit.
cap. 38.

Ioan. 19.

Vides Christiane lector, Augustinum illud Apostoli: Finis enim legis Christus ad iustitiam omni credenti: clarissimè interpretari, non tantum de remissione peccatorum per Christi nomen creditum & inuocatum obtinenda, sed etiam de iustitia temperantis & piæ vitæ. Et ipsa Apostoli sententia idem planè insinuat: Ignorantes, inquit, Dei iustitiam, & suam quærentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti. finis enim legis Christus ad iustitiam omni credenti. Christus enim finis legis non est, nisi quia per eum donatur credentibus gratia, qua legis iustitiam faciant & impleant: quam superbi iudæi putabant se sine Christo, Christi que gratia posse per suas vires præstare. vnde & in capite præcedente dixerat Paulus: Israel sectando legem iustitiæ, hoc est, conando legem suis viribus sine Christo implere, non peruenit in legem iustitiæ: non peruenit ad hoc vt præstaret legem iustitiæ, siue iustitiam legis. Vbi manifestissimum est, sermonem esse de iustitia, quæ in obseruatione legis consistit, & non tantum de iustitia, quæ in remissione peccatorum posita est. De discrimine quoque legis & Euangelij, siue iustitiæ legis & Euangelij, eruditè & copiosè disseruit Augustinus libro tertio contra duas epistolas Pelagianorum.

Satis confido Christianum lectorem perspicere, quomodo optimè inter se cohæreant: iustitia fidei, & iustitia bonorum fidei operum. imò hanc in illa plane comprehensam esse, nec vllam

Rom. 10.

Rom. 9.

Aug. lib. 3
cõr. 2. epi-
sto. Pelag.
cap. 7.

vllam induci Babylonicam confusionem bonorum operum cum Christi iustitia nobis per fidem donata, seu legis cum euangelio, ex eo quod ad iustitiam dicantur conferre opera iustificatorum per fidem facta. Et filium Dei oro, vt istum hominem potenter reprimat, ne hanc suam de operibus iustificatorum blasphemiam in spiritum sanctum doctrinam fidelibus infirmis & ineruditis instillet aut persuadeat.

Secunda probatio Confutationis constat sententia Iacobi, quæ dicit Abrahamum & Rahab ex operibus esse iustificatos.

Respondet Illyricus se posse quidem verissimè respondere, hanc epistolam à veteribus non fuisse agnitam pro Apostoli epistola: tamen nunc se malle ex Thoma respondere, qui ita supra hunc locum scribit: Abraham pater noster nõnne ex operibus iustificatus est? hoc autem, inquit, post fidem susceptam. Vnde glossa: Iustus erat, tamen per opera quæ addidit, amplius est iustificatus. quæ si non fecisset, meritum præcedentis fidei amisisset. & paulo post: Sed hoc videtur falsum quod dicit: nõnne ex operibus iustificatus est? quia ad Romanos quarto probat Paulus Abraham ex fide iustificatum esse, non ex operibus. & ibidem dicitur: Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam. Ibi glossa Augustini: Non ex operibus iustificatus est, sed ex fide.

RESPONSIO. *Apostolus & Augustinus loquuntur de operibus præcedentibus fidem, scilicet operibus legalibus, vt patet ibidem. ex quibus nullus planè iustificatus est. Hic autem loquitur de operibus sequentibus fidem, quæ dicuntur iustificare non secundum quòd*

2. Probatio Confutationis.
Cavilla-
tio Iacobi 2.

Thomas in epist. canonica Iacobi.

Tractatus loc⁹ Iacobi 2. Abraham ex operibus iustificatus est

quod iustificatio dicitur infusio iustitiæ, sed secundum quod dicitur iustitiæ exercitatio, vel ostensio, vel consummatio. Res enim dicitur fieri, quando perficitur & innoscit. Hactenus Thomas. Hic observa, inquit Illyricus, lector istam Thomisticam regulam contra Papistas: quod cum in scripturis dicimur iustificari aut saluari per opera, intelligendum sit de iustitiæ exercitatio, patefactione, aut ostensione erga homines. Sicut Abraham erga homines iustificatus est, id est, exercuit suam iustitiam, consummauit, & notam fecit: sed per hanc non habet gloriationem erga Deum, vel in iudicio Dei.

Dilatio. Respondeo, improbum calumniatorê hic suo more crimen falsi admittere. Attrexit enim cõmentario D. Thomæ sententiam, quæ in eius commentario plane non reperitur, scilicet: Sed per iustitiam non habet gloriationem apud Deum, vel in iudicio Dei. Deinde cum colligit ex commentariolo Thomæ, Thomisticam (vê vocat) regulam contra Papistas, videlicet: Quod cum in scripturis dicimur iustificari aut saluari per opera, intelligendum sit de iustitiæ exercitatio, patefactione, aut ostensione erga homines: fraudulenta vafricie consummationem seu perfectionem iustitiæ (quæ tamen clausula potissimû ad præsentem causam pertinet) supprimit & subtricit. quæmuis eam postea obiter commemorauerit. Itaque quod ad D. Thomæ commentarium in propositum Apostoli Iacobi locum attinet, est manifestissimum, quod non intellexerit Abrahamum ex operibus esse iustificatum

Thomæ
cõmentari-
us defen-
ditur.

ficatum tantum per iustitiæ exercitatioe sine conseruationem, aut etiam iustitiæ ostensionem aut patefactionem apud homines: sed vel imprimis per iustitiæ prius habitæ augmentatione, consummationem, profectum & perfectionem, idq; coram iudicio Dei. Vnde in principio cõmentarij: ex operibus iustificatus est: supple, inquit, amplius. vt dicit glossa interlinearis. & paulò post: Per opera quæ addidit, amplius est iustificatus. Et post commentarium ab Illyrico recitatum, exponens illud: ex operibus fides cõsummata est: id est, inquit, augmentata, & comprobata, & ostensa. & post pauca: Et reputatum est ei ad iustitiam: scilicet, inquit, maiorem. & rursus: Vides ergo quoniam ex operibus homo iustificatur: id est, magis iustus efficitur, & in iustitiâ consummatur. Ex quibus euidentissimum est, quod sententiam Iacobi: Abraham ex operibus iustificatus est, & non ex fide tantum: Thomas intellexerit de augmèratione, perfectione, profectu & consummatione iustitiæ coram Deo, & non tantum de ostensione, aut patefactione coram hominibus. Porro quod ea sit vera Iacobi sententiæ intelligentia, id ex ipsis sententiæ circumstantijs clarissimè demonstrari potest, & ex ipsa cõclusionè: Vides, inquit, quoniam fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus fides consummata est, & impleta est scriptura, dicens: Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam, & amicus Dei appellatus est. Quibus verbis Iacob⁹ clarissimè explicat quod

*Demon-
stratur
quod au-
thore Iac-
obo ho-
mo per o-
pera ve-
rè coram
Deo ius-
tificatur.*

R. dixit.

dixerat: Abraham pater noster nonne ex operibus iustificatus est, offerens Isaac filiū suum super altate? dicens Abraham iustificatū esse per heroicam illam obedientiam: quoniā fides cooperās heroico illi facto, perfecta & consummata est. Quod, vt etiā D. Thomas interpretatus est, nihil est aliud, quā iustitiā fidei factam esse auctiorē & maiorē. sicut & ipse Iacobus cōcludit, scripturam illā impletam esse, hoc est, plenius & consummatius verificatā esse: Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiā. Sicut igitur cū primū crederet Deo, fides eius reputata est ad iustitiam coram Deo: ita etiam cū ex operibus amplius adimpleretur eadē scriptura, perspicuum est ad iudicium Dei referendum esse, & non tantum ad ostensionē vel declarationē, vel patefactionem apud homines. Verum quidē est, quod opera Abrahami iam prius iustificati verē apud homines ostendebant eius fidē non fuisse inanē & mortuā: sed præter hoc quod hoc declarabant, dicit Apostolus, quod eū verē iustificabant apud Deū, dū affirmat, quod quia cooperante fide fiebant, perficiebant iustitiā priorem. quia adimplebant & consummabant scripturā, dicentem: Credidit Abraham Deo, & reputatū est ei ad iustitiam. Ex quo etiam euidentissimē patet, quod sicut superiore capite diximus, iustitia fidei comprehendit bona opera ex fide facta. Videat pius & studiosus lector explanationes Augustini in locū Iacobi. Quas cū Illyricus sibi contrarias nō ignoraret, fraudulēter ad Thomę

Aug. lib. 3. quæst. De fide & operibus in Psal. 31.

com-

commentarium cōfugit, quem videbat se posse facilius deprauare. Sed stat eius quoque commentarius firmus & immotus pro veritate, aduersus mēdacia & cauillationes Illyrici. Postremò, quod cauillatur Glossam ordinariā dicere, Abraham esse iustificatum sine operibus, sola fide, sed tamē oblationē filij, fuisse testimonium fidei ac iustitiæ: Respondemus hoc verissimum esse quod dicit Glossa: Oblationē illam heroicam filij vnigeniti, fuisse testimonium fidei non vulgaris: sed ex eo consequens non est, Glossam non sensisse eum ex eiusmodi opere non fuisse vere iustificatum coram Deo. cū clarissimis verbis in eodem commentario dixerit: Per opera quæ fidem sequuntur, amplius iustificari homines. Verū nihil pēsi habet Illyricus quid dicat, modò imponere possit inerudito lectori.

In tertia probatione Cōfutationis citaueram locum, 1. Timoth. 4. Attende tibi & doctrinę, insta in illis. hoc enim faciens, te ipsum saluum facies, & illos qui te audiunt.

Hic exclamat Illyricus. O impiā audaciam peruertendi vias Domini. Num igitur Timotheus fuit saluator auditorum suorum? Videt hic manifestè verbum, saluari, dici de qualicunq; occasione promouende salutis auditorum per piās admonitiones: & tamen vult inde inferre, nos per opera saluari. An non est hoc fœdissimē, scientemq; abuti oraculis Dei?

Respondeo tibi scelerate calumniator, perspicuum prorsus esse ex admonitiuncula quam adieci, (Vides propter opus hominē saluū fieri)

R ij meam

Expositio glossæ ordinariæ desinitur.

3. Probatio cōfutationis.

Cauillatio. 1. Tim. 4.

Dilatatio.

meam probationē non esse referendam ad auditores Timothei, sed propriē ad ipsum Timotheum, quem illa Pauli verba: per opus huiusmodi ministerij: significant saluū fieri posse. Et obsecro te o bone, cum Apostolus disertis verbis adhortetur Philippenses, vt cum timore & tremore suam salutē operentur: scilicet per vitæ iustæ puritatem & sanctimoniam, quid verat affirmare, quod Timotheus sedulo opere sui ministerij euangelici seipsum saluū facere possit? Scribit enim Ezechiel: Si auerterit se impius ab impietate sua quā operatus est, & fecerit iudiciū & iustitiam, ipse animam suā viuificabit. Si impium non est dicere, quod impius per pœnitentiā quam agit, viuificat animam suam: cur sit impiū dicere, Timotheū fidei ministerij sui operē saluū seipsum facere? Quo sanē significatur, quod opus ipsum ministerij sit iustū & Deo acceptū, quodq; propter opus illud apud Deum iustificetur. Non igitur oraculis Dei abutimur, sed secundum oraculum Dei, de iustificatione per opera apud Deū, verissimā sententiā tradimus: cum econtrario diuina oracula tu peruertas fecidissimē, ad docendum, quod opera quæ in Deo facta sunt, quæ fructus sunt spiritus sancti, quæ sunt quoque palmitum in Christo manentium fructus. de quibus ipse Christus pronunciauit: Ego sum vitis, vos palmites. qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: nihil cōducāt ad salutē & iustitiam æternā, quin potius peccata sint, & immunditiæ in conspectu Dei.

Philip. 2.

Ezech. 18.

Io. 15.

In

In quarta probatione Cōfutationis citauerā locū Pauli: Reposita est mihi corona iustitię, quā reddet mihi Dominus in die illa iustus iudex. Respondet Illyricus: *Eum locū hoc quidem docere posse, Deum remunerare piorum opera, sed nō per ea illos in seuro Dei iudicio iustificari ac saluari.*

Hanc Illyrici cauillationem ipse Pauli textus perspicuē excludit, dum sibi paratam coronam, vocat coronā iustitię, hoc est, quā remuneranda sit eius apud Deum iustitia. Et obsecro te pie lector, an non coronam propositam certantibus in vinea domini, & iustitię siue iustæ vitæ promissam, scriptura intelligit vitam æternam, siue salutem æternam? Certè Paulus clarissimis verbis dicit: Nunc liberati à peccato, serui autē facti Deo, habetis fructū vestrū in sanctificationem: sinem verò, scilicet sanctificationis vestræ, vitam æternam. Et pro operibus misericordiæ Christus in iudicio retribuet, quid, nisi vitam siue salutem æternā? Ex quibus necessariò consequitur, quod opera Pauli, & quorūlibet piorum conferant ad iustitiā, & salutem apud Deū. quod vel obstrepentibus portis inferorum, difertissimē testatur & affirmat diuus Iacobus, dicens: quod factor operis beatus erit & iustus in facto suo apud Deum. De testimonio autē illo Esaiæ, Omnes iustitiæ nostræ, sunt tanquā pannus menstruatæ: postea differendum erit. Perfecto non caret summa blasphemia, affirmare, quod pro immunditijs suis à iusto iudice Deo tã confidenter Paulus coronam expectet. Quam

4. Probatio confutationis.

2. Tim. 4. Cauillationo.

Dilutio.

Rom. 6.

Matth. 25

Iacobi 1.

Esaiæ 64.

R iij blasphem-

blasphemiam aduersarij, horrendo Dei iudicio in reprobum sensum detrusi, tam cōtumaciter tuentur, vt semel falso persuasam doctrinam de imputatiua iustitia, contēpra Catholicæ ecclesiæ doctrina, defendere ac retinere possint.

5. Probatio confirmationis.
Rom. 2.

In confirmationē probationis quintę addideram & alia duo dicta Pauli: Pax omni operanti bonū. & : Reddet vniciq; secundū opera sua.

Respondet Illyricus, quod illa dicta ad legis doctrinam pertinent, quam dispensat & corrigit euangelium. Sed quæ obsecro hæc est sermonis prophana nouitas? legem & euangelium sibi aduersari, & euangelium corrigere sententias legis? Has profanas uocum nouitates olim in Manichæis dānauit ecclesia. Sed dicens dispensari legem per euangelium, separat suam causam à Manichæis. Sed quid tandem est, legem dispēsari per euangelium? Opinor hoc significare uelle Illyricum, quod seueritas legis, quæ perfectissimam obedientiam requirit, in euāgelio mitigetur: in quo propter fidem, reputetur pro iustitia ea impletio legis, quæ legi non satisfacit, quodque iustitia legis ad euangelij iustitiā non pertineat. Sed de hoc prodigiolo errore paulò superius dictū est.

Ephes. 2.

Addideram & locum ad Ephesios: Gratia saluati estis per fidem, & hoc non ex uobis. Dei enim donum est. non ex operibus, vt ne quis gloriatur. Ipsi enim sumus factura, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quę præparauit Deus, vt in illis ambulemus.

Cauillatur Illyricus. Hoc loco, inquit, iste factus
fuit

simè abutitur. Clare enim excludit nos ac nostra bona opera, omnia soli gratiæ ac dono Dei tribuens, & demum bona opera, vt fructus & effectus iustificationis requirēs.

Aduersus hanc calumniam iam satis ostendimus fructus veros & effectus interioris illius renouationis & iustificationis, ad iustificationem vitæ pertinere, & esse veram iustitiam coram conspectu Dei. Ad quam sententiam probandam, probationes adductæ referendæ sunt, vt ex iplo capitis huius initio cōstat. quod sic ipse cauillator conscripsit: Quod iustificatio sit etiam in bonis operibus. Hoc autem statu quæstionis fraudulenter dissimulato, tractat testimonium hoc adductum ex epistola ad Ephesios, quasi à me adductū esset, ad probandum, quod in ipso exordio iustificationis impij opera bona includerentur. Hoc itaq; quod probandum erat, uidelicet in operibus bonis iustificationis etiam consistere iustitiam & iustificationem corā Deo, hoc est, per opera bona iustificatos, apud Deum iustificari, & non per fidem tantū solidè probat adductum testimonium Pauli: Iustificatos esse creatos à Deo ad bona opera, quæ præparauit Deus vt in illis ambulent, & magis, magisque Deo placere & approbari studeant. quod nihil aliud est, quàm apud Deū iustificari, & amplius in iustitia proficere.

Postremò, adduxerā ad confirmationē probationis quintæ sententiā potentissimā Augustini: Ex operibus quę sunt per gratiā Dei, iustificati sunt homines, iustificatur & iustificabūtur.

Aug. lib. 3.
hypogno.

Auguf. de
fide & o-
per. ca. 14.
& epift.
120. ca. 10.

Huic ſententiæ opponit Illyricus aliam Au-
guſtini ſententiã: *Bona opera ſequuntur iuſtificatum,*
& *non præcedunt iuſtificadum.* Aug. de fide & operibus
cap. 14. & epift. 120. cap. 10. At hoc eſt quod nos
contédimus probare: Opera bona quę ſequun-
tur iuſtificatum, iuſtificare quoque apud Deum.
Nam hoc eſt, quod ſententia Auguſtini à nobis
adducta habet: Ex operibus quę ſunt per gra-
tiam Dei, hoc eſt, quę ſequuntur iuſtificatos,
iuſtificari homines. De operibus verò pœnitentia-
rũ, quibus ex fide factis diſponitur & præpara-
tur credens, vt reconcilietur, & iuſtificetur, ac
renouetur, nihil hic dictum eſt à nobis, quia de
ijs Confefſio apertam quæſtionem non mouit.

Post defenſas noſtras probationes aduerſus
ſophiſticas & inanes Illyrici ſuggillationes, de-
fendendæ quoque ſunt confutationes noſtræ
argumentorum Confefſionis, quibus probare
ſtudet, à iuſtificatione coram Deo excludi om-
nia opera, quamlibet iuſta, bona, & ſancta ſint.

Primum argumentũ Confefſionis fuit, quod
Paulus Abrahami ipſius opera excludit ex iu-
ſtificatione coram Deo.

Reſponderam ibi excludi tantum opera, quę
viribus liberi arbitrii ſunt, ſine Chriſto, & ſine
fide in Chriſtum, & ſine adiutorio gratiæ Dei:
neque affirmare Paulum quod ex operibus hu-
iuſmodi Abrahamus ſit iuſtificatus, ac proinde
gloriam tantum habuerit apud homines: ſed
hoc tantũ dicere Iudæis de ipſorum Patriarcha.
Si ex operibus eiufmodi, quę ipſi Iudæi iactita-
bant,

1. Argu-
mentum
Confefſio-
nis.
Rom. 4.

bant, & in quibus confidebant, iuſtificatus eſſet,
gloriam non habuiſſe eum apud Deum, ſed
tantum apud homines.

Objicit contra hanc reſponſionem Illyricus. *Cauilla-
tio confe-
tationis.
1. argum.
Confefſ.
Sophiſtica
ratiõ
nes Illy-
rici.*
Quod reſponderã, me non probaſſe: & contra-
rium ipſe demonſtrare contendit ratiunculis a-
liquot ſophiſticis.

1. *Nam ante fidem fuit idololatra. quomodo ergo potuit
per ſuas idololatrias, vel coram Deo, vel coram homini-
bus intelligentibus iuſtificari?* At in confutatione
noſtra hæc cauillatio ſatis confutata eſt, vbi di-
ctum eſt: Paulum non aſſerere quod Abraha-
mus ex operibus iuſtificatus ſit coram Deo, vel
coram hominibus: ſed hoc tantum aſſerere: Si
vel Abraham patriarcha operibus aliquibus
proprijs ſine Chriſto iuſtificatus eſſet, vt Iudæi
iactabant, eum non habiturum fuiſſe gloriam
apud Deum, ſed tantum apud homines.

2. *Quia paulo ante ſimpliciter omnia opera, & omnem
gloriationem hominum excludit, & omnes facit reos Deo,
tum ſummos, tum inſimos.* Reſponſio.

Maniſteſtiſſimum eſt in capite tertio Paulum
ipſos Iudæos, vel ex ipſius legis testimonijs, ſi-
mul cum gentibus reos facere non obſeruata-
legis: ac potiſſimum intentionem dirigere ad
ſuperbos Iudæos, qui in lege, & legis operibus
gloriabantur aduerſus gentes: cum tamen le-
gem ipſis peculiariter datam minimè obſer-
uarent. Excludit ergo Apoſtolus omnem illam
gloriationem Iudæorum, oſtendens eam pror-
lus vanam & inanem eſſe, duplici nomine: tum
R v quod

Rom. 3.

quod ipsi legem, de qua gloriabantur, non obseruabant: tum quia etiam si eam aliquo modo obseruare curassent, eiusmodi tamen opera apud Deum eos iustificare non potuissent. Quia ex operibus, inquit, legis nemo iustificari potest apud Deum: sed tantum per fidem in propitiatoris Iesu sanguinem. Non igitur ea opera excludit, quæ fides in propitiatorem per dilectionem operatur, quin per talem fidem disertè dicit Abrahamum esse iustificatum.

3 Dicit Paulus, inquit Illyricus, ipsum patrem Abrahamum nihil per sua opera inuenisse, nec laudem iustitiæ coram Deo consecutum. Non ait: Abrahamus, antequam esset conuersus, & factus pater credentiũ, non est iustificatus: sed loquitur de Abrahamo iam facto patre fideiũ.

Responsio. Loquitur quidem Paulus de Abrahamo, qui tum pater erat fidelium, sed Iudæos, qui gloriabantur de patriarcha suo, interrogat, quid existiment carnalem suæ gentis patrem inuenisse, seu consecutum esse. Num existiment illum suis operibus, absque Christo, seu fide in Christum mediatorem, iustificatum esse? Et respondet Iudæis: Si ex operibus suis iustificatus secundum eorum opinionem sit, eum non habere gloriam apud Deum, sed tantum apud homines. Ex quo statim concludit, quia scriptura clarè dicit, eum iustificationis gloriam habuisse apud Deum sine fide & sine Christo, per opera propria ne tantum quidem patriarcham potuisse iustificari coram Deo.

Quarta ratiuncula: *Etiam eo excluduntur ex ipsius iustitiæ*

iustitiæ omnia bona opera, quod eam collocat tantum in remissione, contetione, & non imputatione peccatorum. Hanc cauillatiunculam supra satis copiose refutauimus in refutatione nonæ & decimæ probationis primæ sententiæ Confessionis. Et Augustinus exponens sententiam Apostoli: Credenti impio fides reputatur ad iustitiam: disertè dicit, fidem imputari ad iustitiam, hoc esse credentem propter fidem synceram, quæ videlicet per dilectionem operatur, esse apud Deum iustum. Porro fides illa sincera, qua Abraham Deo credidit, cum fuerit per dilectionem operans, non excludit, sed prorsus includit opera bona fidei.

Postrema ratiuncula sophistica: *Quin etiã excludit Paulus ex iustificatiõe ea Abrahami opera, quæ postea tempore circũcisionis fecit, vt clarè, inquit, ex textu apparet.*

Respondeo id nusquam in textu apparere. Quin potius scripturæ illud testimonium à Paulo ex Mose citatum: Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiã: Apostolus Iacobus clarè scribit impletum esse, quando ex fide patriarcha filiũ suum Isaac parabat promptissima obedientia immolare. Et sane fides sincera Abrahamæ, vt modo dictũ est, quæ ei deputata est ad iustitiã, opera bona includebat. Dicit quidẽ Paulus: Quod fides sit Abrahamæ imputata ad iustitiã, non in circũcisione, non vt rejiciat opera facta in circũcisione à iustificatione corã Deo (nã præclarũ illud & heroicũ obediẽtię opus fecit, postquã circũcisus esset) sed vt Iudæis, qui de circũcisione gloriabatur, quasi operi illi diuinitus populo

August. in
Psal. 31.

Gen. 15.

Gene. 17.
Ibid. 22.

Isra-

*Quod à
iustificac
tione corā
Deo ex
cludatur
sola ope
ra q̄ sūt
sine adiu
torio gra
tia Chris
ti.*

*August.in
Psal. 32.*

*August.in
Psal. 31.*

Israelitico præscripto iustificatio tribuenda esset potius quàm fidei in Christum, eam existimationem eximeret, & eis Christi fidem commendaret, ut per eam, non per suam illam circumcisionem, iustificationem apud Deum quærent.

Confutatis hisce sophisticis ratiunculis, id restat ut probemus, Paulum à iustificatione excluderet tantum ea opera quæ sine Christo fiunt. Quod quanquam ex eo satis probatum putat Augustinus, quod fides quæ deputatur ad iustitiam, coram Deo est fides per dilectionem operans, copiosius tamen demonstramus.

Considerandum est igitur, quod Apostolus in epistola ad Rom. ex professo agat aduersus eos, qui operibus per proprias vires factis sine Christo, seu gratia Christi, posse se iustificari apud Deum credebant. Qua in re Iudæi se Gentibus anteponebant, eo nomine, quod præ gentibus legem à Deo accepissent, per quam tenebant quid Deus fieri ab ipsis vellet. De gentibus inquit Augustinus: Multi gloriantur de operibus, & inuenis multos Paganos propterea nolle fieri Christianos, quia quasi sibi sufficiunt de bona vita sua. Bene viuere opus est, ait, quid mihi præcepturus est Christus ut bene viuam? Iam bene viuo, quid mihi necessarius est Christus? Nullum homicidium, nullum furtū, nullam rapinam facio, res alienas non concupisco, nullo adulterio contaminor. nam inueniatur in vita me aliquid quod reprehendatur: & qui reprehenderit, faciat Christianum. habet hinc gloriam,

riam, sed non apud Deum. De Iudæis porro dicit ipse Apostolus: Israel sectando legem iustitiæ, in legem iustitiæ non peruenit. Quare? quia non ex fide, sed quasi ex operibus. Ignorantes enim Dei iustitiam, & suam quærentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti. Finis enim legis est Christus ad salutem omni credenti. Horum igitur utrosq; tam Iudæos quàm gentes Paulus conuincit proprijs suis viribus legi Dei non satisfecisse: sed omnes sub peccato esse, & egere gloria Dei, quia per eius gratiam, cum sint impij & transgressores legis, gratis iustificentur. Quod ubi demonstrauit, conclusionem infert, quæ docet rationem, qua qui per sua opera iustificari non possunt apud Deum, possint iustificari. Arbitramur, inquit, hominem, tam ethnicum, quàm Iudæū iustificari per fidem sine operibus.

*Rom 9.
& 10.*

Ex quibus perspicuum plane est, quidd opera, ex quibus negat hominem iustificari posse apud Deum, ea intelligat, quæ sine Christo, Christi quæ gratia, propriarum virium potestate & facultate faciunt homines. Porro hanc principalem suam propositionem in capite quarto, exemplo Abrahami patriarchæ, quem Iudæi vnicè colebant, comprobat. Si Abraham, ille videlicet patriarcha vester, ex operibus scilicet sine Christo factis iustificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum. Sed quid dicit Scriptura? Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam. hoc est, ex ipsa scriptura manifestum est, quod habuit laudem & gloriam iustificationis apud Deum.

Deum. Non igitur existimandum est, quod ex operibus iustificatus est, quia ea quæ ex operibus est iustificatio, tantum apud homines, & non apud Deum gloriam habet. Vbi luce meridiana clarius est, opera ea tantum intelligi, quæ ante fidem facta sunt, & ante iustificationem: nequaquam autem ea opera, quæ iustificatus per spiritum renouationis, & per gratiam Christi operatur, quæque fides per charitatem operans, operatur. quam fidem solam valere in Christo Iesu dicit Apostolus. Quod ex eo quoque apparet clarè, quod mox Apostolus in sententijs subiunctis, operantem credenti, seu opus fidei per antithesin opponit, dicens: Ei qui operatur, merces non imputatur secundum gratiã, sed secundum debitum. Ei verò qui non operatur, credenti autem in eum qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam. Quas sententias eruditissimus Augustinus interpretatur: Ei qui operatur: id est, de operibus præsumens, videlicet tanquam suis viribus factis, eorum merito dicens sibi datam esse gratiam fidei, vel se iustificatum esse, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. Credenti autem in eum qui iustificat impium, deputatur fides ad iustitiam, sed quæ est fidei, quã bona opera non præcesserunt, sed sequuntur. Ex his igitur manifestissimũ est, interpretare quoque Augustino, quòd quando Paulus proposuit Abrahamum iam renouatũ, & ornatum multis bonis operibus, tãquam exemplar vniuersale

Galat. 5.

Rom. 4.

August. in
Psal. 31.

uersale iustificationis coram Deo, nõ respexerit in opera eius iusta, quæ iam conuersus, & per fidem iustificatus operatus erat, dum dixit: Si Abraham ex operibus iustificatus habet gloriã, sed non apud Deum, sed tantum in opera sine Christo, seu sine fide in Christum facta: qualia iactitabãt carnales & superbi Iudæi ante Christi prædicationem: præclara & eximia extitisse in Abrahamo, quæ illi per facultatem naturalium virium eius, sine Christi gratia, facta esse existimabant.

Secundum argumentũ Confessionis fuit de-
sumptũ ex scriptura: Nihil mihi conscius sum,
sed non in hoc iustificatus sum.

Responderã perperam accipi sententiã Apostoli. non enim sensum esse, In hoc ipsum iustificatum non fuisse, si bona conscientia, & ex synceritate, sicut ex Deo coram Deo verbum Christi dispensaret: sed sensum esse, quod non ob hoc se iustificatũ auderet dicere, & pronunciare corã Deo, quòd nullius culpæ sibi in ministerio Euangelij conscius esset. Quamuis enim sibi nullius culpæ conscius esset, non tamen audere iudicare seipsum, videlicet quod fideliter semper ministerium suũ obijisset: sed tum demũ se verè iustificatum coram Deo fore, si Deus illum iudicaret syncerè & fideliter obiisse suum ministerium. Ex quo conclusi contrarium eius, quod in argumẽto concludebatur: nempe, propter ministerium rectè obitum, iudice Deo, iustificari ministrum coram Deo.

2. Argumentum
confessionis,
cõtra
iustificationẽ
per
opera.

Hic

Canilla Hic exclamat nefarius calumniator & mēdax:
Illud (in hoc) aut (per hoc) iste prava & nova interpretatiōe refert ad id quod prius antecessit (non meipsum iudico) non ad id quod proxime antecessit, nempe (nihil sibi conscius esse) cūm pronomē (hoc) testantibus omnibus grammaticis soleat monstrare id quod proxime antecessit.

Dilutio. Respondeo, putidissimum & apertissimum mendaciū esse, quod pronomē, hoc, aliō retulerim, quā ad id quod proximē antecesserat, (Nullius mihi conscius sum.) ex ipso commentariolo constare potest, in quo scripsi, non ob hoc iustificatum eum fuisse, quod bona conscientia ministerium suum obiisset: quod nihil aliud est, quā non ob hoc iustificatum eum fuisse, quod nullius culpæ aut negligentiae sibi conscius esset, in suo ministerio. fieri enim potuisse, ut negligentiam aliquam admisisset, cuius conscientia eius conscia non esset. Et quia hoc fieri potuisset, iudice Deo, ipso autem non conscio: ideo eum dixisse, Sed nec meipsum iudico. Quia etiam si nullius negligentiae mihi conscius sim, tamē non in hoc audeo iudicare me iustificatum corā Deo, qui videre potest aliquid negligentiae in corde meo, cuius ego conscius non sim. Sententiam itaque Apostoli, (nullius mihi conscius sum, sed tamen non in hoc iustificatus sum) retuli ad iudicium Pauli, quod ille cum Dei iudicio conferre non audebat. Ut sit sensus: Nullius mihi conscius sum, sed non in hoc audeo iudicare aut pronunciare me apud Deum iusti-

Tractatur
 illud Pau-
 li, Nihil
 mihi con-
 sciū sum,
 sed nō in
 hoc iustifi-
 catus sum

iustificatum esse, quoniam qui iudicat me, dominus est, qui meipsum totum cognitū habet: & si quid est à me commissum negligentiae, prorsus perspectū habet. Et ex eo rectē contra Confessionem intuli: Quod si iudice Deo minister euangelij fideliter semper & sedulō suū officium peregisset, eum ob hoc apud Deum iustificandū esse. Atq; huius meae interpretationis approbatores & authores esse, quos ille studiose contra me producit, facillimum fuerit demonstrare.

Citat Hieronymū contra Pelagianos. Cuius verba adscribam, ut lector hominis istius calumniatoris pessimā fidem perspicere valeat. Mirē, inquit, postquam dixit: nihil mihi cōsciū sum, sed nō in hoc iustificatus: adiecit, nec meipsum iudico. Qui hoc dicebat, nullius utique peccati sibi conscius erat: sed quia legerat: Delicta quis intelligit? idcirco temperabat sententiam, ne fortē per ignorantiam deliquisset. Quam obsecro sententiā temperasse Paulum scribit Hieronymus, nisi eam, qua se pronunciaisset & iudicasset iustificatum, ob hoc quod sibi nullius delicti conscius esset? Vides lector Hieronymum Pauli sententiam accepisse, sicut & nos: Nullius quidem mihi conscius sum, sed non ob hoc audeo iudicare, quod iustificatus sum.

Citat glossam interlinearem, quod illa referat illud, (in hoc) aut (per hoc) ad proximē precedentia: nihil mihi sum conscius. Sed quis in eo illi resistit? Sed cur dissimulat id quod mox addit Glossa: Non ideo me iustū puto, hoc est, iudico,

Hieron.
 lib. 1. con-
 tra Pelag.

Glossa
 interlin-
 nearis.

iudico, quia potest esse quod nescio. delicta enim quis intelligit? Vides glossam quoq; interpretari, Nec in hoc iustificatus sum, hoc esse, non meipsum puto aut iudico iustificatum, ob hoc quod nihil mihi conscius sum.

*Gagneus
Parisi⁹
doctor.*

Cirat & Parisinum Theologum Gagneum, cuius interpretatio prorsus ei aduersatur. Nulli, interpretatur ille, culpæ mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum. fieri enim potest, ut nullius mihi culpæ sim conscius, aliqua tamen peccata lateant. Vides lector, doctorem illum non existimare ideo Paulum non iustificatum esse apud Deum, quòd omnia sui ministerij officia, peccata essent: sed quia incertus erat, an aliqua negligentia in officio commissa esset, quæ eum lateret. Refert ergo & ipse sententiam Pauli, ad diiudicationem Pauli de seipso. Sed cõsideret hic obsecro lector iterum malitiosam istius hominis fraudulentiam. Cùm enim recitasset commentariũ doctissimi doctoris Gagnei usq; ad eum locum: ergo cùm iustificatum esse, & esse in gratia, idem sint, adscripsit (& cætera) quæ sequuntur sceleratissime subticens, quæ meam expositionem planè comprobant. sequuntur enim hæc in commentario: Miror quorundam errorem, alioqui non imperitorum, qui dicant peccatũ esse, si quis ambigat se iustificatum esse in gratia, cùm Paulus nullius sibi criminis conscius id sibi polliceri non audeat. An non hic aperte illud (non in hoc iustificatus sum) Gagneus interpretatur: ego non audeo mihi polli-

polliceri, hoc est, nõ audeo de me iudicare, quod iustificatus sum: at interim rem totã diiudicandam Deo committo, apud quem tum demum iustificatus ero, si ille in me nihil culpæ inuenierit, quæ me possit latere. Hactenus Gagneus. Sed alio quoque consilio truncauit & abrupte sententiam, quod videret in ea iugulari dogma de certitudine iustificationis. quod ipse cum suis contra apertissimam Pauli sententiam tueretur, ut acutè & rectè annotauit & animaduertit Gagneus. Pespice quæso lector istius hominis bonam fidem.

Cirat & beatum Haymonem. sed interpretationem eius in commentario epistolæ ad Corinthios non citat, aut sanè peruertit. Sic enim habet Haymo in Commentario eius epistolæ: Nihil mihi conscius sum: nullius utique peccati sibi conscius erat, sed quia legerat: delicta quis intelligit: sententiam temperauit, ne fortè per ignorantiam deliquisset. & addidit: sed non in hoc iustificatus sum. Vidēs enim quia ei ad perfectionem sanctitatis nec suum iudicium sufficeret, ait non se in hoc iustificatũ. Cur verò non sibi metipso de se credebat? causam reddidit, cùm subiunxit: qui autem me iudicat, dominus est. ac si aperte diceret: Nec meo de me iudicio credendũ existimo, quia ille iudicat me, cuius ego iudicium non comprehendo. ab eo enim qui me iudicat, examinari me subtiliter scio. Rectè enim egissè me recolo, sed tamen de meritis non præsumo: quia ad eius examen vita nostra

*Haymo
in epist.
ad Cor.*

ducitur, sub quo & virtutes nostræ trepidant. Nec ego, nec vos me iudicatis, sed qui me iudicat, dominus est, qui sine hæsitatione novit omnia. Nōne lector, apertissimè sententiā Pauli refert Anselmus ad iudicium, quo Paulus non audebat iudicare, quòd quamvis nullius culpæ sibi conscius esset, nullius tamen culpæ reus esset? Et expressè testatur Paulum non sensit omnia officia fuisse peccata, & à iustificatione coram Deo exclusā: sed tantum sollicitum fuisse, ne inter officia plurima rectè obita aliquid negligentiæ vel peccati intercurreret. Et qua fronte obsecro Paulus ausus fuisset scribere: Nullius se culpæ aut delicti conscius sibi fuisse, si agnovisset omnia sua facta, peccata fuisse, quæ ignoscere misericordia opus haberent?

Inuita ratio.

Thomas in epistola priorè ad Corin.

Postremò, citat & Thomæ expositionem, quam tamen non ascribit, quia videt eam suæ fraudulentæ contrariam. Ea sic habet: Nihil mihi conscius sum, id est, non habeo peccati alicuius mortalis conscientiam, secundum illud Iob 27. Neque reprehendit me cor meum in omni vita mea, sed non in hoc iustificatus sum: id est, non sufficit ad hoc quod me iustum pronunciem, quia possunt aliqua peccata in me latere, quæ ignoro: secundum illud Psalmi: Delicta quis intelligit? Qui autem iudicat me, dominus est, id est, ad solum Deum pertinet iudicare vtrum fidelis sim minister, an non, &c.

Ex Thomæ igitur explicatione, sicut & aliorum authorum modò recitatorum cōmentarijs, per-

perspicuum iam prorsus cuilibet arbitror, sententiæ Pauli hunc esse germanum sensum: Non ob hoc audeo iudicare aut pronunciare me iustificatum esse apud Deum, quod nullius culpæ aut negligentæ mihi conscius sim. Possè enim fieri, vt iudex cordiū scrutator Deus videat in me aliquid culpæ, quod ipse ego non videam. Ex quo sensu à me clarissimè in Confutatione transcripto, euidenter sequitur, neque Pauli omnia officia peccata esse, quin potius pleraque bona esse & sancta: cum tantum de latentibus quibusdam delictis & culpis sollicitus esset. Et si Deus eum iudicaret rectè obijisse suum ministerium, tum demum eum verè iustificandum fuisse coram Deo. Hæc cum ita se habeant, certis clarissimè lector Christiane, mendacissimè & sceleratissimè scripsisse bonum istum virum, me peruertisse prava & noua interpretatione textum Apostoli, & cum recepta expositione Catholicorum scriptorum pugnare.

Bernard. epist. 42. ad Henricum Senonè episc.

In confirmationem secundi argumenti adduxerat Confessio sententiæ Pauli: Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta, vt Christum lucrifaciam. »

August. in Psal. 41. »

Responderam, Apostolum hoc non de omnibus suis operibus scripsisse, sed tantum de ijs, quæ sub lege positus, & adhuc à Christo alienus, imo Christum persequens, operatus erat. Non enim habuisse, vt reiectamenta & stercorea foetida, ea opera, pro quibus coronā vitæ æternæ, idq; ex iustitia sibi deberi, alibi cōfidenter dicit.

Philip. 3. »

Cauillatio. Cauillatur Illyricus. *Corruptit etiam, inquit, dictum ad Philippenses 3. ubi Paulus dicit se negligere suam iustitiam, ut modo Christi iustitia potiri queat. exponit enim de iustitia in Pharisaismo: at Paulus loquitur non solum de iustitia operum praeferita in Pharisaismo, sed etiam de praesenti ac futura, ut paulo ante in quinta eius probatione ostendi.*

Dilutio. Respondeo: In defensione quintae nostrae probationis nos clarissime & solidissime ex ipso etiam textu demonstrauimus, Paulum eam sententiam tantum de operibus dixisse, quae ante conuersionem ad Christum operatus fuerat.

Obiectio. Quod autem obiicit Illyricus Christum dicere, gaudere nos debere non de praeclearis operibus quae fecimus, sed quod nomina nostra scripta sunt in caelis: prorsus inane est & friuolum.

Luc. 10. Nam de quibus operibus noluerit apostolos suos gaudere, ipse disertè expressit, dicens: Veruntamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subiiciuntur: gaudete in eo quod nomina vestra scripta sunt in caelis. De operibus igitur illis, quae & malis cum bonis communia esse possunt, docet Christus non gaudendum. Verum quod de operibus bonis, quibus iusti Deo seruiunt, & quae salutem aeternam concernunt & promouent, sanctè in Deo gloriari liceat, docent capita 10. 11. 12. secundae epistolae ad Corinthios. in quibus de suis laboribus in ministerio euangelij admodum prolixè gloriatur beatus Apostolus: sed in domino. Similiter in *1. Cor. 15.* priore epistola cap. 15.

Sed

Obiectio. Luc. 17. Sed iterum obiicit Illyricus, *vel sanctissimos, cum omnia fecerint, debere dicere: Serui inutiles sumus. atque hoc idem esse cum Paulino dicto. damna & reiectamenta: quod Christus dicit, serui inutiles.*

Respondeo falsissimum esse quod eadem sint: serui inutiles, & damna siue reiectamenta, seu stercorea. Nam de seruis illis inutilibus pronunciat Christus: quod omnia fecerint. in quo sanè excluditur mandatorum violatio & transgressio, quae sola putidi stercoreis appellationem meretur. Quae verò sit vera intelligentia illius sententiae Christi: dicite, serui inutiles sumus: mox suo loco proprio ostendendum erit. Nunc satis erit, Illyrico obiicere Pauli sententiam: Si quis emundauerit se ab istis, erit vas in honore, sanctificatum & vtile Domino, ad omne opus bonum paratum. & aliam Domini sententiam: Euge serue bone & fidelis. quia super pauca fuisi fidelis, supra multa te constituam.

Scripteram fieri non posse, ut tanquam stercorea & detrimèta Paulus haberet ea opera, pro quibus coronam vitae aeternae, idè: ex iustitia, sibi deberi confidenter affirmat. *2. Timo. 2.*

Hic cauillatur Illyricus, *non dicere Paulum coronam vitae aeternae, quae merum & purum donum Dei est ob Christum: non etiam dicere ex iustitia. sed coronam iustitiae dici, quia etiam noua obedientia, quaedam iustitia est: non tamen ea qua ausi sumus intrare in iudicium cum Domino nostro. quae sola iustitia obedientiae ac passionis Christi est.* *Cauillatio.*

Priorem cauillationem excludunt scripturarum *Dilutio.*

S iij rarum

rarum apertissima testimonia, quæ docent, bonis operibus & piorum laboribus promissa esse non quævis præmia, sed disertè vitam æternam. Tobia: 12. Eleemosyna à morte liberat, & ipsa est quæ purgat peccata, & facit inuenire misericordiam, & vitam æternam. Qui elucidant me (nempe vt Paulus) vitam æternam habebunt. Quid boni faciam vt habeam vitam æternam? Et ibunt hi in ignem æternum: iusti autem in vitam æternam, scilicet propter opera misericordiae. item: Rom. 6. Habebis fructum in sanctificationem, finem verò, scilicet iustitiæ vestræ, vitam æternam. & quod maximè ad rem propositam pertinet: 1. Tim. 6. Certa bonum certamen fidei, apprehende vitam æternam, in quam vocatus es, scilicet per certaminis boni strenuos labores. Et iterum eodem loco, diuitibus huius seculi præcipe diuites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant, hoc est, consequantur per hæc bona opera vitam æternam. Marcii 10. Quisquis reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros propter me & euangelium, accipiet centies tantum, nunc in hoc tempore, & in sæculo futuro vitam æternam.

Ex his satis patere existimo, coronam, quam dicit Paulus sibi paratam pro laboribus pijs, nec sibi tantum, sed & ijs qui diligunt aduentum Domini, & ex dilectione sincera bonum operantur, esse coronam vitæ æternæ. Sicut & Iacobus

cobus Apostolus disertè dixit: Beatus qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ. Et ad angelum Smyrnenensis ecclesiæ scribit Ioannes: Esto fidelis vsq; ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Vides lector scripturam non aliam coronam promittere, quam vitæ æternæ, & ineptissimam esse cauillationem Illyrici?

Ad posteriorem cauillationem respondeo, Coronam iustitiæ, rectè interpretari coronam quam Paulus iuste meruit: Reposita est, inquit Anselmus, corona iustitiæ, id est, secreto, tutoq; loco seruetur mihi corona quam iuste merui. Et diuus Thomas: Corona, inquit, iustitiæ dicitur, quam Deus ex iustitia reddet. Et sic quoque alicubi Augustinus. Sed si non placet Illyrico ea interpretatio, certè diffiteri non poterit, quin corona ea, quam dicit reddendam sibi Paulus, reddenda sit à iudice, eoque iusto. quo clarissimè insinuat, quod ex iustitia, & non ex sola misericordia data sit, non sicut illi, dum infidelis esset, data est gratia vocationis & iustificationis. Inaniter igitur cauillatur non scriptum esse, ex iustitia: sed, coronam iustitiæ. quod ipse intelligit de iustitia nouæ obedientiæ, impuræ tamen & contaminatæ. Non enim scripseram, Paulum scripsisse, ex iustitia: sed scripseram, Paulum confidenter affirmare coronam vitæ æternæ sibi ex iustitia deberi. quod sanè verissimū est, ex eo quod scribit eam sibi reddendam à iudice iusto.

S v Quo-

Iacobi 1.

Apocal. 2.

Anselm^o.

Thomas.

Auguf. de gra. & lib. arb. cap. 6 & 7. & in Psal. 68.

Quoniam vero nihil pudet impium seductorem tā blasphemē scribere de Pauli laboribus, quos post conuersionem in ministerij euangelici functione sustinuit, quod habuerit Paulus pro reiectamentis & damnis vniuersos suos labores, etiam post conuersionem, existimauit opere præteritum me facturum, si sententiam memorabilem beati Augustini hic lectori ob oculos ponerem, ad retundendam impiam audaciā veteratoris. ea extat in libro de gratia & libero arbitrio. Apostolus Paulus, inquit, quē cerē inuenimus sine vllis meritis bonis, imò cum multis meritis malis, Dei gratiā consecutū, reddētis bona pro malis, sua iam propinquante passione scribens ad Timotheū, ista vtique iam bona sua merita cōmemorat, vt post bona merita consequatur coronā, qui post mala merita cōsecutus est gratiā. Denique superest, inquit, mihi corona iustitiæ, quā reddet mihi dominus in die illa iustus iudex. Cui redderet coronā iustus iudex, si nō donasset gratiā misericors pater? Et quomodo esset illa corona iustitiæ, nisi præcessisset gratia quæ iustificat impiū? Quomodo ista debita redderetur, nisi prius illa gratuita donaretur? Proinde cōsideremus ipsa merita, quibus dixit coronā redditurū iudicē iustū, & videamus, vtrū merita ipsius, tanquā ipsius, hoc est, ex ipso ei cōparata, an dona sint Dei. Vides Christiane lector, sanctissimū & eruditissimum patrē Pauli labores post conuersionē, habuisse non pro reiectamentis aut stercoribus, sed pro acceptissimis

Deo

August de gra. & lib. arbit. cap. 6. & 7. Insignis sententia de operibus Pauli post conuersionem cōtra impiā blasphemiam Illyrici.

Deo, & gratissimis meritis, pro quibus Deus reposuit ei secundū iustū iudicium suum coronam vitæ æternæ. Impios ergo & blasphemos istos doctores, tanquā pestē salutis tuæ æternæ, fuge & detestare. Porro Esaię locū, quē ad infamādos & lacerandos Pauli labores post conuersionem adducit Illyricus: Omnes iustitiæ nostræ sunt pānus mēstruata: suo loco inferius excutiemus.

Esaię 64.

Quia pondere testimoniorum scripturæ, quæ passim & crebrò bona reatorū & iusticatorū opera magnis laudibus celebrāt: dum ea modò iustitiā, modò fructus spiritus sancti, modo fructus palmitū in Christo manentiū, modò in deo facta esse, dumq; pro ijs ampla & præclara præmia, coronā incorruptam, coronam vitæ, coronā vitæ æternæ, hæreditatē incorruptā, incontaminatam & immarcessibilem promittunt: sentit se Illyricus grauiter premi, in hoc argumēto de iustificatione coram Deo, & præsertim de iustificatione per opera bona. Nec videt rationem qua (licet alioqui impudentissimus) possit penitus ea excludere à iustificationis ratione, quasi in eis omnino nulla pars iustificationis posita sit: callido, & haud dubiè satanico consilio comminiscitur in hoc capite quasdam distinctiones nouas & profanas: quibus aliqua saltem probabilitate apud imperitum lectorem scripturarum testimonia, quæ negare non audet, eludat, deprauet & peruertat: & etiam (si dijs placet) in suæ prauæ doctrinæ de iustificatione operum patrocinium detorqueat.

Rom. 6. Ephes. 5. Galat. 5. 1. Ioan. 15. 1. Cor. 10. Iacobi 1. Apocal. 2. 1. Timo. 6. 1. Pet. 1.

Tradit

*Distinctiones
Proprietas
ab Illyrico
calide excogitatae.*

Tradit itaque, quod scriptura divina duplex forum Dei faciat: Alterum, iudicij diuini: alterum, approbationis hominum. Quorum prius possit docendi gratia vocari forum iustificationis, posterius nouæ obedientiæ: vel prius illud, seueræ Dei iustitiæ forum: posterius autem gratiæ Dei forum. vel prius, personæ: posterius, operum: vel denique (quia in appellationibus idoneis quærendis suarum nouationum copiosus est) prius, forum iustificationis, posterius, forum approbationis. Similiter duplicem iustificationem in scriptura tradi. Alteram, veram, propriam, & primariam iustificationem in seuro Dei iudicio: alteram, iustificationem approbationis in foro gratiæ. In illo prioro foro iudicij diuini, seu foro veræ & propriæ iustificationis solam perfectissimam & mundissimam iustitiam obedientiæ & passionis filij Dei posse consistere, & ab hac iustificatione propria & vera, omni tempore, omnia opera, virtutes ac qualitates hominis, siue acquisitas, siue donatas, atque adeo etiam Pauli illa opera, pro quibus sibi coronam deberi in extremo iudicio affirmat confidenter, exclusa esse. Hanc quoque iustificationem propriam & veram, nihil aliud esse, quam, indui peccatorem nuptiali veste iustitiæ & obedientiæ Christi, per imputationem, qua hominis totius vitæ, & omnium operum iniustitia contegatur, vt imputari non possit, sed necessariò condonetur. Atque hanc esse fidei iustitiam, & Dei iustitiam in scripturis sanctis.

In po-

In posteriore verò foro gratiæ nouæ obedientiæ, vel iustificationis secundum approbationem, Deum benignissimè agere cum iustificatis, tanquam cum filijs, inchoatam obedientiam eorum, licet secundum rei veritatem labe peccati contaminatam & immundam, approbando: imo eam amplissimis laudibus ornando, & præmijs remunerando magnificis.

In hoc approbationis, siue iustitiæ secundariæ foro, nos ac nostra opera à Deo diligi in dilecto filio suo, vt eorum crebra habeatur ratio, eaque non parum laudentur. Breuiter huius doctrinæ, qua nouæ distinctiones cuduntur, hæc summa est: duplicem esse iustificationem, alteram veram, propriam & primariam, quæ consistit in sola iustitia Christi nobis imputata: altera iustificatio approbationis, qua iustitia quælibet hominis alioqui contaminata & immunda propter dilectum filium à benigno patre approbatur, tanquam vera iustitia, & laudibus ac præmijs ornatur & remuneratur.

Iam quorsum hanc duplicis fori, vel duplicis iustificationis distinctionem commentus sit, non dissimulat dum scripsit: *Quod qui rectè scripturam secare volunt, hæc duo fora iustificationis & approbationis, hoc est, veræ iustitiæ & approbatæ tantum, siue acceptatæ iustitiæ, distinguere debent: nec illa scripturæ dicta quæ ad diuersa fora pertinent, inter se nefariè commiscere. Itaque nefariè facere Papistas, dum dicta scripturæ & patrum de hac iustificatione posteriore aut approbatione agentia, trahunt ad illam priorem iustifi-*

cationem

cationem, quæ in sola obedientia Christi nostram iniustitiam contegent per imputationem consistit.

Vides Christiane lector, quorsum has distinctiones in ecclesiam induere velit, nempe ut dicta scripturarum, aut patrum testimonia de iustitia siue iustificatione operum coram Deo à Catholicis contra blasphemiam eorum doctrinam, de contaminatis omnium iustificatorum, etiam Pauli, vniuersis operibus bonis eludant, referenda ea esse diceres ad forum gratiosæ iustificationis siue approbationis: non autè ad forum illud diuinæ iustitiæ. Itaq; per bona opera apud Deum neminem iustificari vera & propria iustificatione, sed tantum secundum approbationem gratiosam Dei. ita enim expressè scribit Illyricus. *Ad hanc approbationis iustificationem referendas esse omnes celebrationes iustitiæ ac pietatis sanctorum, & deniq; omnes promissiones Dei, quibus præmia pro operibus bonis promittuntur. Singula enim & omnia, quantumlibet iustorum, opera per se esse contaminata, sed in Christo esse approbata, dilecta, & accepta, & proinde non pertinere, nisi ad forum approbationis gratiosæ.*

Matth. 25

Ut lector clarè cognoscat istud eludendarum scripturarum satanicum consilium, scripturam illam, quæ apertissimè insinuat, quod in extremo iudicio oues à dextris constitutæ propter bona opera misericordię Christi membris præstitæ, ibunt in vitam æternam: dicit esse referendam ad forum approbationis siue iustitiæ secundariæ. *Secundum hanc, inquit, approbationem, & secundariam iustificationem approbabit Christus sanctos*
in exa

in extremo iudicio, ex ea scilicet, tanquam ex fructibus illam priorem iustificationem agnoscens, & dijudicans, in qua salus nostra consistit, propter eam adiudicans oues æternæ vitæ & regno cælorum: & non proprie propter opera illa misericordię, quæ tantum pertinent ad iustitiam approbationis. Similiter secundum hanc approbationis iustitiam intelligendum dicit, quod Paulus propter gloriosum certamen, & fidelem cursum scribit se expectare coronam iustitię. Sic denique cā scripturarū quā scriptorū perspicua & solida testimonia de vera operū iustitia & iustificatione facillimū semper erit eludere.

At contra scripturarum sacrarum clarissima testimonia, has distinctiones fraudulenter excoGITatas esse, ipsæmet scripturæ potentissimè demonstrat, dum docent, Paulo pro operibus suis gloriosis coronam iustitiæ non per approbationis gratiam, sed à iusto iudice, hoc est secundum iustitiam, reddendam siue retribuendam esse. Item quod in die domini opera, quæ tanquam aurum, argentum, aut lapides prætiosi, superædificata sunt super Christum, ignem diuini iudicij sine vlllo detrimento sustinebunt. item de sancto Iob disertè pronunciant: Sermo labiorum eius, quo Deū in aduersitate rerū summa benedixit & laudauit, rectus fuit, sic ut in eo nihil peccati fuerit. rursus Petrus dicit: Fratres magis fatagite, ut per bona opera certā faciatis vocationem & electionem vestrā. hæc enim faciētes non peccabitis aliquādo. rursus: Omnis qui natus est ex Deo, peccatū non facit, quia semē ipse in ipso manet, hoc

Confutatio nouarū distinctionum Illyrici.

2. Timo. 4
1. Corin. 3.

Iob 1.

1. Pet. 1.

hoc est, quatenus ex semine gratiæ diuinæ, per quam renatus est, operatur. rursus: Omnis qui in eo manet, scilicet tanquam in vite, non peccat: quatenus videlicet in eo manet. Item Iacobus: Qui factor est operis, in facto suo, vel per factum suum, beatus erit. Falsissimum est igitur, quod tantopere contendit Illyricus, solum Christi iustitiam & obedientiam in seculo illo Dei iudicio consistere posse, & nullius quilibet sancti hominis iustitiã ullam illius seculi iudicij examen sustinere posse. Atq; in hoc grauissimè & foedissimè decipitur Illyricus: apud semetipsum sapiens, & patrũ explicationes rejiciens, quod inter duo hæc non distinguat. Non iustificandum apud Deum vllum mortalem, si cum eo Deus in illud suum seuerum iudicium ingrediatur. &: Non posse vllum opus iustum, Dei iudicium seuerum sustinere. Inter quæ eruditè distinxit Augustinus, quando scripsit, quod ipsa iustitia, qua retribuntur bona pro bonis, nõ est sine misericordia, videlicet quia persona, quæ propter bona merita coronanda est, eget propter quotidianas culpas commistas bonis meritis, ignoscente misericordia. Quibus quidem culpis gratiosè per bonitatem Dei condonatis, bona merita iustorum sustinere possunt seueritatem iudicij diuini, quo secundum iustitiam diuini iudicij coronam vitæ æternæ à iusto iudice accipient: sicut supra ostendimus Augustinum docere in libro de perfectione iustitiæ. Verissimè itaque cecinit regius propheta.

Quod

August. in
Psal. 108.

Aug. lib.
de perfe-
ctione iu-
stitiæ.

Quod si Deus intret cum seruis suis in seuerum iudicium suum, nullus viuens iustificabitur in conspectu eius: quia nullus est viuens, qui non opus habeat contra seueritatem iudicij, eius gratia, multas culpas & offensas misericorditer condonante: vt illis condonatis, per reliquam iustitiam suam possit subsistere in cõspectu eius. Causa itaq; cur nullus, quamlibet iustus, possit per opera sua iusta sustinere seueritatem iudicij diuini, non est hæc, (vt imperitissimè cauillatur Illyricus:) quod omnia iusti hominis opera tantum pertineant ad iustificationem gratiosæ approbationis, cum sint peccata: sed quia persona, quæ habet multa bona merita, non paucas quoque habeat culpas & offensas, quotidianas saltem, quæ Dei iustitiam ferre non possunt, sed opus habent ignoscente gratia. Ac verum quidem est, quod exactissimam legis suæ obedientiam seuerè exigat iustus Deus, videlicet ad minimum vsq; apicè: sed non continuè, ob transgressionem vel minimi apicis, contaminatur reliqua tota iustitia iusti hominis, vt transgressionem illa cõdonata, nõ possit cõsistere in Dei iudicio.

Quod autem cauillatur Illyricus scriptum esse: *Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis vt faciat ea*: manifestissimè est ex Paulo in epistola ad Galathas, Mosi sententiam citante, de ijs scriptum esse, qui ex operibus legis sunt: non autem de ijs qui ex fide sunt. De ijs igitur qui ex fide in Christi mediatoris propitiatorium sanguinem iustificati sunt,

T nequa-

Idem in
Psal. 108.

Deut. 27.

Galat. 3.

nequaquã dicit Paulus, quod ob leuem aliquam transgressionem maledicti sunt à Deo: sed de ijs tantum, qui de operibus legis præsumentes, Christi gratiam nõ requirunt, & secundum veritatem nullum legis mandatum in conspectu Dei syncerè faciunt. quia ex timore tantum, vel carnali cupiditate faciunt, quicquid faciunt, non autem ex sincera Dei dilectione.

Iacobi a.
Hieron.
lib. 1. cõtra
Pelag.

Similiter quod rursus cauillatur scriptũ esse: *Qui in vno deliquerit, factus est omnium reus*: Responder ei Hieronymus. Ipse locus se interpretatur. Non enim dixit, vnde cõperat disputatio: qui diuitem pauperi in honore prætulit, reus est adulterij vel homicidij (in hoc enim delirant Stoici, paria contendentes esse peccata) sed ita: Qui dixit, non mœchaberis, dixit, & non occides. Quod etsi non occidis, mœchaberis autem, factus es transgressor legis. Leuia cum leuibus, & graua cum grauib; comparatur, nec gladio dignum scelus ferula cõercendũ. Si quis igitur vel in minimo offenderit, factus quidem est transgressor legis, quæ exactissimam obedientiam vsq; ad minimum apicẽ requirit: sed nisi maiora illa mandata de nõ committendo adulterio, vel homicidio, & similia transgrediantur, non amittit vniuersam iustitiam suam.

At vero falsissimum est quod hic scribit Illyricus: *In seueno suo iudicio vera & propria illius iustificationis, iustissimũ Deum, tam exactam à nobis exigere obedientiam erga legem suã, vt sub peccati videlicet & indignationis comminatione, perfectam naturæ integritatem*

tatẽ, secundum eam suam imaginem, quã initio homini indidit, requirat. Sicut supra latis ex Aug. ostendimus in lib. de spir. & lit. & de perfect. iustitiæ.

Sed ad has commentitias distinctiones comprobandas adducit Illyricus, (si dijs placet) Augustinum in libro de perfectione iustitiæ contra Celestiũ, duplicẽ faciẽrem piorũ iustitiã & iustificationẽ: perfectã alterã, & alterã imperfectã. Bernardũ quoq; in ipsa iustificatione duplicem considerationem facientem: alterã quidem iudicij & veritatis, alterã verò fidei & pietatis.

Probatio
Illyrici.
Aug. libro
de perfect.
iust.

Bernard.
serm. 5. de
dedicatione.

Responsio. Ad has commentitias opiniones comprobandas nihil omnino pertinere sanctorum istorum sententias. Ac de Augustino quidẽ constat, quod perfectæ & imperfectæ iustificationis distinctionem lõgè alio sensu faciat, quàm Illyricus. Nam perfectã iustificationẽ retulit manifestè ad futuræ vitæ iustitiã, quæ sine omni peccati vitio peragitur. Quod, inquit, scriptum est: Quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuẽs: de hac vita sine difficili questione intelligitur. Et quod ait, nõ iustificabitur: ad illã perfectionẽ iustitiæ retulit, quæ in hac vita nõ est. Vides lector, perfectionem iustitiæ intelligi ab Augustino, eã quæ est sine admistione vllius culpæ, quæ est solius vitæ futuræ: imperfectã verò ex opposito, omnem iustitiã huius vitæ, quæ in nullo quãlibet iusto reperitur sine multis peccatis. Et alibi hãc imperfectam iustitiã huius vitæ, vocat iustitiam secundum modũ conuersationis humanæ, hoc est, secundum modũ, qui humanę

conuersationi possibilis est in mortali vita: illam
 verò perfectam vocat iustitiam, secundum illam
 perfectam regulam iustitiæ, quæ in Deo est: hoc
 est, iustitiam, quæ exactè respondet regulæ illi
 veritatis, quæ in Deo est, nullam scilicet habens
 commistam vitij aliquid aut peccati obliqui-
 tatem, prauitatem aut labem. Quam regulam
 considerans Propheta, dixit: Ne intres in iudi-
 cium cum seruo tuo, quoniam non iustificabi-
 tur in conspectu tuo omnis viuens. hoc est, nul-
 lius mortalis hominis vita ita immaculata est
 & incontaminata, vt conformis sit per omnia
 regulæ illi tuæ æternæ: & ideo orat omnis iu-
 stus, præsentatus conspectui tuo, vt non intres
 cum ipso in iudicium tuum seuerum, non adhi-
 bens misericordiam, qua clementer ignoscatur
 multarum offensarum delicta. Et huius æternæ
 regulæ perfectissimæ iustitiæ consideratione di-
 cit Augustinus, quod homo quilibet, quamlibet
 iustus secundum modum humanæ conuersationis,
 iniustus tamen sit, & prauus, collatus ad illam
 æternam iustitiæ diuinæ regulam. Verum hæc
 sanctissimi patris doctrina, distinguens duplicem
 iustificationem, haudquaquam dicit, imperfectam
 huius vitæ iustitiam in Dei conspectu totam esse
 contaminatam & vitiosam per sese, quamuis
 approbetur à benigno Deo per gratiam ob filium
 mediatorem: nec dicit futuræ vitæ perfectam esse
 iustitiam, quia est iustitia obedientiæ Christi, quæ
 sola in iudicio consistat Dei, & contegat iniusti-
 tiam filiorum & iustorum. Bernardus quoque; Cō-
 stituunt

Aug lib. 2
 de remiss.
 peccat.
 cap. 10. &
 in Psalms.
 142.

Bernardus.
 das.

stituunt in Deo aliud iudicium veritatis, alium
 affectum pietatis erga nos. Iudicio veritatis Deum
 iudicare de nobis, secundum quod nos ex pec-
 cato sumus vani & miseri facti. quod est iudi-
 care naturam nostram, secundum quod in se &
 ex se secundum rei veritatem est: Affectu verò
 pietatis iudicare de homine, non secundum quod
 est in semetipso in veritate, vanitati similis fa-
 ctus, & ad nihilum redactus, & penitus nihil
 factus: sed secundum piuum suum cor & affectum
 erga hominem perditum, quæ gratiæ suæ donis
 magnificè exornat, & donat ob sanguinem me-
 diatoris: Lege, inquit, homo, in corde tuo, lege
 intra te ipsum de teipso testimonia veritatis, etiã
 hac cõmuni luce iudicabis te indignum. Lege in
 corde Dei testamentum, quod firmatum est in san-
 guine mediatoris, & inuenies te longe aliud spe
 possidere, quam re tenere videris. Aliud est ergo
 iudicium Dei de homine secundum corruptam,
 vanam, & miseram naturam ipsius, qualis per pec-
 catum factus est: Aliud secundum affectum pietatis,
 secundum quem magnificat hominem, & magni-
 ficis gratiarum muneribus illum donat, & magna
 illi cura de homine est. Ipsi enim cura est de no-
 bis, ait Apostolus Petrus. & Propheta: Ego autem
 mendicus sum & pauper, dominus sollicitus est
 mei. Sed quid quæso hæc sanctissimi patris do-
 ctrina sanctissima ad cõmentitiam Illyrici distin-
 ctionem pertinet, cum clarissimum sit, in sua sen-
 tentia Bernardum duplicem tantum facere homi-
 nis considerationem: alteram, secundum quod pec-
 cato

Bernardus
 in serm.
 de dedi-
 catione.

1. Petri 5.
 Psal. 39.

cato facta est eius natura misera, vana, & ad nihilum redacta: alteram, secundum quod est ex visceribus pietatis Dei in sanguine mediatoris rursus magnificata & visitata. Porro de ea sententia, quam hoc loco scripsit: Ipsæ quoq; iustitiæ nostræ omnes ad lumen veritatis inspectæ, velut pannus menstruatæ inveniuntur: postea suo loco dicetur.

Iustitia Dei quænam apud Apost. in argum. iustificationis, Philip. 3. Rom. 3.

Aug. de spir. & lit. cap. 9. & 28. Idem cõtr. 2. epistol. Pelag. lib. 3. cap. 7.

Rom. 10.

Postremò, quod scribit hic Illyricus: Iustitiâ Dei in causa iustificationis. & dum apud Paulum scribitur: Vt inueniar in illo non habens meam iustitiam quæ ex lege est, sed illam quæ ex fide est Christi, quæ ex Deo est iustitia in fide. item: Nunc autè sine lege iustitia Dei manifestata est, testificata à lege & prophetis: iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi: esse obedientiam & satisfactionem Christi nobis imputatam, primum ipsa sermõnis forma, qua Apostolus exponit eam ex Deo, vel à Deo esse, non satis probat. Deinde Augustinus passim iustitiâ Dei esse dicit, quæ non est ex præsumptione nostrarum virium, sed est ex dono gratiæ Dei. vbi que enim Dei iustitiam, iustitiæ legis opponit. Vide Augustinum in libro de spiritu & litera, cap. 9. & cap. 28. item in libro 3. contra duas epistolas Pelagianorû cap. 7. In quibus locis diligenter iustitiam legis à iustitia Dei, seu iustitia fidei discernit, & locum illum Paulinum exponens: Ignorantes enim iustitiam Dei, & suâ volentes constituere, iustitiæ Dei non sunt subiecti: non propterea, inquit, iustitia Dei dicitur, quoniâ Deus iustus

iustus est, sed quia homini ex Deo est. Secundum hanc autem iustitiam Dei, hoc est, quæ ex Deo nobis est, nunc fides operatur per dilectionem: vbi iustitiam quæ nobis ex Deo est, palam dicit positam esse in fide per charitatem operatè, non autè in obedientia Christi nobis imputata.

Tertium argumentum Confessionis erat: Apostolus inquit: Si ex operibus, non ex gratia, alioquin gratia iam non erit gratia. Pugnans enim in iustificatione nostra, opera & gratia, sicut meritum & gratuitum.

Responderam, Opera quæ gratiæ opponuntur, ea esse apud Apostolum, quæ sine fide in Christum, & sine adiutorio gratiæ eius sunt: nõ autem ea quæ sunt fide per charitatè operante, quâ spiritus sanctus diffundit in corda credentiû.

Obijcit contra Illyricus, *In responsione ad tertiam probationem dicit quidem, sed non probat, tantum ea opera opponi gratiæ, & excludi à iustificatione, quæ fiunt naturalibus viribus, non quæ fiunt à renouatis. at contra in textu nibil tale habetur.*

Responsio. Responderam in præcedentibus confutationibus clarissimè demonstratum fuisse, sed quando ad eas attendere noluit Illyricus, necesse est vt repetamus. Textus Apostoli sic habet: Sic ergo & in hoc tẽpore reliquiæ secundum electionem gratiæ factæ sunt. Si autè gratia, iam non ex operibus: alioquin gratia, iam non est gratia. Perspicuum est & indubitatum, Paulum hoc scripsisse de reliquijs Indæorum, quæ repudiatæ non sunt, sed per Dei gratiam

3. Argu. confess. Rom. 11.

Cautionis.

Dilatio.

Quoniam opera excludantur à iustificatione, & iustitia dicitur à Deo.

ad fidem in Christum vocatæ & perductæ. Cum ergo Iudæi illi, qui reiecti sunt, ideo reiecti sunt, quia nolebant in Christū credere, & eius gratiā agnoscere, existimātes ea nihil sibi opus esse, sed se posse iustificari apud Deū sine Christi gratiā, per doctrinam legis, & facultatē liberi arbitrij, nōnne eidentissimum est, opera, ex quibus negat electas reliquias salvas factas & iustificatas esse coram Deo, esse opera illa, in quibus confidebant Iudæi repudiati, hoc est, ea opera quæ sunt extra Christum, & sine gratiæ Christi adiutorio : non autem esse ea opera, quæ electæ reliquiæ ex gratia Christi iam renouatæ & iustificatæ, per spiritum charitatis operantur? quæ quælium operum iustitiam Paulus in capite 10. vocauerat iustitiam ex lege, oppositam iustitiæ quæ ex fide est. Et in capite 9. de parte Iudæorum repudiata scripserat : Israel vero sectando legem iustitiæ, in legem iustitiæ non peruenit. Quare? quia non ex fide, sed quasi ex operibus. offenderunt enim in lapidem offensionis. Nōnne hic luce meridiana clarius est, sermonem esse de operibus, reiecto Christo, per proprias vires factis, per quæ opera, inquit Paulus, Iudæi quidem iustificari apud Deum sedulo studebant: sed quia non ex fide in Christi gratiam ea præstabant, ad iustificationem coram Deo non perueniebant? An igitur in textu Pauli obscurum est, qualia opera à iustificatione vera coram Deo excludat? Ad Galathas quoque scribens Apostolus expressè & clarè dicit: In Christo Iesu

Rom. 10.

Rom. 9.

Galat. 5.

su neque circuncisio aliquid valet, neque præputium : sed fides quæ per dilectionem operatur. agens citra controuersiam de ratione iustificationis apud Deum. Qua igitur fronte audet Illyricus tam contumaciter opera ex fide per dilectionem operante à renouatis facta excludere à ratione iustificationis, quæ Paulus tam disertè dicit valere in Christo Iesu ad iustificationem? Et ne incertum esset, quid per fidem per dilectionem operantem intelligeret, repetens eandem sententiam in fine epistolæ, scribit : In Christo Iesu neque circuncisio aliquid valet, neque præputium, sed noua creatura. Ex qua sententia perspicimus, quod fides per dilectionem operans, est ipsa noua creatura, siue renouatio hominis. quod idem valet atque si dixisset : veram coram Deo iustificationem consistere in renouatione interiore hominis, & iustis operationibus secundum interiorem renouationem factis. Falsissimum igitur est quod scribit : In textu nihil de operibus sine Christo per vires & facultatem liberi hominis arbitrij factis haberi.

Galat. 6.

Sed obijcit Illyricus : *Christus excludit etiam opera verè piorum à iustificatione, dum eos iubet agnoscere se in summa perfectione esse seruos inutiles. Et Paulus, dum ea sua futura opera ac iustitias pro reiectamēntis ac damnis habet.*

Cauillatio.

Luc. 17.
Philip. 3.

De sententia Domini, Cūm omnia feceritis, dicite, serui inutiles sumus: proprius locus dicendi erit circa argumentum Confessionis no-

Dilutio.

num. Porro de iustitia, quam Paulus pro reiectamento & damno habet, circa confirmationem secundi argumenti iam supra satis demonstratum est, eam tantum esse, quam in Pharisismo operatus erat: minimè autem eam, quam iam conuersus ad Christum, operatus est. quam tanti dicit aestimari à Deo iusto iudice, vt pro ea remunerationem coronæ vitæ æternæ expectet.

*Cauillatio.
Rom. 7.
Dilutio.*

Sed addit Illyricus: *Paulus totam suam obedientiam, vt imperfectissimam accusat, ad Romanos septimo.*

At disertè scribit in eo capite Paulus, se condelectari legi Dei secundum interiorem hominem. rursus: Se mente seruire legi Dei. nusquam autem dicit, eam delectationem & dilectionem legis Dei, quæ in mente eius erat, peccatum fuisse: nec eam seruitutem, qua mente legi Dei seruiebat, vitiosam aut contaminatam aliqua labe peccati fuisse. Scribit quidem propter malum ex carne adiacens, se non posse perficere bonum, seruiendo scilicet legi Dei, sine omni prorsus vel sensu alicuius malæ concupiscentiæ, aut prauis desiderij: sed ex necessitate mali illius in carne adiacentis non dicit vitari omnem suam obedientiam. sed tantum dicit se impediri, quo minus libera prorsus & expedita ab omnibus impedimentis mente, Deo seruire possit, quod vellet. Et in principio captis octauo disertè dicit: nihil damnationis esse ijs qui sunt in Christo Iesu, propter adiacens hoc malum, si modò non secundum carnem

nem, siue secundum hoc malum adiacens ambulat. Tantum ergo hoc docet Paulus, obedientiam, quam præstabat legi in carne corrupta & mortali, imperfectam hactenus fuisse, quod non ea libertate in Deum ferri posset, qua potuit homo à Deo rectus & iustus conditus, sine vilo prauæ libidinis sensu, totus in Deum ferri, legique diuinæ seruire. Non autem dicit, suam obedientiam ex carne adiacente peccati labem contraxisse, propter quam in Dei oculis verè contaminata esset.

Adhuc cauillatur Illyricus: *Christus, inquit, damnat Pharisæum cum suis virtutibus, quas se à Deo habere, ex gratia agnoscebat, ei que gratias agebat.*

*Cauillatio.
Luc. 18.
Dilutio.*

Sed heus bone vir, an damnandus tibi videtur, qui virtutes per Dei gratiam acceptas agnoscit, & pro ijs gratias Deo agit? Non opinor te tā peruersum vt hoc afferere velis. Cur igitur causam non exprimis, ob quam Pharisæum damnat Christus? Sed Christus eam non dissimulauit, qui dicit eum stantem tanquam iustum orasse, & nihil de peccatorum remissione, tanquam totus iustus, & sine peccato esset, sollicitum fuisse, nec etiam quicquā à Deo petiuisse: deinde etiam superbe contempsisse fratrem suum publicanum, quæ videbat humiliter deprecantem: postremò & seipsum ex donis Dei magnū facientem, & ceteris anteponentem. quod est Dei dona nō in vno Deū referre, sed ex ipsis seipsum supra alios extollere. dū dixit: Nō sum sicut cæteri homines. Hoc renouati in vno Deo gloriantes, qui sua gratia ipsos

ipfos iustificavit. Et Paulus, dum cursum evangelici ministerij fideliter & sedulo obit & perficit, non faciunt. proinde blasphemè eorum iustitia cum Pharisæi iustitia comparatur. Et euangelista ipse dicit parabolam dictam ad eos qui confidebant intra se, tanquam iusti essent & sine peccatis.

Auguf. de ver. dom. ferm. 36. & li. 2. de pecc. mer. & remiff. cap. 5.

De Galathis quoque renatis addit Illyricus, quod Paulus nō vult in iustificatione admiscere opera legis, etiam quæ ope gratiæ facta sunt. Sed de hoc in sequenti loco dicendum erit.

Cavillatio.

Postremò obijcit: Cum Christus omnes etiam sanctissimos iubet perpetuo flagitare condonationem peccatorum, an non id præcipit, ut perpetuo agnoscentes suam omnem iustitiam esse pannum menstruatæ, semper confugiant ad solius agni Dei, auferentis peccati mundi iustitiam?

Prou. 24

Respondet Sapiens in Prouerbijs: Septies in die, inquit, cadit iustus, & resurget. Vbi dicens, quod septies in die vno, hoc est, sæpius peccat iustus, & non semper in die cadit aut peccat iustus, satis indicat, quare etiã iustus assidua præcatione pro remissione peccatorum opus sit: quamuis eius iusta operatio peccati remissione opus non habeat. Et superius sententias Augustini citauimus, in quibus clarissimis verbis dicit: Si iustus motibus prauis, quos inuitus sentire cogitur, nullum adhibeat consensum, non esse ut propter illos dicat: Remitte nobis debita nostra.

Auguf. de perfect iustitia. Idem in epist. ad Afellicū.

Iterum hic obijcit de Ahrahamo, quod Paulus præstans

præstans eius virtutes à iustificatione excludit; eiusque iustitiam, reiecta omni gloriatione in sola non imputatione, remissione, & contestatione peccatorum collocat.

Sed de Abrahami iustificatione supra satis diximus, & falsum esse demonstrauimus quod hic affirmat Illyricus. Et profecto si consideretur scopus doctrinæ Pauli de Abrahami iustificatione, multa disputatione opus non erit. Constat enim manifestissimè Paulum Abrahami iustificationem proponere Iudejs, ut operibus legis sine Christo, seu sine Christi gratia factis intelligerent se nō iustificandos apud Deū, quando de Abrahamo scriptum legerent: non quod operibus legis sine Christi fide iustificatus esset: sed quod fide scilicet in Christum, semen illud vnum, in quo benedicerentur omnes gentes, iustificatus esset: Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam, hoc est, & fides reputata est ei ad iustitiam. Vbi euidētissimum est, opera illa legis sine fide facta disertè exclusæ esse: de operibus verò eius, quæ vel iustificatus, vel antequam hoc de eo diceretur: Credidit Abraham Deo, &c. vel postea quoque fecisset, nihil ibi expresse agit Apostolus. quia quando hoc dictum est: Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam: de nullo opere nisi fidei mentio est. Sed ea omnia opera quæ renatus fecit, siue antea quàm hoc ei diceretur, siue postea quàm hoc ei dictum est, quod non excludatur ab omni iustificationis ratione, ipse Apostolus Iacobus expresse docuit, dum scripsit:

psit: Scripturam illam, Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam: adimpletam esse, opere illo heroicæ obedientiæ. Et rectè interpretatus est Augustinus, Fidem illam quæ reputata est Abrahæ ad iustitiam, hoc est, per quam apud Deum iustificatus est, fuisse fidem per dilectionem operatricem, & proinde proposito saltem includentem opera fidei. Falsissimum est igitur, quod iste crebrò inculcat, Paulum ab omni ratione iustificationis quælibet opera bona, etiam ope diuinæ gratiæ facta, excludere.

4. Argm.
Confessionis.
Act. 15.
Galat. 5.

Quantum argumentum confessionis fuit desumptum ex capite 15. Actorum, in quo Apostoli in sua illa prima synodo scribuntur condēnasse doctrinam pseudoapostolorum, docētium præter meritum Cstristi, etiam opera legis, seu quælibet virtutes, siue iustas operationes, esse ad salutem necessarias. Quibus consentit Paulus, protestans, quod si quis vel solam circumcissionem ad Christum adijcere velit, ille prorsus à gratia excidat.

Responderam, in ea synodo cæremonias ac ritus legis Mosaicæ, itē sacrificia & sacramenta, exclusa esse: non autem opera, quæ secundum legem Dei præstanda erant.

Canillatio.
Rom. 3.

Iam obiicit Illyricus *diuersum apparere ex Paulo, qui opera legis ex iustitia ac salute excludens, vel maximè moralia excludit: docens tum ad Romanos, tum ad Galatbas, ex lege agnoscī peccata, oriri iram, & venire maledictionem, quia legi nemo satisfacere possit.*

fit. Vanum itaque esse hoc effugium. Annon Galatha, inquit, erant renati, quos Paulus tamen non vult in iustificatione admiscere opera legis, etiam ope gratiæ facta?

Galat. 3.

Sed respondeo. Primum certum est Apostolum in epistola ad Galathas de operibus legis Mosaicæ, quæ posita sunt in cæremoniis, ritibus, sacrificiis & sacramentis, agere. loquitur enim disertè de diebus obseruandis & mensibus, & temporibus, & annis. Item de circumcissione dicit: Testificor autem rursus omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est vniuersæ legis faciendæ. & acriter obiurgat eos qui sub lege esse volebant, hoc est, sub legis cæremoniis, ritibus, sacrificiis, & Sacramentis: denique & iugum seruitutis legalis exprimit. quod hæc excludat à ratione iustificationis apud Deum, extra quæstionem est.

Dilutio.

Galat. 4.
& 5.

Iam videamus, an etiam moralia legis opera similiter excludat à iustificationis ratione. Et certa responsio est, quod quando Apostolus de lege dicit, quod per ipsam cognitio peccati est, quod lex iram operatur, quod ex lege, siue per legem nemo iustificatur, denique quod ex operibus legis nemo apud Deum iustificatur, comprehendantur etiam moralia præcepta. sicut eruditissimè demonstrat Augustinus in libro de spiritu & litera, ex capite 7. ad Romanos. Sed quod ibidem admonuit Augustinus, diligenter animaduertendum est, quod

Rom. 4.

Auguf. de
spi. & lic.
cap. 13. &
multis se-
quētib.

quòd de lege, legisque vniuersis operibus, tam legalibus siue Mosaicis, quàm moralibus agat, quatenus litera sunt occidens; à spiritu viuificante separata, hoc est, quatenus à spiritu fidei litera legis & operum siue mandatorum distinguitur. Manifestissimum est enim, quòd lex, siue legis quodlibet mandatum ex spiritu viuificante obseruatum non occidat, non iram operetur, vindictam, aut maledictionem. Quando ergo Apostolus tum in epistola ad Romanos, tum in epistola ad Galathas docet, quod ex lege, siue ex operibus legis nemo coram Deo iustificatur, manifestissimum est, quòd intelligat legem, & legis quælibet mandata siue legalia, siue moralia, quatenus à fide separata sunt, & sine fide, & Christi gratia obseruantur, aut obseruari videntur. Illa igitur sola opera, quæ sine Christo fiunt, primum excludit in illis epistolis à ratione iustificationis: non autem quælibet legis opera, etiam quæ cum fide, & ex fide gratiæ Christi, & ex spiritu viuificante fiunt. quæ sunt moralia diuinæ legis opera. Verum de legalibus legis Mosaicæ cæremoniis, ritibus, sacrificiis & sacramentis, quæ per Moysen à Deo veteri populo ad tempus supra moralé legem præscripta erant, peculiaris quædam ratio est, an cum fide Christi & gratia viuificante consistere possint, & ex spiritu fidei facta ad iustificationem valere. Atque hac de re cõmota questione, grauiter perturbabát pseudoapostoli Iudæi ecclesias, & nominatim ecclesiam Galathæ-

tarum, contendentes contra quàm insituerat eos Paulus, cum fide Christi cõiungendam esse obseruationem legis Mosaicæ, tanquàm per gratiam Christi sine obseruatione legis Mosaicæ, Galatæ salui esse non possent. Paulus itaque postquam in 2. cap. epistolæ ad Galatas differuisset, sine Christo, seu fide Christi nequæ legem, neque legis opera posse hominem coram Deo iustificare: in tertio capite peculiariter sermoné dirigit aduersus pseudoapostolos, qui docebant, eos qui in Christum crediderant, & Christi gratiam amplexi erant, non posse iustificari apud Deum, & saluos fieri, nisi legem Moysi simul cum gratia euangelij coniungerét. Ac strenuè docet Galatas, quod si sub legem redigerentur, si circumciderétur, & iugo legis se subijcerent, simul cum Christo, iustificationem ex lege, quamuis cum Christo cõiuncta, quærent, à Christi gratia & iustificatione apud Deum exciderent. Eua-

Galat. 2.

Galat. 5.

In epist.
ad Heb.
& in e-
pistola ad
Coloss.
Aug. de
gratia
Christi
cap. 13.

De iusti-
tia qua
ex Deo
est, & de
iustitia
nostra.

galibus & luce veritatis euangelicæ agitur: Ne-
quaquã auté excludat opera legis moralis siue
naturalis, quam gratia Christi non soluit, sed
adimplet, à ratione iustificationis apud Deum,
cùm affirmet solam fidem per dilectioné ope-
rantem valere apud Deum, non autem circum-
cisionem. Quam doctrinam de legis operi-
bus exclusis à ratione iustificationis, disertissi-
mè & clarissimè tradidit diuus ille Augustinus
cùm alijs innumeris locis, tum verò in libro de
gratia Christi contra Pelagium: Qui, nouit, in-
quit, quid fieri debeat, & non facit, nondum
à Deo didicit secundum gratiam, sed secundum
legem; non secundum spiritum, sed secundum
literam. quamuis multi quod imperat lex, fa-
cere videantur timore pœnæ, non amore iusti-
tiæ. quam dicit Apostolus iustitiam suam quæ
ex lege est, tanquam sit imperata, non data. Si
autem data est, non dicitur iustitia nostra, sed
Dei: quia sic fit nostra, vt sit nobis ex Deo. di-
cit enim: Vt inueniar in illo, non habens meam
iustitiam quæ ex lege, sed eam quæ est ex fide
Iesu. Tantum igitur inter legem distat & gra-
tiam, vt cùm lex esse non dubitetur ex Deo, iu-
stitia tamen quæ ex lege est, non sit ex Deo, sed
iustitia quæ per gratiam consummatur, ex Deo.
Quia ex lege iustitia dicitur, quæ fit propter
legis mandatum: iustitia ex Deo dicitur, quæ
datur per gratiæ beneficium, vt non sit terribile,
sed suaue mandatum. Sicut oratur in Psalmo:
Suauis es Domine, & tua suauitate doce me
iusti-

Iustitiam tuam, id est, vt non formidine pœnæ
cogar esse seruiliter sub lege, sed libera charita-
te delecter esse cum lege. Iam credo videt Il-
lyricus vel inuitus, iustitiam operum quæ fit
per gratiam & charitatem, non pertinere ad
legis iustitiam, siue potius ad iustitiam quæ ex
lege est: sed ad iustitiã Dei, siue quæ ex Deo est.
quam iustitiam per fidem, siue ex fide, aut iusti-
tiam fidei vocat Apostolus. Cernis itaque lector
falsissimum esse quod scribit, opera quæ fiunt
etiam ope gratiæ diuinæ, Paulum tanquam
opera legis, vel iustitiam ex lege, excludere
à ratione iustificationis. Vide eandem doctri-
nam apud Augustinum de gratia & libero arbi-
trio. item de spiritu & litera: in epistola ad
Asellicum: in libro tertio, contra duas episto-
las Pelagianorum.

Quintum argumentum Confessionis desum-
ptum fuerat ex scriptura Esaiæ: Omnes iusti-
tias nostras esse sicut pannum mēstruatæ. Vnde
nec ipsi quidem cœli aut angeli sunt corã Deo
mundi, nedum nos homines.

Responderam: Non sinere pietatem hoc de
Deo nos sentire, quod vllam impietatem aut
iniquitatem approbet, cùm ipse sit omnis pu-
ritatis & sanctimonix fons. Proinde cùm con-
flet per apertissima sacre scripturæ testimonia
Deum approbare piorum hominum merita,
beneficentiæ autem & communicationis, nolite
(inquit spiritus sanctus) obliuisci. talibus enim
hostijs promeretur Deus. rursus: Repletus sum

V ij acce-

Aug. de
grat. &
lib. arb.
cap. 8.
De spir.
& lit. cap.
29. epist.
200. ad
Asellicum
contra 2.
epist. Pe-
lag. lib. 3.
cap. 7.
5. Argu-
mentum.
Iob 4.

Heb. vii.
Philip. 3.

acceptis ab Epaphrodito quas misistis in odore suavitatis, hostiam acceptam, placentem Deo: fieri prorsus non posse, ut piorum bona opera immunda sint, sicut pannus menstruatæ. Ex collatione itaque scripturarum sumendam esse veram intelligentiam scripturarum.

Cavillatio.
Luc. 17.
Marth. 6.

Obijcit iam Illyricus: *Dictum Esaiæ variè pervertere conatur, sed Christus satis exponit, quorum bonum iustitia sit pannus menstruatæ, cum omnes etiam sanctissimos iubet confiteri se esse servos inutiles, & perpetuò petere condonationem.*

Responsio: Quod logè diversa sint, esse servos inutiles, & non operari opera bona, nisi quæ sint immunda, tanquam pannus menstruatæ, iam mox demonstrabimus suo loco. Nec hoc, quod perpetuò iubet dominus petere condonationem, conuincit omnia opera iustorum esse immunda, tanquam pannum menstruatæ: sed hoc tantum, quod omnis piorum iustitia in hac mortali vita sit imperfecta propter multas culpas & peccata, quæ per infirmitatē committit iustus quilibet: quæ tamen culpæ nō contaminant ipsam bonorum operum iustitiam, quamuis iustus earum cōdonatione misericordie opus habeat. sicut supra sæpiùs dictum est.

Quoniam verò mordicus contendit iste, ex offensis & culpis iustorū, simul & malo in carne habitante, seu ex malo adiacente contaminari omnem iustorum iustitiam, & omnia iustorum opera: consyderet quæso lector duo quæ docet Augustinus: Alterum, quod si motibus prauis

Lib. de
perfect.

ex

ex carne scaturientibus, nullum prorsus adhiberet homo consensum, propter eos motus prauos non esse ei petendam condonationem peccatorū aut debitorum: Alterum, quod perfecta iustitia, qua scilicet sine omni peccato vita ducitur, manente etiam carnis vitio, non sit mortali homini impossibilis per Dei gratiā. Fieret, inquit Augustinus, in hominibus perfecta iustitia, si tāta voluntas adhiberetur, quanta sufficit tantæ rei. Esset autem tanta, si & nihil eorum quæ pertinent ad iustitiam, nos lateret, & ea sic delectarēt animum, ut quicquid aliud, siue voluptas, siue dolor impedit, delectatio superaret. quod ut non sit, non ad impossibilitatem, sed ad iudicium Dei pertinet. & rursus: Cū voluntate humana, gratia adiuuante diuina, sine peccato in hac vita possit esse homo, cur non sit si quæritur, possem facillimè respondere: quia homines nolunt, &c. Vides lector falsissimum esse (quod Illyricus tam crebrò occinit) ex malo inhabitante in carne, & ex concupiscentia contra spiritum, contaminari omne hominis iusti opus.

iustitie in
epist. 200
ad Afellium.

Libro de
spir. & lit.
cap. 35. &
36.

Lib. 2. de
pecc. me-
ritis.

Addit Illyricus: *Sed opponit iste. Atqui placet Deo piorum obedientia, cui nihil immundum placere potest: ergo munda est. Respondeo, inquit, Placet sic, sicut & ipsi peccatores placent: nempe dum merito Christi omnia turpia eorum teguntur, non imputantur & condonantur.*

Cavillatio.
2.

Hic expende obsecro te Christiane lector inanem hanc & vanam solutionem, & comperies in ea blasphemiam adhuc hærere. Respon-

V iij det

Heb. 4.

Eccles. 15.
Psal. 33.
Sapient. 14
Rom. 2.

2. Cor. 2.

*Aduebi-
na in suo
perabilis*

det homo iste, Deo placere immunditias nostras, sed non nisi (si dijs placet) obiectas alienae iustitiae obtextu & specie. videlicet quasi Dei oculi perstringi possint, vt aliena specie obiectam malitiam cernere & diiudicare non possit. de quo scriptum est: Viuus est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio anticipi, & pertingens vsque ad diuisionem animae & spiritus, compagum quoq; ac medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cordis. Et non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius. omnia autem nuda & aperta sunt oculis eius. Cum igitur Deus sicut nec fallere, ita nec falli potest, & eius iudicium est secundum veritatem: cumq; odio habeat & impium & impietatem, an non blasphemum est de Deo vel sentire vel scribere, quod ei immunditia nostra placeat, sed obiecta aliena specie, tanquam indicans munditiam esse, quod est immunditia, propter praetextum aliquem. Nec sane scriptura solum dicit, quod iustorum personae Deo placeant, & à iusto Deo approbentur: verum etiam quod iustorum iustitia, siue iusta opera Deo placeant, grata sint & accepta, quodque Deo approbentur. Et consideret quæso lector istud diligenter, non posse sine summa impietate & blasphemia de Deo affirmari, quod illi vlla immunditia, vel quavis specie boni obiecta & occultata, placeat: & perspicue videbit hac vnica potentissima machina subuerti operosam & comentitiam istorum doctrinam de iustificatione fidei

pet

per solam iustitiam passionis Christi: deque contaminatione vniuersarum iusticiarum, quas operantur iustificati per spiritum fidei. Sanè Apoc. 19. longe aliter sensit & scripsit diuus ille Ioannes in Apocalypsi, disertè dicens, quod in nuptijs agni, vxor & sponsa agni cooperiet se iustificationibus sanctorum: Gaudeamus, inquit, & exultemus, & demus gloriam ei, quia venerunt nuptiae agni, & vxor eius praeprauit se. Et datum est illi, vt cooperiat se byssino splendenti & candido. byssinum enim sunt iustificationes sanctorum. Vbi sic habet commentarius Gagnei: Byssinum enim sunt iustificationes sanctorum] id est, fides, ac studiosa, bonaque iuxta fidem opera, quibus Dei gratia iustificati sunt sancti. quibus qui ad finem vsq; indutus fuerit in via, conceditur vt ijs vestitus appareat in patria. Attende Christiane lector, sanctorum iustificationes, & iusta opera per fidem facta, spiritus sanctus comparat bysso splendenti candidè & purè: Illyricus autem immunditias appellat. Spiritus sanctus affirmat eis indutos sanctos comparituros tempore nuptiarum agni, in extremo videlicet iudicio: Illyricus contra mordicus tuetur, nullorum vel sanctissimorum hominum iustificationes posse consistere in Dei iudicio, & sustinere examen seueri iudicij diuini: sed solam iustitiam Christi obtegentem, (si superis placet) sanctorum, imo sanctissimorum quorumlibet iustificationes. Ab auribus igitur fidelium, blasphemum in spiritum sanctum, omnis

V iiii iusti-

Tractatur
scriptura
Esaie 64.

iustificationis authorem & donatorem doctrina
procul arceatur & abijciatur. Sed pergamus ad
excludendas cauillationes, quas struit ex ver-
bis Esaie: Facti sumus immundi omnes nos, &
vniuersae iustitiae nostrae tanquam pannus mu-
lieris menstruatae.

Ac primum hic animaduertat pius lector,
quam bellè conueniat Martinistis istis (sic enim
se Aneuerpiae appellari voluerunt, tanquam pro-
fessores synceros meri ac puri Lutheranismi siue
Martinismi, reiectis Confessionistarum mi-
tigationibus & expositionibus) cum suo Mar-
tino. Multum & crebro vrget Illyricus istud
Esaie dictum. verum Martinus ingenue scribit,
hoc testimonium nihil pertinere ad praesentem
de Iustificatione operum disputationem, eoque
corrigi vult sua scripta, in quibus de iustitia o-
perum agens, hoc scripturae testimonio abusus
est. In expositione 64. capitis in Esaia sic scri-
bit: Facti sumus vt immundi.] Hic incipit, in-
quit, alteram partem collationis. tempus ca-
ptiuitatis Babylonicę scilicet. Tam foelicia quod-
dam erant secula. at nunc ita nobiscum agitur,
perinde ac si omnes quotquot sunt, mali sint.
Emphasis est in nomine, Omnis. Vocat enim
immundos, ideo quod tractentur sicut immundi
& impij. Et quasi pannus menstruatae.] Hoc
loco aliquando sumus vsi contra iustitiam hu-
manam. Bona quidem sententia est, sed non
propria huius loci. Propheta enim cum videret
multos bonos viros in captiuitatem adductos,

Lutherus
in ca. 64
Esaie.

vt

vt fuere Neemias & Esdras, & alij, dolet quod
ob malorum impietatem iusti homines diutius
in captiuitate detineantur. quasi dicat: Abra-
hamo propter quinque iustos condonasses So-
domam, hic plures boni sunt, & tamen tu per-
inde cum eis agis, ac si ipsi quoque peccassent.
hunc affectum captiui populi hic exprimit Pro-
pheta. deinde: Non est qui inuocer nomen tuum] Erat
quidem in captiuitate multi pij homines,
qui inuocabant Deum, verum, inquit, haec capi-
tuitatis calamitas qua praemimur, argumento
est, quod nemo sit qui verè inuocet aut appre-
hendat Deum, alioqui enim liberaremur.

Martino Luthero concinit Calvinus, qui alio-
qui non libenter magistrum agnoscit Luthe-
rum: Hic locus, inquit, citari à quibusdam
solet, vt probent adeo nihil esse meriti in ope-
ribus nostris, vt coram Deo putida & foetida
sint. Sed hoc mihi videtur alienum à Prophe-
tae sententia, cum de roto genere humano non
loquatur, atq; eorum querimoniam describat,
qui in exilium missi iram domini in se sentie-
bant, ac se cum iusticijs suis panno inquinato
similes esse fatebantur. Ac primum hortatur
ipsum ad confessionem peccati sui, vt reatum suum
agnoscant: deinde vt nihilominus veniam à Deo
postulent. cuius impetranda ratio est, quod dum
miserabiles & calamitosos nos esse querimus,
simul nos iustas scelerum nostrorum dare poe-
nas agnoscimus. Cernis lector non posse Illy-
ricos ex Esaie testimonio firmum argumen-

Io. Caluini
expla-
natio in
locum Esaie
64.

V v tum

tum contra Catholicos statuere, quando magister eorum disertè pronunciat non esse propriam sententiam eius loci contra iustitiam humanam: nisi fortè velit plus sapere quàm ipsius magister. Sed magistri sui sententiam haud ignorans, voluit abuti ad imperitorum deceptionem plausibili loco scripturæ apud infirmos. Atque hac solutione possemus rejicere eius cauillationes, verum quia ex Hieronymi commentario in hunc locum, quem citaueram in Confutatione, technas struit, & foedissima ac sceleratissima mendacia committitur, age, Illyrici cauillationes proponamus.

Cauillatione impudētissima Sed obseruatu, inquit, dignum est, quod audeat citare Hieronymum supra hunc Esaiæ locum, qui tamen ex diametro cum eo pugnat.

Commentarium Hieronymi quisquis inspiciet, comperiet Hieronymum non ad vniuersos pios & iustos cuiuscunque temporis, sed tatum ad Iudæos in calamitate captiuitatis vel Babyloniorum, vel Assyriorum, vel captiuitatis per Romanos Propheticâ sententiâ reuulisse. quod ego in Confutatione responderam. Sed audiamus Illyricum Hieronymi cōmentarium prolixè describentem, vt ostendat ex diametro nos cum eo pugnare, & conuincamus eum impudentissimi & foedissimi mēdacij. Hieronymi itaque commentarius sic habet. Quia peccauimus, nobis iratus es Domine, propterea errauimus, & rectam reliquimus viam. siue, iuxta hebra-

Hieron. explanatio.

hebraicum, qui semper fuimus in peccatis, tua tamen saluabimur misericordia, qui per nos immundi sumus. Et quicquid videmur habere iustitiæ, panno sedentis siue menstruatæ mulieris comparatur. Pro quo Theodotio, ipsum verbum Hebraicum posuit, iddin. quod Symmachus interpretatus est κνδσωρ, id est, parietium: Aquila μαρτυσιωρ, hoc est testimoniorum: quando sanguis in primo coitu maritali virginis approbatur. Et defluximus, inquit, quasi folia de arboribus, quæ propter iniquitates nostras ventorum flatibus disperguntur. In quo considerandum, quod iustitia quæ in lege est, ad cōparationem euangelicæ puritatis, immunditia nominetur. Etenim non est glorificatum quod prius glorificatum fuit propter excellentē gloriam. Vnde & Apostolus Paulus, qui secundum iustitiam quæ in lege est vniuersa compleuerat, dicit se omnia duxisse pro damno vt Christum lucrifaceret, & propter eminentem scientiam Domini nostri Iesu Christi, propter quem arbitratum quasi stercorem vt Christum lucrifaciat, & inueniatur in eo non habens suam iustitiam quæ ex lege est, sed per fidem Christi, quæ ex Deo est iustitia. Est enim iustus, qui perit in iustitia sua, si post euangelii veritatem umbras velit exercere legales, & non iuste quod iustum est persequi. Vnde iuxta sapientissimum Salomonem: Omnis vir videtur sibi iustus cum in lege versatur. ad quos Dominus loquitur in Euangelio:

Philip. 3.
2. Cor. 3.
Ecclesiasticus 7.

Esaiæ 57.
Prou. 15.

Vos

Luc. 16. Vos estis, qui vosmetipfos iustificatis coram ho-
 1. Cor. 4. minibus. Quod Paulus fugiens ait: Nihil mihi
 conscientium sum, ne tamen in hoc iustificatus sum.
 Sapient. 1. Ex peccato autem Dei iustitia. de qua idem
 Salomon loquitur: Intelligite iustitiam veram.
 Matth. 5. Ergo est alia iustitia, quæ non habet veritatem.
 & hæc est vera iustitia, de qua rursus in euan-
 gelio dicitur: Beati qui esuriunt & sitiunt iusti-
 tiam, quam multi prophetæ & iusti desidera-
 Ioan. 8. uerunt videre, & non viderunt. Abraham au-
 tem vidit istam iustitiam, & lætatus est: nequa-
 quam sequens occidentem, sed spiritum viuifi-
 cantem. Hactenus Hieronymi commentarium
 recitat Illyricus. Audiamus iam quid ex isto
 commentario colligere contendat.

*Dilutio. Obserua, inquit, diligentissimè, quod illa ipsa non ha-
 bens veritatem, iustitia, quam Abrahamus post mortem
 vidit, sit vera, salutarisque iustitia. Hanc, inquit, veram
 iustitiam nec ratio humana, nec isti sophistæ cum suo
 patre Aristotele intelligunt, eoque eam securè, vel po-
 tius furenter contemunt.*

Hic contra, te vicissim diligentissime animad-
 uertere & obseruare velim lector Christiane, pri-
 mum falsissimum esse, quod dicat Hieronymus,
 illam ipsam non habentem veritatem iustitiam,
 quam Abrahamus post mortem vidit, esse ve-
 ram salutaremque iustitiam: imò plane distin-
 guit inter veram iustitiam, & iustitiam quæ ve-
 ritate caret. Deinde apud Euangelistam Ioan-
 nem non scribitur, quod Abrahamus post mor-
 tem vidit veram iustitiam: sed tantum, Abra-
 ham

ham vidit diem meum, & gauisus est. quod
 Augustinus non dubitat dicere, in Abrahamo
 in carne viuento impletum esse. Postremo ma-
 nifestissimum est ex hoc commentario, quod
 Hieronymus sententiam Esaiæ interpretetur de
 iustitia legis, siue quæ ex lege est, non autem
 quæ est ex spiritu viuificante. Adducit enim
 sententiam Pauli ad Philippenses: de Pauli iu-
 stitia in Pharisaismo, quam supra demonstraui-
 mus esse falsam iustitiam, & veritate carentem
 in conspectu Dei. Vnde admonet Hieronymus
 considerandum esse, quod iustitia quæ in lege
 est, ad comparationem euangelicæ puritatis, im-
 munditia nominetur. Ad hanc quoque legis
 iustitiam, quæ immunda est, & non vera iustitia,
 pertinere, si post euangelij veritatem, vmbra
 quis velit exercere legales, & non iuste quod
 iustum est, persequi, & eo quod in lege versatur,
 se velit iustificare coram hominibus. Porro
 Dei iustitiam esse veram iustitiam, de qua Salo-
 mon scribit: Intelligite iustitiam veram. de qua
 rursus in euangelio dicitur: Beati qui esuriunt
 iustitiam, & quam multi prophetæ & iusti desi-
 derauerunt videre, & non viderunt. Abraham
 autem vidit istam iustitiam, & lætatus est. In
 quibus verbis manifestissimum est Christi iusti-
 tiam cõprehendi, distinctam aduersus iustitiam
 quæ est ex lege, siue eam quæ est ipsemet Chri-
 stus, siue obedientia Christi, seu immolatio aut
 sacrificium Christi, quam vidit Abrahamus in
 spiritu, dũ adhuc in carne ageret: vel ipsam iusti-
 tiam

Ioan. 8.
 August. tra
 ctatu 43.
 in Ioannẽ

Philip. 3.

Sapient. 2.
 Matth. 5.
 Ioan. 8.

tiam per fidem Christi donatam credentibus, de qua illud dictum est: Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam. Imo quod dicit Hieronymus, quod Abraham vidit veram iustitiam, & lætatus est, videtur intellexisse Abrahamum vidisse in spiritu mysterium incarnationis Christi, & passionis eius secundum carnem, per quod credentes in Christum iustificarentur vera iustitia coram Deo. Dicit enim, Abrahamum veram iustitiam illam vidisse, nequaquam sequentem litteram occidentem, sed spiritum vivificantem. Quod igitur hinc Illyricus colligere vult, solam Christi iustitiam, veram esse iustitiam. & reliquam omnem iustitiam falsam esse, & veritate carentem, inane est & vanum sophisma, quando iustitia Christi vera, legis immundæ iustitiæ opposita, comprehendit in scripturis non solum obedientiam & iustitiam Christi, sed etiam iustitiam ex fide donatam credentibus. vt ibi: Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam.

Quod si pertinaciter contendit Illyricus hoc loco solam Christi iustitiam, dici veram iustitiam, considerare debebat quomodo de vera iustitia differere soleat Hieronymus contra hereticos Pelagianos. Sic sanè scribit libro 1. contra Pelagianos. Quid ergo sapimus, imo quid sapere debemus, qui perfecti non sumus? Imperfectos nos esse confiteri, & necdum comprehendisse, necdum accepisse: hæc est hominis vera sapientia, imperfectum esse se nosse, atque (vt ita loquar) cunctorum in carne viventium imper-

Hiero. libro 1. cõtra Pelag. 3

imperfecta perfectio est. Vnde & in Prouerbiis legimus: Ad intelligendam iustitiam veram. nisi enim & falsa iustitia esset, nunquam Dei vera iustitia diceretur. & post pauca: Perspicuum est duas in scripturis sanctis esse perfectiones, duasq; iustitias, & duos timores. Primam perfectionem & incomparabilem veritatem, perfectamq; iustitiam Dei virtutibus coaptandam: secundam autem, quæ competit nostræ fragilitati, iuxta illud quod in Psalmis dicitur: Non iustificabitur in cõspectu tuo omnis viuens: ad eam iustitiam, quæ non comparatione, sed Dei scientia dicitur esse perfecta. Iob quoque & Zacharias & Elizabeth iusti dicuntur secundum eam iustitiam, quæ possit in iustitiam aliquando mutari, & non secundum illam, quæ nunquã mutari potest. Cernis lector Hieronymum in scripturis agnoscere duplicem iustitiam, vtramque veram & non falsam, sicut & duplicem perfectionem: sed tamen illam proprie esse veram iustitiam, & veram perfectionem, quæ Dei virtutibus coaptata nunquam mutari potest, nec additionem aliquam aut profectum admittere, quæ in Deo solo est. Prorsus itaque falsum est quod affirmat Illyricus, Hieronymum affirmare falsam esse omnem piorum in hac vita iustitiam, & omnem piorum iustitiam esse immundam. Augustinus quoque disertè scripsit: Iustitiam, secundum quam iustus ex fide viuit, quoniam per spiritum gratiæ homini ex Deo est, vera iustitia est. Et rursus lib. 19. de Ciuit. Dei.

Psal. 142.

Aug. cõtra 2. epist. Pelag. lib. 3. ca. 7. & de ciuita. Dei li. 19. c. 27.

Postre-

Postremo in hoc suo commentario Hieronymus declarat, quam putaverit esse testimonij Esaiæ intelligentiam. Si quis igitur, inquit, post Euangelium Christi, & aduentum filii Dei pædagogæ legis obseruat cæremontias, audiat populum confidentē, quod omnis illa iustitia panno sordidissimo cõparetur. Intelligit ergo Hieronymus dictum Esaiæ scriptum esse in persona hominū in lege volentium iustificari sine Christo, aut etiam post patefactam lucem ægeliæ veritatis cum Christo. Quæ sane intelligentia prorsus nihil ad iustificationem operum, seu iustitiam piorum pertinet.

Caullas
tio atrox.

Ad id quod contra iustorum iustitiam mundam & veram obiecerat Confessio: *Nec ipsi quidem celi aut angeli sunt coram Deo satis mundi: quomodo nos igitur homines?* Responderam, sententiam Iob per comparisonem Angeli cum suo creatore accipiendam esse. Addideram autem & hominis: non quidem intelligens hominē iam corruptū aut vitiarum. etiā sanctissimū: sed hominē, vt est creatura ad Dei imaginē cõdita recta, & integra, ac iusta, sicut angeli. sic enim Iob de homine loquitur: Verè scio, & ita est, quod nō iustificetur homo cõpositus Deo: cap. 9. & 4.

Iob 4. 9.
& 15.

Hanc responsionem atrociter intadit Illyricus: *Hieronymus, inquit, hanc dicit esse hæreticorum hæresin. Sic enim super Ieremias cap. 13. scribit: Ostendens nos vas esse fragile iuxta Apostolum dicentem: Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, nec posse fieri vt non impleatur in nobis quod scriptum est:*

Hiero. in
ca. 31. Hiero.
remia.
2. Cor. 4.
Rom. 7.

Non

Non enim habitat in carne mea bonum. & iterum: Non enim quod volo bonum hoc facio, sed quod nolo malum hoc operor. ac deinde: Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Hac autem ebrietate, qua obliuiscimur præceptorum Dei, & vitijs atque peccatis omnis humana impletur conditio, dicente Propheta: Non iustificabitur in cõspectu tuo omnis viuens: non ad cõparationem Dei (vt veteres & noui hæretici volunt, & patroni hæreticorum) sed ad scientiam eius. homo enim videt in facie, Deus autem in corde: & quod nobis interdum mundum videtur, illius oculis sordidum deprehenditur. Obserua, inquit, huius Theologiam, esse Hieronymo hæresin.

Sed tu vicissim Christiane Lector obserua quælo istius hominis impudentissimam calumniam, & putidissimum mendacium. Nusquam enim à nobis scriptum comperies, hoc Prophetæ testimonium: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens: accipiendum esse per cõparationē hominis cum Deo. non enim ignoramus ad Pelagianorum hæresin eam interpretationem pertinere: qui cū contenderent homines iustos sine omni peccato viuere, hoc Prophetæ testimonium, quod suæ sententiæ hæreticæ contrariari videbant: Non iustificabitur in conspectu Dei omnis viuens: dicebāt interpretandum esse per comparisonem cum Deo. hoc est, vt Propheta intelligeretur nō aliud dixisse, quàm quod humana iustitia cū Dei iustitia cõparata, nō esset vera iustitia. Sicut Iob dicit: Ecce inter sanctos eius nemo immutabilis, & celi, seu

Dilutio.

Psal. 148.

Iob 15.

X astra,

Iob 9. astra, seu angeli non sunt mundi in conspectu eius. & Iterum verè scio, quia ita est, & quod non iustificetur homo compositus Deo. & rursus: Nūquid homo Dei comparatione iustificabitur, aut factore suo purior erit? Ecce qui serviūt ei, non sunt stabiles, & in angelis suis reperit prauitatem. Sed verū prophetæ sensum peruertebant, qui non secūdum Dei comparationem, sed secūdum Dei scientiam sententiā protulit. Ita enim rem in veritate se habere, quod nemo viuens in conspectu Dei iustus sit, si cū eo Deus introeat in iudicium, quādoquidem nemo, quālibet iustus, sine omni peccato vitam duceret, & perfectam iustitiam haberet: non autē per comparationem, quo modo lux candelæ, solis luci comparata, tenebræ sunt potius quā lux. In terea tamen verum est, quod scriptura illa Iob, quam Confessio proponebat contra piorum iustitiam: Nec astra, siue angeli sunt mundi in conspectu eius: verissimè sit intelligenda, sicut responderam, per comparationem creaturæ angelicæ cum suo creatore. Sicut & de humana creatura sententiā verissimam pronunciauit Iob: Quod non iustificabitur homo compositus Deo. & rursus: Nunquid homo Dei comparatione iustificabitur, aut factore suo purior erit vir? Quamuis enim angeli & homo conditi fuerint iusti & recti, & ab omni peccato puri & mundi, non tamen Dei comparatione mundi fuerunt, quia eius munere, & non ex seipsis (vt inquit Bernardus) tales fuerint. res enim quæ

Iob 4.

Iob 9.

Iob 4.

Benard. serm. 5. de verbis Esaiæ.

quæ inter se inuicem comparantur, id, in quo comparatio sit, ex sua natura habere debet: non autem altera ex alterius dono & munere obtinere. Sic Hieronymus ipse scripturam Iob interpretatus est: Nec mirum, inquit, hæc de hominibus dicere, cū astra quoque, Dei iustitiæ comparata, non sint munda, & aduersus angelos suos peruersum quid excogitauerit. Satis opinor patefactam esse lectori malitiosam & sceleratam improbitatem, & calumniam, qua apud imperitos lectores, doctores Theologos tam impudenter traducere non est veritus. Et sanè præstitisset considerasse id quod de prophetis, qui videntur habere scientiam scripturarum, in commentario Hieronymi in cap. 13. Hieremiæ subiunctum est: Et prophetæ, inquit, qui videntur habere scientiā scripturarum, cū ebrij fuerint, disperguntur à societate sui, patresque à filijs, & filij à patribus separantur, vt diuersis polluantur hæresibus, & sub Christi nomine inter se digladiantur, & dimicent contra matrem suam, quæ eos genuit, ecclesiam. vnde dicit: Non desiderabo eos, sed odio habebo sempiterno: non parcā, & non concedam, neque miserebor, non crudelitate sententiæ, sed veritate iudicij. Qui enim meos populos trucidarunt, videlicet prauitate doctrinæ, ipsi in æternum peribunt.

Quoniam verò aduersarius commentarium Hieronymi in verbum Esaiæ virgere videtur, quasi Hieronymus omnem iustitiā, præter vnicā

X ij iusti-

Hieron. in cap. 64 Esaiæ.

Commentarius Hieron. per stringit Illyricos.

Hieron. lib. 1. contra Pelagianos.

1. Petri 4.

iustitiam Christi, immundam esse velit, possent ex ipso Hieronymo innumerę sententię proponi ex libris etiam contra Pelagianos: quibus apertissime affirmat, non omnem iustitiam piorum peccatum esse. Sed breuitatis studio vnicę tantum, eamque insuperabilem lectori ob oculos ponam ex libro 2. contra Pelagianos. in qua tractans Petri sententiam: Si iustus vix saluabitur, impius & peccator vbi parebunt? Certę, inquit, iustus est, qui in die iudicij vix saluatur. saluaretur autem facily, si nihil in se haberet maculę. Ergo iustus est in eo quod floret multis virtutibus, & vix saluatur in eo quod in quibusdam Dei eget misericordia. An non hic disertę pronunciat, in pijs esse veram iustitię, dum dicit, quod non in omnibus, sed in quibusdam tantum indigent Dei misericordia? At contra Illyricus hęretico sensu contendit pertinaciter, quod iustus in omnibus suis operibus indiget Dei misericordia.

Postremõ, quod ad verbum Esaiaę attinet, ex fine capitis: Ciuitas sancti tui facta est deserta: Sion deserta facta est: Hierusalem desolata est: domus sanctificationis nostrę, & glorię nostrę, vbi laudauerunt te patres nostri, facta est in exustionem ignis, & omnia desiderabilia nostra versa sunt in ruinam: nunquid super his continebis te domine, tacebis, & affliges nos vehementer? ex hoc, inquam, sine clarę confiare videtur, sermonem esse ex persona Iudęorum in captiuitate positorum vel Babylonica,

vel

vel Assyriorum, quod dicit Hieronymus Iudęis placere: vel Romanorum post euerfionem Hierusalem à Tito & Vespasiano, quod dicit sibi magis placere, qui conqueruntur se per orbem terrarum dispersos, amissa ciuitate & templo, nõ habere summum sacerdotiũ nec sacrificia secundum legis Mosi ritum, quibus possent emundari ab immunditijs suis, cum non possint iuxta legę offerre sacrificia pro peccatis populi. Nec sanę permittit circumstantia textus diligenter considerata, vt propheta in persona sua, & fidelis populi locutus esse intelligatur. Quod dicitur: Non est qui inuocet nomen tuum, qui confurgat, & teneat te: prorsus in fidelem populum competere non posse manifestissimum est. ad pręsentem igitur causam, (quod & Lutherus dixit) nihil pertinet prophetę sententia. Est quidem inter Catholicos diuus Bernardus, qui dictum prophetę refert ad personam fidelium quorumlibet: sed tamen in sermone 5. de verbis Esaiaę manifestę ostendit, quo sensu verba prophetę possint accipi de fidelibus & iustis: Cernere, inquit, est, quã sit iustitia illa sublimis, quã sicut montes Dei propheta esse miratur. Nostra enim si qua est humilis iustitia, recta forsitan, sed nõ pura. nisi fortę meliores nos esse credimus, quã patres nostros, qui nõ minus veraciter quã humiliter aiebãt: Omnes iustitię nostrę, tanquam pannus menstruatę mulieris. Quomodo enim pura iustitia, vbi adhuc non potest culpa deesse? recta proinde interim videri

X iij potest

Hac interpretatio, placet Lyrano.

Benardi sententia in serm. 5. de dedica. templi, exponenda est per serm. 5. de verbis Esaiaę.

potest iustitia hominum, si tamen peccato non consentiant, ut non regret in eorum mortali corpore? Nam primi hominis initio quidem non modo recta, sed etiam pura fuit, quamdiu ei datum est nec sentire peccatum. Cæterum & hæc ipsa quoniam firma non fuit, & puritatem facile perdidit, & ne ipsam quidem retinuit rectitudinem suam. Sanè apud angelos iustitia recta, pura, & firma est: sublimis quidem, sed adhuc longè inferior quàm diuina. non enim innata est eis, sed à Deo collata, ut natura ipsa quod ex se est, non modò iustitiæ, sed etiam iniustitiæ capax inueniatur. Nunquid non ista est prauitas quædam, quam in angelis suis vera illa iustitia legitur inuenisse? Non enim in conspectu tuo iustificabitur omnis viuens, ait is, qui Dei iustitiam minimè ignorabat. Nec ait, omnis homo: sed omnis viuens. fortè ut ne ipsos angelicos eum noueris spiritus excepisse. viuunt enim & ipsi tanto verius, quâto propius adstant ei, apud quem est fons vitæ. Nihilominus etiam iusti sunt, sed ex eo, non coram eo: munere eius, non in eius comparatione. Ex quibus verbis euidentissimè constat, quod Bernardus sententiam Prophetæ: Omnes iustitiæ nostræ tanquàm pannus menstruæ mulieris: non alio sensu de iustis & fidelibus intelligit, quàm quia iustorum iustitia nō est prorsus expers omnis culpæ: seu quia iustorum quamlibet iusta vita aliquibus peccatis admista est, quæ condonatione secundum Dei misericordiam opus habent.

Sextum

Sextum argumentum superius satis discussum est.

In septimo argumento citauerat Confessio dictum Augustini: Totius fiducia certitudo sita est in pretioso sanguine Christi, & aliud dictum ego citaueram illi simile: Omnium piorum sub hoc onere carnis corruptibilis, & istius infirmæ vitæ gementium spes vna est, quod aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum iustum, & ipse est exoratio peccatorum nostrorum.

Respondi, dictum Augustini satis manifestam habere intelligentiam, nempe quia iustitia quorumlibet vel sanctissimorum hominum imperfecta esset, & maculis quibusdam admista, nobis non esse spem perueniendi ad vitam & salutem æternam, nisi per aduocatum illum nostrum mediatorem Christum, peccatorum nobis fieret remissio & condonatio. Ex eo verò consequens non esse, quod omnis piorum iustitia sit iniustitia: aut quod omnis piorum iustitia sit exclusa à ratione iustificationis coram Deo, aut omnis omnino gloria piorum in Deo, cuius dono & munere iustitiâ verâ operati essent. & hæc responsionem firmam video, & minime per aduersarium labefactatam.

Respondet quidem ille, quod non omnis operatio & virtus iustorum ac piorum sit per sese ac simpliciter iniustitia: sed quia manca, musila ac contaminata est, ideo adeo non posse consistere suanatura in seuerissimo Dei iudicio, ut ipsa quoque virtutes nostræ, aspersione & propiciatione sanguinis Christi, & gratuita acceptatione indigeant.

X iiii

Vnde

7. Argu-
mentum.
In medic.
cap. 14.

Lib. 2. cō-
tra 2. episc.
Pelag. c. 5.

Cauilla-
tio.

Rom.7. Vnde autem habeant virtutes iustorum contaminationem, dicit constare ex Paulo ad Romanos 7. copiosè & perspicuè de suis bonis conquerente.

Dilatatio. Respondeo. Ex ijs quæ superius dicta sunt satis perspicuum esse: Ex malo adiacente in carne hoc quidem fieri, quod Paulus & iustus quilibet non faciat bonum, ea perfectione qua faceret si liber esset ab eo malo & lege membrorum. Verum eam imperfectionem non cõtaminare labe aliqua peccati ipsam iustitiam, quam iustus operatur (sicut ex Augustino superius demonstraui) & ipse Paulus palam testatur, quod quando iustus carne tantum seruit legi peccati, sentiens quidem prauos legis carnis motus, sed non consentiens, nihil sit illi damnationis, id est, nihil peccati, ob quod à Deo damnari vel iudicari possit.

Libro de perfecti. iustitiae. De spir. et lit. epistola ad Aselicum. Rom. 8.

8. Argumentum. Prou. 24. In defensione octaui argumenti ex sententia Salomonis, Omnes vel sanctissimos, septies, id est, sæpissimè in die peccare, eoque semper indigere peccatorum remissione. & ex Augustini sententia: Tanta est iustitia nostra in hac vita, vt potius peccatorum remissione constet, quam perfectione virtutum. denique Hilarij sententia: Spes in misericordia Dei est in sæculum sæculi, concludit Illyricus: *Si igitur nostra iustitia virtutum adeo manca & mutila est, adeoque iniusta, vt perpetua propitiatione & acceptatione indigeat, quomodo potest nos iustificare coram Deo?*

Cauilla tionis dilatio.

Respondeo, Sententias citatas non asserere quod

quod piorum iustitia sit iniusta, aut labe peccati contaminata, sed solum quod sit imperfecta. Hoc enim est quod Augustinus signanti & disferro verbo dixit, piorum iustitiam non consistere in perfectione, hoc est, consummatione virtutum, videlicet absque vilius culpæ admissione. Ex quo non potest concludi, quod ipsa iustitia nostra, sit iniustitia, vel quod acceptatione ac condonatione indigeat: sed tantum, quod culpæ, quæ iustitiæ admiscetur, hoc est, quas pius iustam vitã agens sæpissimè admittit, opus habent remissione peccatorum. Id igitur Illyricus in sua ratiocinatione viciosissimè adsumit, quod vnum probandum erat, & de quo cum ipso controuersia est.

Solidissimè igitur & verissimè scripseram, illud Psalmi: Ne intres in iudicium cum seruo tuo Domine: rectè de toto vitæ nostræ quamlibet sancto cursu dici: quia quamdiu in hac fragili carne viuitur, non est tam perfecta vita piorum, vt ab omnibus maculis sit immunis: non autem rectè dici de singulis piorum virtutibus, quasi nõ possint consistere in Dei iudicio. & rursus: Talem esse iustitiam piorum in hac vita ex fide viuentium, vt ipsa sola ad vitã obtinendam non sufficiat, nisi fide etiam impetrent eorum delictorum, quæ crebro per fragilitatem admittunt, veniam.

Psal. 142.

In nono argumento citauerat Confessio parabolam de seruo ex agro reuerfo Luc. 17. vbi Dominus concludit etiam sanctissimos homi-

9. Argumentum.

nes, & si omnia facerent, debere agnoscere se esse seruos inutiles, nihil merentes.

Responderam. Christum dum iuberet Apostolos agnoscere & profiteri se esse seruos inutiles, etiã si præcepta omnia impleissent, admonuisse eos, vt semper quid, qualisue ex sese essent, & quid, qualisue essent ex dono gratiæ Dei, cõsiderarent. Item quid ab illis tanquã dominus summo iure exigere posset Deus, & quid de illis tanquã benignus pater statuatur. Quam respõsionem Ambrosij & Bedæ testimonijs cõprobauit.

Cauillatio.

Audi iam calumniosissimas & mendacissimas cauillationes Illyrici. *Respondeo, inquit, Non tantum est admonitio humilitatis, sed etiam solida doctrina veritatis. quod abundè ostendit adiuncta similitudo serui, cuius ea cõditio est, vt nihil planè mereri queat. Sumus autem omnes reuera serui.*

Dilutio.

Respondeo. Hominis iltius peruerfitas in hoc primum apparet, quòd respõsionem nostram alioqui factis perspicuam studiose & malitiose peruertat: quasi dixissem, Christum admonuisse Apostolos vel sanctissimos, non ex veritate, sed tantum ex humilitate falsa scilicet & mentita debere profiteri, se esse seruos inutiles: cum secundum veritatem serui inutiles non essent, sed potius viles. Est, inquit, solida doctrina veritatis, & non admonitio humilitatis. Sed quæso te ò bone, cum Paulus seipsum metiens ex seipso, magna humilitate de se scriberet: Ego sum abortiuus, & minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus

cutus sum ecclesiam Dei. Gratia autem Dei sum id quod sum, & gratia eius in me vacua nõ fuit: sed abũdantius illis omnibus laboraui. nõ ego autem, sed gratia Dei mecum: veritatis doctrinam non tenuit, dũ humiliter agnoscit & profiteretur quid & qualis ex seipso esset? Sic ergo & admonitio humilitatis à Christo Apostolis facta cõtinet doctrinã veritatis. Non enim voluit Christus vt dicerent & profiterentur se esse seruos inutiles, cum omnia fecissent, quæ præcepta erant, cum tamen tales non essent: sed admonuit eos, vt postquã omnia fecissent, adhuc tamẽ agnoscerent se esse seruos inutiles. vt pote qui mandatorũ omnium impletione nihil Domino vtilitatis aut cõmodi attulissent. quẽadmodũ interpretatur Ambrosius, Chrysostomus, & Beda, vt mox apparebit ex eorum testimonijs. quodq; serui essent domini illius, cuius madata impleissent, & deniq; quod nõ præstiterint aliquid, ad quod præstandũ alioqui obstricti nõ essent. Dicite, inquit, hoc est, agnoscite, & ingenuè profiteamini, cũ omnia feceritis, vos seruos esse, vos inutiles seruos esse, vos fecisse quod facere debuistis. Hæc humiliter & simul veraciter cõsiderate diligentius, ne in superbiã aliquam aut inanẽ gloriatiõem extollamini. Et recte scripsit August. In parte veritatis, nõ in parte falsitatis humilitatẽ collocandã. Audi iã alterã calumniã.

1. Cor. 15.

Luc. 17.

August de nat. & gratia, ca. 34. Cauillatio mēda cissima. Dilutio.

Sic et Thomas in prima secũdæ disputat. Nos reuera nihil apud dominũ mereri. Primũ lector hic cõsidera quæso callidè istũ hominẽ statum disputationis relin-

relinquere, & subdolè se aliò conferre. Quæstio enim proposita est, Vtrum opera iustorum bona, possint aliqua ex parte iustificationi coram Deo admisceri. & nunc se transfert ad quæstionem longe diuersam: An operibus bonis iustus aliquid apud Deum mereatur. Atqui manifestum est, quod etiam si bona opera non essent meritoria apud Deum (quod tamen falsissimū est, & sanctis scripturis contrarium, vt suo loco demonstratur à Catholicis) possunt tamen admisceri iustificationi, si pura prorsus, bona, & in cõtaminata essent. Sed qua fraude hoc faciat homo iste, mox cognoscetur. Iam quod scribit D. Thomam in prima secundæ disputare, & affirmare, nos reuera nihil apud Deum mereri, impudentissimum mendacium esse demonstrat quæstio 114. in qua ostendit hominem bonis operibus non solum posse aliquid à Deo mereri, sed etiam posse vitam æternā à Deo promereri, idque ex condigno. Sed hoc fortasse calumniatur Illyricus, quod in articulo primo, in corpore siue resolutione scribit: Iustitia, æqualitas quædam est, vt patet per philosophū 1. Ethicorum, & ideo simpliciter est iustitia, inter eos quorum est simpliciter æqualitas: eorū vero quorum non est simpliciter æqualitas, non est simpliciter iustitia, sed quidam iustitiæ modus potest esse. sicut dicitur, quoddam ius paternum aut dominatiuum. vt in eodem libro philosophus dicit. Et propter hoc, in quibus est simpliciter iustitia, est & simpliciter ratio me-

Thomas
2.2. q. 114.

rit

riti & mercedis: in quibus autem est secundum quid iustū, & nō simpliciter, in his etiā non simpliciter est ratio meriti, sed secundum quid in quantum saluatur ibi ratio iustitiæ. Sic enim & filius meretur aliquid à patre, & seruus à domino. Manifestum est autem, quod inter Deum & hominem est maxima inæqualitas. in infinitum enim distant, & totum quod est hominis bonum, est à Deo. Vnde non potest hominis ad Deum esse iustitia secundum absolutam æqualitatem, sed secundum proportionem quandam, in quantum scilicet vterque operatur secundum modum suum. Modus autem & mensura humanæ virtutis, homini est à Deo. Et ideo meritum hominis apud Deum esse non potest, nisi secundum præsuppositionem diuinæ ordinationis, scilicet vt homo id consequatur à Deo per suam operationem, quasi mercedem, ad quod ei Deus virtutē operandi deputauit. Cernis lector, falsissimum esse, quod scribat Thomas: Nos reuera nihil apud dominum mereri. Docet enim clarissimè: Quamuis secundum absolutam iustitiam seu æqualitatem, quæ tantum est inter eas personas, quarum neutra ab altera dependet, aut virtutem operandi accipit, inter hominem & Deum non possit esse meritum: posse tamen inter eos, præsupposita diuina institutione aut ordinatione, qua homini Deus attribuit virtutem operandi ad consequendam æternam salutem, & ea quæ sunt salutis, esse verum meritum. quod tamen agnoscatur inter-

riga

rim esse verum Dei donum. Atque hoc ipsum vult Christus, diligenter considerare Apostolos cum omnia mandata impleverint, se iure Domini tanquam veros dominij Dei servos, omnia officia præstita debuisse ei præstare & absolute, tantum considerata dominij & servitutis ratione, nihil pro studijs & laboribus præstitis mercedis deberi: præsertim cum labor omnis & studium nihil domino vtilitatis attulerit, sed ipsis potius vtilis fuerit. atq; hac humili & vera consideratione & cogitatione superbiam declinent aut inanem gloriationem. Verùm quia non summo suo iure Deus cū hominibus agere constituit, sed quosdam sibi in filios adoptavit, ordinās eos in vitam æternam, & attribuens illis idoneam virtutē ad eam cōsequendam & promerendam, tanquā benignus pater, ideo labores eorum & officia ipsi præstita nō fore irremunerata iusto premio & mercede. Sic sane Ambrosius, Beda, & Chrysostomus locum parabolæ exponunt, quorum testimonia mox adscribemus. Sed Augustini illustrem sententiam in sermone 3. de verbis Domini adscribere non fuerit inutile: Vos amici mei estis, inquit Christus, si feceritis omnia quæ mando vobis. O magna bonitas Dei, cui cūm pro conditione reddere debeamus obsequium, vt pote serui Domino, famuli Deo, subiecti potenti, mancipia redemptori, amicitiarum nobis præmia repromittit, vt à nobis obsequia debite servitutis extorqueat: vt quos nolle seruire

Aug. serm. 3. de verb. dom. illustris sententia.

con-

conspicit, sponte beneficiorum possit promissionibus inuitare.

Audi lector aliam calumniam impudentissimam. *Hic verò, inquit, audeat citare contra nos Hieronymum & Bedam de hoc loco differētes, at illi sunt prorsus contra eum.*

Cauillatio sceleratissima

In Confutatione citaueram Ambrosium & Bedam, nulla facta Hieronymi mentione: sed fraudulentus iste homo cūm videret extare in Hieronymo sententiam, quæ imperitum lectorem fallere posset, per apertum mendacium captans occasione citandæ illius sententiæ, fraudulenter scripsit me citasse Hieronymi testimonium. Sed audiamus tamen Hieronymi sententiam.

Sic, inquit, Hieronymus scribit: Hæc hominibus sola perfectio est, si imperfectos esse se nouerint. Et vos, inquit, cūm omnia feceritis, dicite, serui inutiles sumus. Quod debuimus facere, fecimus. Si inutilis est qui fecit omnia, quid de illo dicendum erit, qui explere non potuit? Unde & Apostolus ex parte accepisse, & ex parte comprehendisse se dicit, & necdum esse perfectum.

Respondeo verissimam esse Hieronymi sententiam: Eam solam esse hominis perfectionem in hac mortali vita, quod imperfectos se esse nouerint: tum quia in multis offendimus omnes, tum quia etiam si in nullo offenderemus, propter carnem tamen corruptam, & carnem in lege habitantem, non perficimus, hoc est, non ea perfectione legem implemus, qua id faceremus, si à malo habitante in carne liberati & expediti essemus.

Et hæc

Et hæc est Pelagianorum superbia, quos redarguit Hieronymus, quod nostra iustitia, sit in hac vita perfecta, & sine omni peccato. Quod autem addit Hieronymus sententiam Christi ex parabola, eò pertinet, vt intelligat Pelagianus, eum etiam qui omnia expleuit, debere profiteri seruum se inutilem: & proinde multo magis eum qui non valuit omnia explere. Quo verò sensu, etiam is qui expleuit omnia, debeat dicere se seruum esse inutilem, & quod debuimus facere, hoc fecimus, ne verbulo quidem explicat. Et profecto quod Hieronymi sententia nō sit, iustos deberi profiteri se seruos inuitiles, eo quod omnis eorum iustitia, sit iniustitia, (vt vult Illyricus) iam antè satis ostendimus, dum sententiam eius proposuimus, in qua disertissimè dicit: Iustos non in omnibus suis operibus indigere misericordia in iudicio Dei, sed tantum in quibusdam. Vides Christiane lector, ne verbulum quidem inesse Hieronymi testimonio, quod sit contra nos, vt cauillatur Illyricus. Iam Bedæ sententiam excutiamus, quam indicaueram tantum, verba non adscripseram. Sic & Beda, inquit, contra istorum meritorum humanorum iactatorem pronunciat. (Animaduerte lector, quod relicto statu disputationis, fraudulenter ad quæstionem de meritis se transfert) Si homo, inquiens, ab homine seruo non vniforme, sed multiplex ministerium exigit, nec tamen ei gratiam habet, quanto magis vos, qui sine me nihil potestis facere? non temporum longitudine

Hiero. li 2
cōtra Ctesiphontē.
Beda sententia sua
per illud
Luc. 17.

dine laborū merita pensare debetis, sed amore & famulatu spontaneo, nouis semper studijs augere priora. itaque dicite, serui inuitiles sumus. Serui quidem, quia pretio empti estis. Inuitiles verò, quia dominus bonorum vestrorum non indiget. Si autem inutilis est, qui fecit omnia, quid de illo dicendum est, qui explere quæ præcepta sunt vel infirmitate non potuit, vel, quod peius est, superbia despexit?

Ioan. 15.
1. Cor. 6.
Psalm. 15.

Hic sanè explicat Venerabilis Beda, qua ratione intelligat, eos etiam qui omnia cōplent, seruos esse, & inuitiles, dum dicit: Serui quidem, quia pretio empti estis. Ecce ius domini. Inuitiles verò, quia dominus bonorum vestrorū non indiget, nec vos potestis domino omnium aliquid vtilitatis operibus vestris etiam bonis adferre. Atq; hæc est planè nostra sententia. Non autem interpretatur seruos esse inuitiles, quia immunda sunt omnia eorum studia, omnisque eorum obedientia. Quid igitur causæ habet cauillator, vt scribat Bedam contra nos esse? Sed scio quæ verba Bedæ vrgeat contra nos: Non temporum longitudine laborum merita pensare debetis, sed amore & famulatu spontaneo, nouis semper studijs augere priora. At hæc ad merita iustorum pertinent, non ad præsentem quæstionē. Sed mox ad cauillationē Illyrici respondebo, vbi adhuc alia quedā de meritis Venerabilis Bedæ dicta citauerit. Aliā igitur Beda dat parabolæ interpretationem: Vel aliter, inquit, serui sumus inuitiles, quia nō sunt cōdignæ

Rom. 8.

Y passio-

passiones huius temporis ad superuēturam glo-
 riam quæ reuelabitur in nobis. & alibi: Qui co-
 ronatur in miseratione, & misericordia: non
 ait, in meritis & operibus tuis: quia cuius mise-
 ricordia præuenimur ut humiliter seruiamus:
 eius munere coronamur, ut sublimiter cum illo
 regnemus. & paulo post: Hæc igitur est in ho-
 minibus sola perfectio, si omnibus quæ præce-
 pra sunt impletis, imperfectos se esse nouerint:
 & quâdiu peregrinatur à domino, semper inesse
 sibi mala quæ desistant. Semper meminerint
 deesse bona, ad quæ gratia eius iuuante profi-
 ciât. In qua sententiâ dicit, iustos propterea posse
 dici seruos inutiles, quod opera & merita ipso-
 rum non sint cõdigna superuentura gloria que
 reuelabitur in nobis. *Hæc contra iustorum merita
 dicta esse iactat Illyricus.* Sed Bedæ sententiam aut
 non intelligit, vel, quod magis credo, malitiose
 se intelligere dissimulat. Opinor enim eum nõ la-
 tere quod scribit August. Bedæ magister: Nullã-
 ne igitur sunt merita iustorũ? Sunt planè, quia
 iusti sunt: sed ut iusti fierent, merita nõ fuerunt.
 & alibi: Si merita nostra sic intelligerent Pela-
 giani, ut ipsa etiam dona Dei esse cognosceret,
 non esset reprobanda sententiâ: Hanc esse solam
 gratiam non secundum merita nostra, qua ho-
 mini peccata dimittuntur: illa verò, quæ datur
 in finem, id est, vitam æternam, meritis nostris
 reddi. Quoniam verò merita humana sic præ-
 dicant, ut ea ex semetipso hominem habere
 dicant, prorsus rectissimè respondet Apostolus:
 Quis

Aug. epi-
 stola 105.
 ad Sixtũ.

Libro de
 gratia &
 lib. arb.
 cap. 6.

Quis te discernit? quid habes quod non acce-
 pisti? & rursus: Audi & intellige: Non ex ope-
 ribus dictum tanquam tuis tibi ex teipso exi-
 stentibus: sed tanquam his in quibus te Deus
 finxit. & rursus: Non ex te tibi est iusticia, cui
 debetur vita æterna. Ex his Augustini sententijs
 cogitur vel inuitus fateri Illyricus, Bedam eius
 fidelem discipulum non alia merita reijcere,
 quàm quæ sic nostra putamus, quasi ex nobis
 ipsis essent. Idem liceret ostendere de illa sen-
 tentiâ, quâ Beda citat ex Psalmo: Qui coronatur te
 in misericordia & miserationibus: nisi prolixitas
 extra causam quæ nunc proposita est, prohibe-
 ret. Vide lector, si lubet, Augustinum de gratia
 & libero arbitrio cap. 9. item de spiritu & li-
 tera cap. 32. Credo satis exclusam esse cauilla-
 tionem intempestiuam Illyrici de meritis re-
 probatis à Venerabili Beda. Iam quod Beda di-
 cit: Quamdiu peregrinamur à domino, semper
 inesse nobis mala quæ desistant: & semper me-
 minisse nos debere deesse bona; ad quæ gratia
 eius iuuante proficiamus, quis obsecro, nisi Pe-
 lagianus, negare potest? Semper enim deplorã-
 da est naturæ nostræ corruptio, per quam fit,
 ut non perfectè impleamus legem, imo multa
 delinquamus, & ad summam perfectionem nõ
 perueniamus in hac vita mortali, sed semper ha-
 beamus ad quod Dei gratia proficiamus. Sed hic
 Christiane lector fidem tuã obtestor, num ego
 peruersitate, ut audet scribere Illyricus, extre-
 ma, & studio tuèdi agnitos errores, patrũ loca,

1. Cor. 4.
 Ibidem
 cap. 8.
 Epist. 105.

Augus de
 gratia &
 lib arbit.
 cap 9.
 De spir. &
 lit. cap. 32.

Hieronymi videlicet & Bedæ, citauerim, quæ directè contra nos pugnare non ignorarem. Non sanè comperies vel in Hieronymi, vel in Bedæ testimonio verbulum vnum, quo confirmetur vel in speciem blasphema doctrina istorum: Omnem vel sanctissimorum, qui etiam omnia mandata expleuerit, obedientiam & iustitiam immundam esse & iniustitiam, ex eo quod scriptum est: Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, serui inutiles sumus.

Iam audiamus Ambrosij sententiã, nostram eius loci interpretationem planissimè confirmantem. Nemo, inquit, in operibus glorietur, quia iure domino debemus obsequium. Nam si non dicis seruo aranti, aut oues pascenti, trãsi, recumbes: sed exigis ab eo aliud ministerium, & gratias ei nõ agis: ita nec in te patitur dominus vnus esse vsum operis aut laboris. quia dñ viui- mus, debemus semper operari. Ergo agnosce te esse seruũ, plurimis obsequijs desceneratũ. Non te præferas, quia filius Dei diceris. Agnoscenda gratia, sed non ignoranda natura. Neq; te iactes si bene seruisti quod debuisti. Vas gentium, electus à domino: Non sum, inquit, dignus vocari

i. Cor. 15. Apostolus, quia persecutus sum ecclesiam Dei. deinde alibi, nullius se ostendens consciũ culpæ, subiicit: Sed non in hoc iustificatus sum. Et nos ergo non à nobis laudem exigamus: nec præripiamus iudicium Dei, & præueniamus sententiam iudicis, sed suo tẽpore suo iudici reseruemus. An non docet Ambrosius hanc domini para-

Ambr. supra Lucæ cap. 15.

i. Cor. 15.

parabolam eò pertinere, vt naturam nostram humiliter considerantes, de gratia Dei, qua vel omnia expleuerimus, non extollamur, ac nos ingenuè Dei dominio tanquã seruos obstrictos, omne illi officium sine gratiæ expectatione prò- pros & paratos esse summo iure debere: vbi verò vel verbulum vnum apparet de immunda vel sanctissimorum apostolorum obediẽtia seu iustitia? A diungemus & D. Chrysoftomi testimonium: Cætera quidẽ mala nobis negligenter agentibus solent exuperare, at arrogantia ipsis rectè factis nostris adnascitur. Nihil enim perinde gignit superbiam, vt bona conscientia, nisi aduigilemus. Vnde & Christus sciens, quod post benè facta nos hic morbus adoritur, dicebat discipulis suis: Cum omnia feceritis, dicite, serui inutiles sumus. Cum enim hæc noxia bestia parat inuadere nos, tunc, inquit, per hæc verba fores illi occludite. Neque dixit: Cum omnia feceritis, inutiles estis: sed vos dicite, inutiles sumus. Dic, ne metuas. non ex tuo iudicio fero sententiam: nam si tu te ipsum dixeris inutilem, ego te vtĩ utilem coronabo. hoc est, si tu te ipsum ex temetipso inutilem esse, & nullum Deo fructum bonum ex teipso adferre agnoueris, & professus fueris: & si quid boni agis, hoc ex Deo tibi esse, & non ex teipso, sicut veritas ipsa habet, ego te non iudicabo inutilem: sed aspiciens ad bona, quæ ex meo dono operatus es, de quibus non extolleris, sed de quibus humiliter gratias agis, te

Y iij vti

Chryf. de verbis E-
saię hom.
3. insignis
sententia.

vtilem seruū in iudicio pronuntiabo. Vbi quæſo hic vel verbulū vnum de obediētia vel ſanctiſſimorum iuſtorū, immunda tota & cōtaminata?

Ad parabolas illas, quibus quidā ſerui boni & fideles, tanquā vtiles domino, accipiunt præmium & mercedem à domino, ſeruo inutili, & qui nullum fructū domino ex pecunia ſibi concredita attulit, proſecto in tenebras: ex quibus colligebam, quod bonorum & fidelium ſeruorum obſequia non eſſent immunda, & contaminata corā Deo, ſed tanquā munda & ſancta, grata & accepta, ac proinde ad iuſtificationem conferentia: Reſpondet, *quod Deus gratioſe interdum ſua dona in nobis coronat.* Hæc eſt paſſim Illyrici inanis ſcripturarum eluſio. At nunquam pijs mentibus perſuadebit, quod iuſtus & rectus Deus ſua dona contaminata vitio hominum in iſtis coronabit propter obtentum & præteritum alienæ iuſtitiæ. Et obſecro te Chriſtiane lector, quomodo poſſet Deus iuſtus & pius ſeruum fidelem, qui omnia mādara ſedulò expleuiſſet, & obijſſet, tanquam inutilem ac immundum in tenebras exteriores conijci mandare? Quia tam crebrò, tamque odioſè in ſuo ſcripto Illyricus obijcit hæc duo proxima testimonia, ex propheta Eſaia, & ex parabola euangelica, in ijs robur vel præcipuum ſuæ peruerſæ doctrinæ conſtituens, ideo copioſius confutandæ fuerunt eius inanes cauillationes.

Decimū argumentū non fideliter & ſyncerè exponit, vt habeat occasionem, noſtram confutationis.

Eſaig 64.
Luca 17.

10. Argu-
mentum
confuta-
tionis.

tationem & reſponſionem cauillatione aliqua ſuggillandi. Proponit enim Confefſio totam ſcripturam eò directam ex profeſſo, vt omnes concludat ſub peccatum, ſeu omnes conuincat eſſe perditiffimos peccatores, ac velle Deū omnes ſupplices dicere: Tibi domine iuſtitia ac gloria, nobis verò confuſio faciei. Coram te nemo eſt innocens, ſi iniquitates obſeruaueris.

Ad hoc argumentum ego reſponderam, ſcripturæ illud testimonium, Deum cōcluſiſſe omnes tam Iudæos quàm gentes ſub incredulitate, non aſſerere, omnes perpetuò manere ſub incredulitate: ſed hoc tantum docere, incredulos & perditos naſci omnes, tam Iudæos, quàm gentes. Ita & illud quod dicit Apoſtolus: totum mundum ſubditum eſſe iuſtæ iræ Dei & peccato: non ſignificare totius mundi homines, etiam fideles, perpetuò eſſe in ira Dei conſtitutos, tanquam perditos peccatores & impios: ſed eos tales eſſe ex ſua corrupta natiuitate, & tales perpetuò permanere, niſi per fidem in Chriſtum regenerentur. Ad Danielis autem & fidelium præcationem perpetuam pro venia & peccatorum remiſſione, Reſponderam, fideles humiliter ſemper precari debere pro remiſſione peccatorum, quæ per infirmitatem admittunt: deinde etiam pro peccatis populi etiam impij.

Cauillatur hic Illyricus, *me ſcripturas, quæ de peccatorum remiſſione perpetuo petenda admonent, vt mandatū dominicæ præcationis, & dictū illud Salomonis*

Rom. 11.
Galar. 3.

Rom. 3.

Cauilla-
tio.
Matth. 6.
Prou. 14.

X iij de

de septies aut sepiſſimè cadente iuſto exponere de prima hominum conuerſione: at Paulum exponentem ſuam, omniumque etiam ſanctiſſimorum hominum ſeruitatem peccati, & dicta iam citata, iſtam ſophiſticam eluſionem grauiſſimè redarguere.

Dilutio.

Sed confido lectorem clariffimè cernere improbi & mendacis hominis inanem cauillationem, quia ad propoſitam ſcripturam: Concluſit Deus omnia ſub incredulitate, vel ſub peccatum: reſpiciens, de corrupta natiuitate, in qua impij, & ſine fide naſcuntur omnes, aliquid dixi, deque noua regeneratione, & rectè dixi. eò enim perſpicuum eſt hoc teſtimonium pertinere. Sed mox de Daniele, & alijs quibuſlibet fidelibus ſubiecti, eos perpetuò precari debere pro peccatorum, quæ per infirmitatem carnis admittuntur, remiſſione, & deinde pro aliorum peccatis. Verùm ex eo conſequens non eſt, quod omnis obedientia fidelium, aut etiam Danielis, perpetuò eſſet peccatum, iniuſtitia, aut contaminatio. Quia (vt inquit Hieronymus) non in omnibus ſuis operationibus indigent iuſti miſericordia ignoſcente, ſed tantum in quotidianis quibuſdam culpis & offenſis, quod palam Salomon dicit, dum ſcribit: Septies eum qui iuſtus eſt cadere, & dominus etiam filios ſuos pro debitis iubet perpetuò orare. Pauli vero ac iuſtorum perpetua ſeruitus peccati, nullius peccati eos reos conſtituit, niſi ſeruituti illi conſenſum adhibeant, iuxta dictum Pauli: Nihil igitur damnationis iis eſt, qui non ſecundum carnem ambu-

Rom. 8.

ambulant. Sophiſtica igitur verè eſt inanis Illyrici cauillatio.

Vndecima probatio fuit: totum iſtud dogma de iuſtificatione per opera iuſta, & per donum Spiritus ſancti cordibus infuſum, proteſtatur ſacrificium Chriſti nos ad plenum iuſtificare, & ſeruare non poſſe, eoq; noſtra opera addenda, vt quaſi debita meſura, iuſtitia noſtræ, & pretium ſalutis noſtræ expleatur.

*II. Argu-
mentum
Confess.*

Reſponderam, vanam proſus & calumnioſam eſſe eam probationem. Non enim docere catholicos, iuſtificari homines per bona opera, vt iuſtitia & obedientia Chriſti, tanquam inſufficienti per ſua bona opera opitulentur: ſed quia docet ſcriptura, quod non conſtituit Deus eos ſaluos facere, niſi per bona opera, adductis ſcripturis duabus, quibus reſponſionem confirmarem.

Hic primùm obijcit Illyricus: *Non ſane hiſce ipſis verbis, & voce, opitulandi, in hac ſententia vti catholicos, ſed tamen certò eò rem redire. Si enim Chriſtus nos ad plenum ſeruare poſſet, non neceſſe eſſet noſtris operibus iuſtificari, ac pro peccatis noſtris ſatiſfacere. Quare illi impia ſua doctrina iuſtificationis, non tam opitulari volunt, quàm eum plane ex ſalute noſtra excludunt.*

*Cauilla-
tio.*

Verùm impiam hanc cauillationem ſpiritus ſanctus in ſcripturis diuinis palam cõfutat, quæ Chriſti docent obedientiam, iuſtitiam, & ſacrificium poſſe & iuſtificare, & ſaluare, non tantum nos, ſed etiam vniuerſos totius mundi

Y v homi-

Hebr. 11. homines. Vna oblatione, inquit Paulus, consummauit in sempiternum sanctificatos. item:
 1. Ioan. 3. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro rotius mundi. & iterum: Ipse dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. Et simul docent, Deum requirere obedientiam, nouam vitam, & iusta opera ab ijs quos iustificat & saluat, idq; vt semel per fidem, gratis, sine antecedentibus operibus bonis iustificari, & reconciliati, amplius per bona opera iustificentur, & ad finem salutis æternæ per fructum bonorum operum perducantur. Quod quidem requirat à iustificatis nouam & iustam vitam, atque obedientiam erga legem, non audet negare Illyricus. Quod autem nouam & iustam vitam, ac iustæ vitæ bona opera requirat Deus, vt per ea consequantur salutem æternam, & vt amplius iustificentur, hoc superius perspicue & solide probauimus ex scripturis. Factores legis iustificabuntur. Abraham ex operibus, scilicet per fidem factis, iustificatus est. Factor operis beatus in facto suo erit. Cum timore & tremore vestram salutem operamini. item: Id quod in præsentem est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternæ gloriæ pondus operatur in nobis. item: Per bona opera certam facite electionem vestram & vocationem. & rursus: Sic currite vt comprehendatis. item: Bonum certamen certauit, cursum consummauit, fidem seruauit: de reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet

Rom. 2.
Iacobi 2.
Iacobi 1.
Philip. 3.
2. Cor. 4.
2. Pet. 1.
1. Cor. 9.
2. Tim. 4.
1. Tim. 6.

det mihi iustus iudex. rursus: Certa bonum certamen, apprehende vitam æternam. sectando scilicet iustitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem. item: Diuitibus huius seculi præcipe, non sublimem sapere, sed diuites fieri in bonis operibus, vt apprehendant veram vitam. deniq; Math. 25 Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod paratum est vobis ab origine mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare. Hæc cum ita sint, satis perspicuum esse arbitror vanissimam esse istorum cauillationem, qua per iustificationem operum dicunt vel excludi salutem nostram, vel certe nos per iustificationem operum opitulari Christo: quasi eius obedientia & iustitia ad plenum nos seruare non possit. Si enim, inquiunt, Christus nos ad plenum seruare possit, non necesse esset nos nostris operibus iustificari. Cum igitur spiritus sanctus in scripturis doceat inter se coherere, Christum nos ad plenum posse seruare, eiusque passionem esse sufficientissimam & potentissimam ad salutem, & tamem iustorum opera bona ad iustitiam & salutem esse necessaria, & ad ea valere, eaque esse causam salutis nostræ, recte vtrumque docent Catholici: nec difficile est doctrinam spiritus sancti intelligere, si consideretur, quod opera bona iustorum sint eius dona: nec fiant à iustis, nisi per eius gratiam, atque etiam operationem in nobis, iuxta doctrinam Pauli: Deus est qui operatur & velle & perficere pro bona voluntate. ite: Abundantius illis omnibus laboraui, non ego autem, sed gratia Dei mecum. ite: Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi

Math. 25
Philip 3.
1. Cor. 15.
Ioan. 15.

nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis. ego sum vitis, & vos palmites. Qui manet in me, & ego in eo. hic fert fructū multum, quia sine me nihil potestis facere. Cū igitur opera bona & iusta, Deo accepta, deoque placencia Christus ipse in iustis operetur, ane absurdum prorsus est, quod per opera iustorum excludatur? Perinde sane atque si quis dicat, causas naturales secundas, quæ non operantur suos effectus, sine virtute & operatione summæ & primæ causæ, excludere primam & supremam causam, quæ est omnis operationis earum fons & principium: quod quoque Deus operetur in iustificatis opera bona & iusta, vt per ea ad salutem æternam perueniant, & sint causæ salutis æternæ, sed secundariæ: scripturæ sanctæ, vt modò dictum est, euidentissimè demonstrat. Cum timore & tremore vestram salutem operamini. & Christus palam testatur, quod filijs suis dabit vitam æternam propter bona opera. Non igitur ad insufficientiam aut impotentiam meriti & passionis Christi pertinet, quod iustorum bona opera fiant, vt obtineant filij vitam æternam & salutem: sed ad magnam gloriam Christi, qui sic suos filios amat & exultat, vt faciat eos cooperarios suos in negotio & causa salutis æternæ: vt videlicet tanquam victores mundi, carnis, & diaboli, & iustitiæ strenui operatores, corona æternæ salutis & hæreditatis remuneret & donet. Ineptissima est igitur ratiocinatio istorum, quam tantopere iactat Illy-

ricus:

Philip. 3.
 Math. 25

ricus: Opera iusta sunt ad salutem vel vtilia, vel etiam necessaria: igitur Christus non ad plenum potest nos seruare. Imo potius contrarium concludendum erat: Christus potest ad plenum nos seruare, igitur potest filios suos potentia sua, & simul eximia erga illos benignitate, facere cooperatores suos in causa salutis. Sicut ineptissima est argumentatio: Causæ secundæ operantur naturales effectus, ergo causa prima & summa non potest ad plenum operari omnes effectus. Contrà verò recta est illatio: Causa suprema potest ad plenum operari omnes effectus, igitur potest dare causis secundis virtutem, vt in naturalibus operibus sint ipsi cooperatrices.

*Ineptiss.
 arg. Illyr.
 rius cont.
 oper. bon.
 cōcursum
 in iustifica
 catione.*

Similiter de satisfactione docent scripturæ, quod passio Christi fuit quidem sufficientissimum pretium, seu sacrificium potentissimum ad expiandas etiam omnes totius mundi culpas & pœnas, si modò eius applicatio legitima fieret: sed simul docent, quod semel in sacramento regenerationis insertis corpori eius, & in eius familiam tanquam inscriptis & cooperatis, applicetur plena passionis virtus sine laboriosa pœnitentia, sine gemitu & planctu, ad expiationem omnis culpæ & pœnæ, vt sit regeneratus tanquam noua prorsus creatura. Verùm si à gratia baptismali prolaberetur in crimen aliquod regeneratus, non applicari statim pœnitenti, & sacramentum pœnitentiæ suscipienti, totam vim passionis Christi, ad expiationem omnis pœnæ: sed requiri disciplinam

pœnitentiam, ac laboriosa opera, quibus reatus rursus contractus expietur & aboleatur. non quidem quoddam Christi mors & supplicium, reatum à regeneratis rursus contractum expiare non posset, nec valeret: sed quia ita à Christo constitutum esse docent scripturæ, ut passionis Christi applicatio ad pœnarum expiationem, regeneratis prolapsis non fieret, nisi per opera laboriosa pœnitentiæ, quæ tamen Christi merito & satisfactione niterentur. Sic dicit Paulus de Corinthiis, qui irreuerentius cœnam dominicam agebant, & ex eo sibi reatus contrahebant: Si nos ipsos iudicaremus, non utique iudicemur à Domino. item: Quem diligit Dominus, castigat: flagellat autem omnem filium quem recipit. In disciplina perseverate. Hæc si vera sint, ut vera esse certissimo credit secundum scripturas catholica ecclesia, nonne evidentiissimum est ineptissimam esse argumentationem Illyrici? Requiritur à relapso post regenerationis lauacrum, satisfactio & laboriosa pœnitentia: igitur Christus non potest nos ad plenum servare, vel ad plenum peccata nostra expiare. Graviter & eruditè scriptum est ab Augustino: Pœculum immortalitatis, quod confectum est de infirmitate nostra, & virtute diuina, habet quidem in se ut omnibus proficit: sed si non bibitur, non medetur. Et de hac causa extant copiosæ catholicorum disputationes.

1. Cor. 11.
Hebr. 12.
Prou. 3.

Augus. ad
artic. falsò
sibi impo-
sitos.

2. Casillo
latio.

Quod scripseram secundo loco: Iustificatos non operari bona opera, ut per ea iustitiæ & obe-

obedientiæ Christi opitulentur tanquam insufficienti, & quæ ad plenum servare eos non possit: sed quia non constituit Deus eos saluos facere nisi per bona opera: acriter & seuerè oppugnat Illyricus, sed calumniolosissimè. Nam cum de iustificatorum operibus bonis manifestissimè sit sermo, calumniator exceptionem obijcit.

Quod si verum est, inquit, quod tantum per bona opera velit Deus saluare homines, quid tandem de infantibus fiet morientibus? Nempe illis est spes nulla salutis. Si tantum per bona opera nostra nos servare voluit, quid necesse fuit Christum venire?

Sed hæc est apertissima & maliciosissima calumnia, quæ à iustificatis adultis, quorum opera requirit Deus, per quæ eos saluet, seu ad salutem æternam perducatur, transfert sermonem ad infantes, quasi de infantibus eam sententiam posuisset.

Secunda calumnia in eo quoque est, quod exceptionem proponit de peccatoribus in extremo agone vitæ conuersis: cum constet apertissimè sermonem esse de adultis iustificatis, quibus ad bene operandum, & iustè viuendum cõceditur à benigno Deo tempus & opportunitas. Nam perspicuum est sermonem esse de operibus bonis iustificatorum: ob quam causam fieri debeant: an ut iustitiæ Christi tanquam insufficienti opitulentur: an verò quia Deus constituit iustificatos ad salutem æternam perducere per bona opera.

Tertia exceptio æquè est calumniosa & malitiosa, quæ scies & prudens à salute æterna, transfert astutè sermonem ad salutem, quæ est posita

Dilatio.

in re-

in remissione peccatorum, & præsertim ea peccatorum remissione, quæ donatur in baptismi lauacro. De qua remissione scripsit disertè Ambrosius in cōmentario capitū 11. ad Romanos: Gratia Dei, inquit, in baptismo non quærit gemitum aut plāctum, aut opus aliquod, nisi solam ex corde professionem. donū enim Dei gratis donat peccata in baptismo. Quod autem gratia Dei non requirat opus aliquod, sed tantum fidei professionem, ad consequendam æternam vitam & salutem, id prorsus falsum est, & cum diuinis scripturis pugnas ex diametro.

Ambro. in illud ca. 11. ad Rom. Sine poenitentia sunt dona & vocatio Dei.

Ambro. in cap. 4 ad Rom.

Idē de vocat. gentiū

Ambro. de vocatione Gentium.

Quod autem ad sententias attinet, quas ex Ambrosio citat Aduersarius, vt probet quod saluos facit Deus homines sine operibus, constat euidentissimè, quod sententia illa Ambrosii: Hoc sanxit Deus, vt qui credit in Christū, saluus sit sine opere, sola fide gratis accipiens remissionem peccatorum: agat de iustificatione peccatoris, qua primū ad Deū conuersus per fidem, sine præcedentibus operibus, idque in lauacro baptismatis, accipit gratis remissionem peccatorum & iustificationem. non autem de ijs, qui iam per fidem iustificati contendunt & student peruenire ad salutem æternam. Similiter eiusdem sententia libro de vocatione Gentium: Quod si & ad illos dirigas mentis intuitum, qui longam agentes in flagitijs & sceleribus ætatem, sacramento baptismatis Christi in ipso vitæ sine renouantur, & sine villo suffragio bonorum operum in regni cœlestis consortium trans-

transferuntur, quo intellectu diuinum iudicium comprehendes, nisi vt indubitanter agnoscas gratuita esse Dei munera? Manifestè agit de adultis, quibus in extremo agone conuersis deest operandi opportunitas, quamuis ne illis quidem desit fides, per dilectionem parata operari, si adesset opportunitas.

Sed obijcit adhuc Illyricus. *Sententia hæc: Causillatio. Deum non constituisse hominem iustificatum, adultum videlicet, & bene operandi tempus habentem saluare, nisi per bona opera: Pharisaica est & Antichristiana, nec vllis scripturis doceri potest.*

Respondeo iam paulò superius scripturis quàm plurimis stabilitam & comprobatā esse. Certam facite per bona opera electionē & vocationem vestram. Currite, vt comprehendatis. Non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit. Factor operis beatus erit in facto suo. item: Diuitibus huius seculi præcipe diuites esse in bonis operibus, vt vitam æternam apprehendant. item: Cum timore & tremore operamini vestram salutem. Et ea quoque scriptura, quam citaue-ram in epistola ad Hebræos: Factus est causa salutis omnibus obtemperantibus sibi: plane idem docet rectè intellecta. Obedientia enim quæ Deo præstatur, eò pertinet, vt per eam perducatur homo iustificatus ad æternam salutem.

Sed contra, inquit aduersarius, scriptura docet, quod nō sit à Deo aliud nomē sub cælo datum seu ordinatum, per quod oporteat homines saluos fieri, quàm per vnicum

Causillatio.

Dilutio. 2. Petri.

1. Cor. 9. Iacobi 1. 1. Tim. 6.

Philip. 3.

Hebr. 5.

Causillatio. Act. 4.

Z vnicum

Matth. 9.
15.

Unicum illum agnum Dei, sola iustitia obedientie ac passionis eius, totius mundi peccata abolerent: quodque is divinitus missus venerit, ut peccatores, & non operantes saluos faceret. non autem iustos, & multa bona opera habentes, quorum causa se venisse ipsemet pernegat.

1. Tim. 1.
Ioan. 15.

At respondeo, quia, secundum ipsius Christi sententiam, iusti sunt tanquam palmites hærentes in Christo tanquam vite, fructus bonorum operum ex virtute & subministracione vitis, hoc est, Christi, adferentes: ideo bona iustorum opera, per quæ Christus eos ad salutem æternam perducit, non sunt alteri nomini, hoc est, alteri virtuti, quam Christo attribuendi, qui suos electos per bonos fructus ad salutem æternam adducit. Non igitur in alio nomine saluantur iusti, quando per iusta opera, quæ ex Christi vitis gratia & virtute operantur, ad salutem æternam perveniunt: sed in solo Christi nomine & virtute perducens electos suos per certamen bonorum operum ad coronam vitæ æternæ. Et sanè salutem illam, quæ posita est in remissione peccatorum, per solius illius nominis virtutem, non autem per operum dignitatem accipiunt omnes. de qua salute Illyricus dictum Petri interpretatur.

Iam quod dicit Illyricus, Christum divinitus missum esse à patre, ut peccatores, & non operantes saluos faceret, non autem iustos, & multa bona opera habentes, nusquam dicit scriptura. sed constat manifestissimè falsum esse. Sicut enim in carnè venit, ut peccatores, & nondum bene

bene operantes saluos faceret à peccatis, & iustificaret: ita venit, ut iustos, qui iam per fidem in sanguinè venturi eius in carnem iustificati erant, saluos faceret, ad æternam salutem eos perduceret: à qua usq; ad persolutionè pretij pro peccatis naturæ humanæ, exclusi erant. Deinde dū scribitur, venisse in carnè, ut peccatores saluos faceret, non est intelligendum, eum venisse in carnem tantum, ut liberaret eos à peccatis, iustificans eos, & Deo reconcilians: sed etiam ut perduceret eos per bona opera ad salutem æternam. In hoc ipso ergo, quod scribitur venisse in carnem ut peccatores saluos faceret, comprehensa est sententia ea: iustificatos per bona opera, quæ tanquã palmites in vite Christo insiti operantur, contendere ad salutem æternam, & eos à Christo, qui peccatorum perfectè saluadorum causa venit, tanquam ouiculas à pastore, per bonorum operum fructus perducere ad vitam æternam. Quod verò scribitur: Nō venisse, ut iustos, hoc est, habentes bona opera, vocaret, sed peccatores: intelligendum est, quod non venerit, ut vocaret iustos, videlicet ad pœnitentiam: quippe qui iam iustificati essent, & pœnitentia non egerent. vel de ijs, qui Pharisaica superbia tumetes, sanos se & iustos existimabāt proprijs suis operibus: & proinde Christo tanquam medico sanaturis vulnera peccatorum opus se nō habere credentes, Christum rejiciebant. Nostram igitur lector sententiam & doctrinam vides esse verè Catholicam, & sanctis scripturis consentaneam.

Matth. 9.
Lucæ 5.

Contrà verò, Illyricanorum impium errorem, ac blasphemum in spiritum sanctum dogma, de iustificatione per solam obediētiam Christi imputatam, & non per opera, quæ iustificati tanquam palmites in Christo, per Christi gratiam & virtutem operantur.

Qualem obediētiam requirat Illyricus à saluandis. Marci 16. Matth. 11. Postremò cum nouæ vitæ obediētia ipsi Illyrico ad saluandum non sit conducibilis, aut etiam necessaria, audiamus quæso, qualem tandem obediētiam à saluandis requirat. *Qualem, inquit, obediētiam Christus à saluandis propriè requirat, satis declarat, cum toties ingeminauit. Quicumque crediderit, saluus erit. & Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Et cum toties omnes mēdicos, & claudos, ac mutilos ad iam paratum splendidissimū conuiuīū, gratuitasq; epulas inuitat.* Obidiētia igitur nouæ vitæ, iuxta Illyricum, non propriè requirit Christus à saluandis, sed propriè requirit obediētiam fidei.

Auguf. de fide & oper. cap. 4 Hic recordari libet sententiæ grauissimæ diui Augustini: Errant, inquit, homines, non seruantes modum, & cum in vnam partem procliuiter ire cœperint, nō respiciūt diuinę authoritatis alia testimonia, quibus possint ab illa intentione reuocari, & in ea, quæ ex vtrisque temperata est, veritate ac moderatione consistere. Cùm enim sint innumera alia testimonia diuinarum scripturarum, quæ à saluandis exigunt vitæ iustæ obediētiam, idque vt per eam perducantur ad salutem æternam: bonus Illyricus mordicus tenens sententiã semel conceptam

ceptam de exclusionē operum quorumlibet à ratione iustificationis & æternæ salutis, scripturas eas tantum intuetur, quæ fidei obediētiam commendant, & requirunt ad salutem: eas verò negligit & abijcit, quæ obediētia quoq; iustæ vitæ ad salutem exigunt & præscribunt. Cum adolescens interrogat Christum: quid boni faciendo, vitam æternam posset consequi: respondet Christus: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. At quorsum quæso iubet illum seruire mandata? nōne ob eam causam, vt per ea habeat & consequatur vitam æternam? Rursum quando Christus dixit: Non omnis qui dicit mihi, domine, domine, intrabit in regnum cœlorum: sed qui facit voluntatem patris mei qui est in cœlis, ipse intrabit in regnum cœlorum: nōne significat disertè, obseruationem voluntatis patris cœlestis, esse veram causam & rationem consequendæ salutis? Certè Salomon disertè dicit: Si volueris mandata seruire, conseruabunt te. & rursus: Sacrificium salutare est attendere mandatis. Et sicut scriptum est: Hoc est mandatum vt credatis in eum: ita etiam scriptum est: Hoc mandatum habemus à domino vt diligamus inuicem. & rursus: Et mandatum eius, nempè patris cœlestis, quod ego loquor ad vos, vita æterna est. Sicut & Baruch dicit: Audi Israël mandata vitæ. & Paulus: Circumcisio nihil est, præputium nihil est: sed obseruatio mandatorum Dei. & iterum: In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet,

Z iij neque

Matth. 19
Matth. 7.

Prou. 15.
Eccles. 25.
1. Ioã. 3. 4.
Ioan. 12.

Baruch. 3.
1. Cor. 7.
Galat. 5.

neq; preputium: sed fides, quæ per dilectionem operatur. Quibus sanè locis sermo haud dubie est de valore & vtilitate ad iustificationem & salutem. Deniq; scriptura disertissimè testatur, quòd regnum cœlorum, & vitæ æternæ salus retribuitur iustis propter bona opera.

Nónne igitur detestadâ impietas est in tanta luce diuinarum scripturarum pertinacissimè salutare sacrificium obseruationis mandatorum, hoc est, bona opera à ratione salutis æternæ prorsus excludere, atque vnicam fidem vrgere, quæ ad salutem conducatur? Quin & in illis ipsis scripturis, quas Illyricus contra iustorum opera producit, palam opera comprehensa sunt. Quando enim dixit ad Apostolos Christus: *Quicumq; crediderit, saluus erit, vt refert Marcus, constat ex Matthæo de operibus quoque additum esse: Euntes, inquit Christus apud Matthæum, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij & spiritus sancti: docetes eos obseruare omnia quęcunq; mandauimus vobis. Nónne hic Christus sicut fidem, ita & mandatorũ obediētiam pariter requirit? atq; vtrũq; ad salutem consequendam? Sic & in parabolis illis, quibus inuitantur claudi, cæci, manci, & muti ad conuiuium nuptiale, nónne eiicitur è loco nuptiarum, is qui non habebat vestem nuptialem, hoc est, inquit Augustinus, qui non habebat charitatem, seu fidẽ per charitatẽ operantem? Sunt igitur ornamēta operũ bonorum non solum necessaria ad consequendã salutẽ, sed etiam*

Marci 16.

Matt. 28.

Luce 14.

Matt. 22.

etiam ornant, præparant, & dignũ faciunt iustũ ad consequendam æternam salutem. Sicut Ioannes in Apocalypsi palam dicit, quod datum est sponse, vt se ad conspectum Dei induat candida & lucente bysso, hoc est, iustificationibus sanctorum. Denique quos prius peccatis multis oneratos, curat à peccatis & reficit, nónne eis imponit iugum suauæ charitatis? vt sanati à medico Christo, deinceps ex fide per charitatem operante, & obseruante Dei mandata, iuste & rectè viuant, & operando iustitiam, tandem perducatur ad habitaculum cœleste? Sicut ergo fidem, ita & opera ex fide facta ad æternam salutem consequendam non solum necessaria esse: sed etiam propriè ad rationem iustificationis, & æternæ salutis pertinere, certa fide credenda sunt. Nam, sicut rectè docet Augustinus, nō alia fides aut iustificare aut saluare credenda est, quàm quę per dilectionem operatur.

Apocal. 19

Matth. 11.

Psalm. 14.

Augus. de fide & operibus, & de spiritu & lit.

Hiscẽ expeditis, transeamus ad cōfutationes probationum tertię sentētiæ, quæ est de modo iustificationis, examinandas.

Quoniam verò in probationibus tertię sentētiæ crebrò inculcatur, ad naturam fidei propriè & peculiariter pertinere, apprehēdere promissiones Christi in Euāgelio propositas, Christi quę iustitiam: antequam ad cōfutandas probationes accederem, pauca quædam de natura & ratione fidei differenda existimaui, vt ostenderem cōmentitiã esse doctrinã, quã aduersarij tantopere iactitant, de apprehensione fidei.

Hebr.ii.

Primum itaque dixi, ex Paulo constare quænam sit ratio & natura fidei: Fides, inquam, est argumentum non apparentium, hoc est, certa & firma ratio, siue certus, indubitatus, & firmus assensus, quo animus rebus, quas non valet certa ratione comprehendere, tanquam diuina autoritate conuictus, assentitur: siue res sint præteritæ, siue præsentis, siue futuræ, siue bonæ, siue malæ. Sicut enim rebus bonis, quas desideramus & speramus, in verbo Dei propositis: sic etiam comminationibus seueris in eodem verbo diuino propositis, propter diuinam autoritatem, firmum & indubitatum assensum adhibemus per fidei virtutem. de quo eruditè disseruit Augustinus in Enchiridio: Fides, inquam, sperat, spes & charitas orant, sed sine fide esse non possunt, ac per hoc & fides orat. Propterea quippe dictum est: Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt? Quid autem sperari potest, quod non creditur? Porro etiam aliquid quod non speratur, credi potest. Quis namque fidelium pœnas non credit impiorum, nec sperat tamen? & post pauca: Est itaque fides & malarum rerum & bonarum, quia & bona creduntur & mala, & hoc fide bona, & non mala. Est etiam fides & præteritarum rerum, & præsentium, & futurarum. Credimus enim mortuum Christum, quod iam præterijt: Credimus federe ad dexteram patris, quod nunc est: Credimus venturum ad iudicandum, quod futurum est. Item fides & suarum rerum est & alienarum

August. in
Enchir.
cap. 8. & 9

Rom. 10.

narum. nam & se quisque credit aliquando esse cœpisse, nec fuisse vtrique sempiternum, & alia atque alia. nec solum de alijs hominibus multa quæ ad religionem pertinent, verum etiam de angelis credimus. Ex hac itaque Pauli sententia scripsi manifestum esse, quod ratio & natura fidei posita sit in firmo & indubitato assensu erga ea quæ sunt diuinitus nobis tradita, & quæ humanæ rationis sagacitate comprehendere non possumus. Sicut de Thessalonicensibus scribit Apostolus: Ideo & nos gratias agimus Deo sine intermissione, quoniam cum accepissetis à nobis verbum auditus Dei, accepistis illud haud dubiè per fidem, non vt verbum hominum, sed sicut verè est verbum Dei. Motus vero illos, desiderium, & expetitionem boni agniti, & in verbo Dei propositi: item fiduciam eius boni obtinendi, siue expectationem: denique humilem supplicationem ad Deum pro agnito bono consequendo: sicut & motum pœnitentiæ siue displicentiæ de peccatis contra Deum in vita antea facta admittis: diximus in iustificatione coniunctos quidem esse cum fidei motu, sed tamen à fide separatos, ad naturam, rationem, & definitionem fidei non pertinere. In multis enim esse fidei motum, qui est cognitio firma & indubitata rerum non apparentium, ad religionem pertinentium, in quibus non sunt alij isti motus. quod ita manifestum esse opinor, vt nemo nisi amens contradicere possit.

Rom. ii.

1. Thess. 2.

Sed excipit Illyricus *se de fide saluante seu salutifera,*
Z v

*Cauillas
tio Illyr.* *tifera, hoc est, de fide iustificante agere, non de ea quæ est tantum mera quadam aut specularia notitia, aut cognitio rerum ad religionem pertinentium: ad salutiferam verò fidem pertinere iam dictos motus, desiderij, amoris, expetitionis & orationis.*

At respondemus ei, ab Augustino nos didicisse nō esse diuersam naturam & rationem fidei, in ijs qui sunt per fidem iustificati, & in ijs qui nondum sunt iustificati. Sed differentiam iustificatorum à nondum iustificatis esse ex motibus & virtutibus cum fide coniunctis in iustificatis, non autem in nondum iustificatis. Ex

*Aug. trac.
in episto.
Ioannis.* *tat illustris sententia diui Augustini in expositione epistolæ canonicæ Ioannis: Iam credit; inquietis, aliquis in Christum, sed odit adhuc Christum, habet confessionem fidei in timore pœnæ, non in amore coronæ. adde huic fidei dilectionem, vt fiat fides, qualem dicit Apostolus Paulus, fidem quæ per dilectionem operatur.*

*Auguf. de
ver Apof.
ferm. 6.
Iacobi 2.* *Inuenisti Christianum, inuenisti ciuem Hierusalem. & alibi: Ad fidem quid pertinet? credere. Sed ait Apostolus Iacobus: Et dæmones credunt, & contremiscunt. adde ergo fidei sp̄e. Et quæ spes est, nisi de aliqua conscientia bonitate? Spei ergo adde charitatem. & erit fides, quæ operatur per charitatem. Et libro 13. de*

*Auguf. de
Trin. l. 15
cap. 18.
Idem tra-
ctatu 87.* *Trinitate: Fidem non facit vtilem nisi charitas. Sine charitate quidem potest fides esse, sed non & prodesse. Propter quod & Apostolus Paulus: In Christo Iesu, inquit, neque circumcisio aliquid valet, neq; præputium, sed fides, quæ per*

cha-

charitatem operatur. denique in euangelium Ioannis: Quis salubriter fidelis, nisi ea fide, quæ per dilectionē operatur? Vides lector fidē salutiferā non differre secundū naturā & definitionem suam, à fide, quæ adhuc sterilis per charitatē nondū est viuificata: sed solū secundū virtutū spei & charitatis accessum. Neque hoc ab Augustino solo didicimus, sed ab iplo apostolo Paulo, qui virtutes tres, fidem, sp̄em, & charitatē distinctas esse disertè tradit: Nunc autem, iniciens, manent fides, spes, charitas, tria hæc.

1. Cor. 13.

At negare non potest aduersarius, quin pars illa descriptionis fidei: argumentum non apparentium: designet firmam & indubitatam notitiam, agnitionem, siue assensionem. Sed vociferatur magno supercilio & fastu improbus homo, me pessima fide, ac conscientia agnitam veritatem oppugnare: quandoquidem sciens & volens dimidium definitionis excluderim, vt reliqua parte abuti possem ad probandum contrarium eius ipsius sententia, quæ in omiſsa parte clarè excluditur. Si enim non mutilassem fidei definitionem ab ipsomet spiritu sancto traditā, quod sit hypostasis sperandarū verū, statim per vtrāque hanc vocem me redargutum fuisse: quod fides salutaris sit non tantū simplex notitia, sed etiā expectatio, desideriumque agniti boni. nā desiderata tantū expectantur, speranturq;.

*Cauillat.
improbif
sima.*

Respondemus tibi ò conscientiarum alienarum acute & maligne perspector, nos agnitam veritatem nō oppugnare, sed pro viribus, quas à domino accepimus, contra vestram impietatem & blasphemiam eam tueri & propugnare. Præterij quidem sciens & prudens priorem illam

Dilutio.

illam partem descriptionis : substantia rerum sperandarum : sed consilio minimè fraudulentò. Sed cum scirem secundam partem descriptionis habere sensum clarum & indubitatum, ac per eam, naturam & substantiam ac rationem fidei clarissimè exprimi: videlicet fidem esse secundum suam rationem & naturam, indubitatum assensionem ad ea quæ sunt in verbo diuino ad salutem tradita: satis putavi illam partem vrgere, & ex ea fidei naturam & proprietatem demonstrare: persuasissimum habens quod prior pars illa, quæ subobscura est, non destrueret illud, quod posterior pars clarissimè tradebat. Quocirca expositio illa, quam magna fiducia adfert Illyricus, cum posteriori parti prorsus contrarietur, falsa prorsus sit necesse est. Contendit prioris partis: Substantia rerum sperandarum, siue hypostasis rerum sperandarum: sensum esse: Fides est certa expectatio, siue certa spes aut fiducia rerum sperandarum. Verùm cum fieri non possit, vt vna & eadem res secundum naturam & propriam rationem, ac definitionem, sit simul spes & notitia, seu assensus rationis, quod manifestum esse omnibus arbitror, falsum prorsus est, quod Apostolus, qui clarissime dicit in secunda parte descriptionis, fidem esse assensum rationis, in priore veluti destruens quod dixerat, dicat fidem esse spem. præsertim cum ipse alibi disertissimè doceat, fidem & spem inter se distincta esse, non minus quam fidem & charitatem. Sic sane & Augusti-

1. Cor. 13.

nus

nus disertè docet in Enchiridio: Est itaque fides, inquiens, & malarum rerum & bonarum, præteritarum, præsentium, & futurarum. Spes autem non nisi bonarum rerum est, nec nisi futurarum, & ad Deum pertinentium, qui earum spem gerere perhibetur. Quæ cum ita sint, propter has causas distinguenda erit fides à spe, sicut vocabulo, ita & rationabili differentia. Nã quod attinet ad non videri siue quæ creduntur, siue quæ sperantur, fidei, speique commune est. In epistola quippe ad Hebræos, qua teste vsi sunt illustres Catholicæ regulæ defensores, fides esse dicta est, cognitio rerum quæ non videntur. & postea: Iam de amore quid dicam, sine quo fides nihil prodest? Spes verò sine amore esse non potest. Denique, vt ait Apostolus Iacobus: Et dæmones credunt, & contremiscunt, nec tamen sperant vel amant, sed potius quod speramus & amamus, credendo venturum esse formidant. Propter quod Apostolus Paulus, fidem quæ per dilectionem operatur, approbat atque commendat, quæ vtrique sine spe esse non potest. Proinde nec amor sine spe est, nec sine amore spes, nec vtrumq; sine fide. Cernit hic lector, Augustinum, cum fidem à spe & charitate, iuxta apostoli Pauli sententiam distingueret, naturam & substantiam fidei demonstrasse ex ea parte descriptionis ab apostolo traditæ: Fides est cognitio rerum quæ non videntur. Et in priore parte: fides est hypostasis rerum sperandarum: nequaquam spem aut fiduciam, quæ

August. in Enchiridio cap. 8.

Hebr. 11.

Iacobi 2.

Galat. 5.

1. Cor. 13.

quæ contra fidem descriptam distinguitur, intellexisse. Eat nunc maledicus calumniator, & dicat, nos pessima fide & conscientia mutilasse definitionem Apostolicâ, vt per secundam partem approbarem contrarium eius quod in prima parte clarissimè expressum erat. Certè Augustinus exponens, fidem esse cognitionem rerum quæ non videntur, eamq; à spe, fiducia, vel expectatione diserte discernens, nō existimavit se cōtrarium statuere eius quod in priore parte dictum erat. Quare euidentissimè constat, eum hypostasin siue substantiam rerum sperandarū, haudquaquā intellexisse spem siue expectationē rerum sperandarum, siue quæ expectantur.

Cautilatio.

Sed cauillatur Illyricus, quod vox, hypostasis, ibi fiduciam & expectationem significet, ex ipso Paulo demonstratur, cum expresse dicat: fidei obiectum esse res sperandas aut speratas: certè indicans simul esse quōdam affectum, illa bona auentem & expectantem. Nam res sperata, affectu, desiderioque quodam expectantur.

Dilutio.

At respondemus, contrarium potius ex verbis Pauli colligi debere. Quia enim fides est hypostasis siue basis rerum sperandarum, expresse satis indicatur, quod fides sit hypostasis ac basis spei, per quam res speratæ expectantur & desiderantur. Nisi enim fides, & certa persuasio de veritate rerum sperandarum in animo tanquam basis quædam fundata esset, spes nulla in animo hominis, aut expectatio rerum bonarum subsistere posset. Fides igitur in prima parte descriptionis, dicitur esse hypostasis siue basis rerū spe-

Hypostasis rerum sperandarū, quid apud Paulum.

sperandarum, siue rerum quæ sperantur: quia fides eas res, quas speramus in futura vita consequi, sustentat in animis nō videntium aut cōprehendentium eas. Nisi enim in animis nostris sit firmus de rebus speratis assensus, & certa ac indubitata cognitio, mox elabuntur & euanescent ex animis res quæ sperantur, & pro ludicris & cōmentitijs rebus æstimantur: deinde & fides salutaris seu iustificans res speratas fundat & inchoat in nobis, vt non incōmodè dicatur fides esse substantia rerū speratarū. quia initium quoddam & fundamentū earum rerū in nobis collocat. Sunt quidem fidei, quando salutaris est & iustificans, coniuncti alij motus, spei scilicet, fiduciæ, amoris, desiderij siue expetitionis, orationis, atq; alij quidam: sed hi motus, horumq; moruum diuinæ virtutes, diuinæq; principia, nō sunt fidei ipsius natura, substantia, & ratio, sed potius fidei tanquā fundamenti & principij effectus quidam. Sicut rectissimè scripsit Augustinus, fidem esse fundamentum, initium, ac radicem omnis boni, & salutis exordium. In descriptione itaque sua apostolus docet, fidem respectu rerū speratarū non esse solum cognitionem quandā firmā & indubitatam: sed etiā quoddā fundamentū & basin, quæ sustentet eas in animis fidelium, atq; inchoet, etiā dum nō dum habentur. Sed circa reliqua quæ non sperantur, docet esse tantū certā & indubitatā cognitionē: quod nihil est aliud, quā res speratas per firmā & indubitatā cognitionē & assensum fundari & sustentari, ac in-

Augus. de spi. & lit. cap. 10. & 30. Epist. 107 & 106 de prædest. sanctorū.

Hebr. 11.

ac inchoari in animis piorum credentium, cum res reliquæ, circa quas versatur fides, non sustententur in animis credentium, sed tantum indubitata persuasione cognoscantur. sicut descriptione suam mox declarans dicit: Fide intelligimus aptata esse secula verbo Dei, ut ex inuisibilibus visibilia fierent. Stat ergo firma & solida nostra sententia: Fidei, quam commendat Paulus, naturam, proprietatem, substantiam, ac definitionem positam esse in cognitione indubitata, & firmo assensu rerum diuinarum, quas ratio humana comprehendere non valet. Motus autem spei, fiducia, expectationis, desiderij & amoris, adiungi quidem ex dono spiritus sancti, fidei in iustificatione, sed eos esse extra naturam apostolicæ fidei. Verum cum rectè intelligeret Illyricus, motus illos fidei in iustificatione adiunctos, non minus, imò magis ac propius pertinere ad apprehendendam iustitiã, hoc est, ad obtinendam, consequendam, aut impetrandam iustitiam, quàm assensionem aut cognitionem, sicut nos scripsimus, ut defendere possit Confessionis sententiam: Fidei naturam proprie & peculiariter esse, iustitiam apprehendere: idcirco eò iam confugit, ut dicat, motus istos fidei nomine & appellatione intelligendos esse, atque ad id ostendendum, vocabulo hypostasis, siue substantia, in descriptione callidè abutitur.

Sed audiamus quæso Illyricum, fidem salutarem, ut inquit, aut saluantem, definientem, ut fidei

fidei proprie & peculiariter possit attribuere apprehensionem. *Fides*, inquit, *rectè describitur, quod sit mendicus quidam affectus opem Christi precario quaerens, semper enim Christus ardens votum ac flagitationem opis suæ, vocat fidem, & nunquam speculatiuam sophistarum notitiam, quæ nihil agnito bono afficitur. Et multis scripturæ locis probat, fidem, fiduciam & votum agniti boni continere: de Cananæa muliere, quæ non solum statuit Iesum potuisse sibi opitulari, sed etiã id ardentissimè flagitauit: & dicit ille, id esse magnam fidem. De ijs qui paralyticũ tanto ardore & importunitate adferebant, & instabant pro beneficio sanationis. De Bartheimeo cæco, neglecta obiurgatione hominum, vociferante Iesu fili David misereve mei. Denique ille, inquit, affectus, ardor, aut motus, quo violenti rapiunt regnum cælorum, & quo meretrices & publicani præcurrunt Phariseos in regno cælorum: fides esse in scriptura prædicatur.*

Quomodo Illyricus describit

Matth. 11.

Luce 5.

Marci 10.

Animaduertat quæso lector, & attentius consideret admirandam confusionem in doctrina peruersa istorum hominum. Modo enim est eis fides, speculatiua notitia rerum non apparentium: modò est fiducia, siue spes, seu expectatio: modò votũ boni agniti: modò ardor quidam voti: modò flagitatio opis siue beneficij: modò ardens & violentus amor, dilectio seu affectus. Et cum clarissimè dicat, tria quædam distincta esse, fidem, spem, & charitatem: istis hominibus omnia permiscens & confundentibus, vna fides est omnia. Quæ foeda doctrinæ confusio, apostolicæ quoq; sententiæ cõtraria,

Refutatio descriptio Illyricana.

certo est indicio, eorum doctrinam solidam, rectam ac sanam esse non posse.

Respondemus igitur: Fidem & spem, fidei q; & spei, siue fiduciae motus secundum naturam distinctos esse, sicut & charitatis virtutem ab utroq; illorum. Quia tamen fidei ac spei, circa bona praesertim sperata, magna cognatio est, ut scite ait Bernardus, quia quod illa futurum credit, haec sibi incipit sperare futurum, fit nunquam in scripturis, ut nomine fidei, spes aut fiducia intelligatur, ut in locis illis quos Illyricus citavit, per fidem a domino collaudatam accipere licet fiduciam. Sed sane quandoque pro fiducia spes accipitur, non continuo fidei & spei natura confunditur: sed fiduciae ac spei motus, fidei tanquam fundamento coniunctus esse intelligendus est. Sicut quando docet Apostolus, eam demum fidem valere apud Deum quae per dilectionem operatur: non est fides, ipsa dilectio aut charitas, sed est coniuncta cum virtute charitatis, ex charitate virtute operandi habens. Sicut dicit Augustinus: Fidem non facit utilem nisi charitas. Sic deniq; quando fidei coniuncta est ardens inuocatio, aut ardens desiderium, seu votum beneficii alicuius, aut ardens amor erga benignum benefactorem aut promissorem, non est fides ipsa, votum illud, aut ardens affectus, aut denique pia flagitatio, & ardens inuocatio: sed est vel fundamentum, seu etiam radix ac principium illorum sanctorum motuum, dono spiritus sancti, fidei adiunctorum.

Bernard.
serm. 10.
in E. sal. 90

Aug. lib.
de trinit.
25. cap. 18.

storum. De eo igitur non contendimus, an fides modo credulitatem, modo fiduciam designet, sicut & credere modo assentium indubitatum importat, modo spei & fiduciae motum, ut valeat idem quod sperare: sed hoc contendimus, varios illos motus, quos contingit, praesertim in iustificatione, dono spiritus sancti coniunctos esse cum fidei substantia & natura, & quos contingit etiam alias non esse ei coniunctos, ad fidei naturam & definitionem non pertinere. Et quando de rerum quarumlibet propria ratione, definitione ac natura inquisitio est, ea sane in definitione conferenda non sunt, quae rebus interdum coniuncta, sunt extra earum rationem: alioqui cum fides iustificans, non sit, teste Paulo, alia, quam ea quae habet charitatem adiunctam: consequens erit, quod fides salutifera sit charitas. Haec cum ita sint, perspicit lector, cum Confessio crebro inculcaret ad ipsius fidei naturam, proprie & peculiariter spectare iustitiam Christi apprehendere, me recte fidei ipsius naturam & definitionem indicasse, & eam a motibus spei, desiderij, amoris, & inuocationis seu flagitationis separasse. Et cum Illyricus negare non audeat, quin fides per motus illos amoris & ardentis supplicationis, apprehendat & impetret beneficia a Christo promissa, recte a me scriptum esse: Ad naturam ipsam siue definitionem fidei non pertinere proprie & peculiariter iustitiam Christi apprehendere & consequi: sed magis ad

Aa ij motus

motus illos adiunctos, per quos solos ipsa fides intelligenda est apprehendere iustitiam. Sed de commenticia ista apprehensione fidei quam tradunt, postea copiosius.

Cavillatio.

Sed obiicit Illyricus: *Contra hanc opinionem impiam, qua negat adversarius omnino fidei esse apprehendere bona promissa: tota scriptura clamat, quæ millies repetit: Nos fide iustificari ac saluari, & alia bona omnia consequi. Quoties filius Dei ingeminat: Fides tua te saluum fecit?*

Dilatatio.

Respondeo: Insigne mendacium hic iterum hunc hominem admittere. Nusquam enim à me scriptum comperiet, omnino fidei non esse apprehendere iustitiam. Scio enim disertè ab Apostolo scriptum esse: Gentes quæ non festabantur iustitiam, apprehenderunt ex fide siue per fidem iustitiam. Sed hoc tantum scripsi: Non esse proprium & peculiare, tanquam ad fidei naturam & definitionem pertinens, apprehendere iustitiam: sed hoc ei conuenire per motus pœnitentiæ, spei, charitatis & inuocationis. quos motus certissimum est cum motu fidei in iustificatione adesse, atque aded per eos motus fidem ipsam hominem credentem ad iustitiam perducere & iustificare. Verissimum itaque scripsi: apprehendere iustitiam & iustificari, non esse peculiare & proprium motui fidei, sed illi cum multis alijs motibus, quos spiritus sanctus in animo credentis iustificandi excitat, commune, quibus ad iustitiam perducatur. Tribuitur quidem passim in diuinis scripturis iustifica-

stificatio fidei, non quod ei propriè & tanquam soli tribuenda sit, sed quia ipsa est initium & fundamentum omnium aliorum motuum & virtutum. Et vt lector perspiciat verissimam esse doctrinam Catholicorū de fide iustificante, considerandus est ordo & ratio, qua credens ad iustitiam perducitur. primum enim mens per donum fidei agnoscit Dei seueritatem simul & bonitatem. Ex quarum consideratione nascitur per gratiam & donum spiritus sancti, hinc timor iudicij diuini, illinc fiducia impetrandæ veniæ per bonitatem Dei, & Christi sanguinem: & deinde pœnitentia exoritur, ac inuocatio diuinæ bonitatis per mediatorem Christum, pro remissione admissorum peccatorum: denique sincera clementissimi Dei, & mediatoris Christi dilectio siue charitas. Ex his diuersis mentis credentis motibus, agnitio diuini iudicij seuerissimi, item clementiæ diuinæ, paratæ credenti ignoscere quæ deliquit propter sanguinem & passionem Christi, item agnitio passionis & mortis Christi, ad naturam & definitionem fidei pertinent. Fiducia verò, siue spes veniæ, inuocatio, desiderium salutis, amor diuinæ clementiæ, exorta quidem sunt ex fide, ostendente mediatorem Christum, & Dei per ipsum clementiam, sed sunt extra naturam ipsius fidei. Vnde clarissimè cernere licet, fidem apprehendere siue consequi & impetrare iustitiam, aut, vt apertius dicatur cum Paulo, fidem perducere ad salutem. non ex proprietate natura-

turæ suæ, sed magis per motus pœnitentiæ, fiducia, inuocationis, desiderij salutis, & amoris. Et quia fons totius salutis, est ex fundamento fidei, ideo passim scripturæ diuinæ fidei iustitiam & salutem attribuunt: sicut æternæ quoque vitæ coronam, quæ non nisi strenuo certamine sanctorum laborum, & cursu obtinetur, fidei quoque tribuunt. non propter ipsius fidei naturam, sed propter bona ac iusta opera per fidem facta. Scio hæc non probari Illyrico, sed morari non debemus quid ille aut probet aut improbet, modò sacræ scripturæ doctrinam teneamus.

Colligit deinde Illyricus & corradit sententias quasdam Catholicorum scriptorum nostri sæculi, tum vt ostendat fidem continere etiam fiduciam, tum vt ostendat fidem apprehendere iustitiam, & iustificare. Sed cum quo aduersario hic pugnat? Fidem enim apprehendere iustitiam, aut iustificare, tam est in scripturis manifestum, vt nemo, nisi scripturarum prorsus imperitus, negare possit. Fidei quoque in ipsa iustificatione motum fiducia & spei, atque etiam alios, ex gratia spiritus sancti coniunctos esse omnes confitemur. Quid est ergo quod oppugnat? fortasse hoc est, quod negamus: fidem secundum suam naturam & definitionem seu rationem esse spem, fiduciam, aut expectationem. Sed videamus, an sententiæ doctorum ab eo citatæ hoc doceant.

Pri-

Primum Cardinalis Gropperi, scriptoris, vt inquit, Papistici sententiam adducit, qui in Institutionibus suis Pauli descriptionem: Fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium: ita exponit. Substantia rerum sperandarum, id est, certitudo, & quasi certa possessio quædam earum rerum quas speramus: eò quòd mentis nostræ oculis eas sic representet ac sistat, vt iam illa quodammodo frui videamur. En audis, inquit, quod fides nos faciat bonis promissis quasi iam frui, nempe affectu & voto: eoque necessariò sit instrumentum, bona Dei promissa non tantum agnoscens, sed etiam expetens & apprehendens. Sed contra Christiane lector, tu cernis Gropperum clarè explicare, quo sensu dixerit fidem esse certitudinem, & quasi certam possessionem earum rerum quas speramus, dum subiicit: eo quòd mentis nostræ oculis eas sic representet ac sistat, vt iam illis quasi frui videamur, hoc est, vt iam illas non quasi absentes intueamur, sed eas quasi præsententes teneamus. Est igitur Gropperus locutus de certitudine non spei, sed rationis: qua tam certi sumus de veritate rerum promissarum, atque essemus, si eas coram cerneremus, imò iam habitas possideremus, & eis frueremur. quod longe aliud est, quàm fidem esse certam expectationem, aut affectum, aut vorum rerum speratarum. Potest enim ea certitudo rationis, qua sine vlla dubitatione aut formidine

A a iij cre.

Gropperi
sententia

creduntur promissa Dei esse verissima, non minus quàm si oculis corporis coram representarentur ac cernerentur, atque etiam possiderentur & tenerentur, esse in eis qui vera spe ad ea obtinenda nondum contendunt.

*Nauseæ
episc. Viē
nensis te-
stimonio.*

Adducit & Nauseæ episcopi Viennensis sententiam quandam ex catechismo eius, qua dicit: Merito sibi primas partes in nostro Catechismo fides vendicabit, verè religionis anchora & basis. Fides autem qua iustificamur, à Grecis *πίστις*, à Latinis persuasio vocata, nō est vulgaris aliqua aut historica credulitas, sed est constans, firmaque animi per spiritum sanctum de Dei maiestate, omnipotentia & bonitate, deque illius promissis indubitata persuasio: qua ut verbis eius certam fidem habet, ita & de eius erga se bonitate omnia sibi indubitato pollicetur.

*In sua po-
stilla, cen-
tura, .ho-
milia 66.*

Sed animaduertere facile potuit Illyricus, nisi cavillari maluisset, Nauseam de fide iustificante locutum esse. Iam autem frequenter superius dictum est, in iustificatione non solum motum indubitatae assensionis, qui propriè fidei est, sed etiam motū spei siue fiduciae, atque alios quosdam, qui fide quidem tanquam anchora ac basis nituntur, sed ad eius naturam & definitionem non pertinent. Sic quando alibi dicit: Sine fide nemo vnquam vitam æternam habebit, vel quamlibet moraliter bonus. nempe quæ sit illa fides, qua & in qua, ex qua, & per quam solam Deus ipse solus maximus nos iustificat, perinde atque instrumento ad iustificationem imprimis neces-

necessario, bona opera secum necessariò adferente. Quem quæso habet aduersarium? non enim (vti iam sæpius diximus) negamus fidem esse imprimis necessariã ad iustificationem: imò dicimus eam esse fundamentum ipsum iustificationis. Neque rursus negamus eam esse instrumentum quoddam, quo iustitiam consequimur: sed negamus eam secundum suam naturam & definitionem, quæ posita est in persuasionem & indubitata assensione rerum non apparentium, peculiariter & propriè apprehendere iustitiam, aut iustificare: cum id non faciat, nisi per spei, & aliarum virtutum motus, vt supra satis ostensum est. Atque hoc vel Illyrico ipsi compertissimum est, doctissimum episcopum cum Apostolo Paulo fidem distinguere à spe & charitate, quarum virtutum motus ad iustificationem quoque necessarios esse, æquè vt motum fidei, indubitatum est. Et manifestum est alioqui de fide non qualibet, sed per dilectionem operante locutum esse Nauseam. quia dicit: fidem bona opera secum necessariò adferre. Ex quo sicut consequens non est, quod fides sit ipsa dilectio, bonorum operum operatrix: ita nec consequens est, fidem esse ipsam spem.

Citat deinde Episcopi Roffensis etiam Papiſtici scriptoris (vt inquit) sententiam quandam grauissimam & elegantissimam: Fides facta bonis operibus ante partum iustificat. Sed quid obsecro ex hac sententia colligere vult?

*Roffensis
elegantiſ-
sima sen-
tentia.*

fidem sane quæ peccatorem iustificat, esse eam demum, quæ et si nondum habet antecedentis vitæ bona merita, tamē per propositum & animi promptitudinem, iam facta est & fecunda bonis operibus, per charitatem scilicet, bonorum operum & meritorum operatricem, Apostolus ipse palam docet, dum scribit: Fidem quæ per dilectionem operatur, valere ad iustificationem. Sed non inde consequens est, quod fides quæ iustificat, per ipsam suam naturam & substantiâ iustificet: quod quæ fides si ipsa dilectio, per quam fides est facta bonis operibus, etiam antequam bona opera pepererit. Sed contrarium potius sequitur: quod fides, quæ non nisi per dilectionem facta est bonis operibus, non nisi per eam iustificet. sicut constanter docet Augustinus: Quod fides profit, aut utilis sit, videlicet ad iustificationem, eam non habere, nisi per charitatem: Fidem, inquit, non facit utilem nisi charitas.

Galat. 5.

Auguf. de Trin. li. 18 cap. 18.

Postremò adducit sententiam quandam doctissimi scriptoris Hispani, Dominici à Soto, ex commentarijs in caput 4. epistolæ ad Romanos, quam detorque in suam sententiam studet: cum non ignoret in libris de natura & gratia doctissimum virum copiosissimè Illyricanorum doctrinam de iustificatione, oppugnasse, & euertere. Sed quia videt in ea sententia quiddam, quod secundum verborum superficiem, in patrociniū doctrinæ suæ prauæ de iustificatione possit torquere, prolixè eius sententiam transcripsit.

scripsit. Quam & nos repetere debemus, ut eius cauillationem manifestariam confutemus.

Dominicus Soto Hispanus, fidem, inquit, docet apprehendere iustificationem: simulque veram iustificationem commodè describit, inquit: At acceptum ferre, quod ad præsentem attinet expositionem, remissionem significat debitorum. Cum enim creditor debitum remittit debitori, dicitur illi acceptum ferre. vnde verbum iuris dimanauit, acceptilatio: vbi scilicet debitor qui non est soluendo, interrogat suum creditorem, vtrum acceptum habeat quicquid illi debebat, hoc est, pro accepto & soluto deputet. Tunc enim si creditor respondeat: habeo quidem, acceptumque tibi fero: remissio illa & condonatio, dicitur acceptilatio. quæ è regione opponitur iustæ solutioni. Pulcherrima ergo hic accommodatissimaque oratione explicat Paulus tum id quod dixerat: Reputatur fides ad iustitiam: tum clarissime rationem nostræ iustificationis. Cum enim nos soluendo non simus Deo, acceptum fert ipse nobis nostrum debitum, id est, pro accepto ducit, si modo illi fidem pollicenti adhibeamus. Quocirca magis perspicua fateor esset versio: Cui Deus acceptam fert iustitiam sine operibus, hoc est, sine debiti solutione.

Verum Illyrice, quid quæso hic vides nostræ sententiæ cōtrarium? Dicit quidē Soto Paulum clarissimè explicare rationem nostræ iustificationis, dū docet: Deū, cum soluendo nos nō simus,

Domin. Soto in cōmēt. in epist. ad Rom. in cap. 4.

gra-

gratuitò remittere nobis debitum, ac perinde nobiscum agere, ac si ipsi debitum soluissemus, si modo ipsi fidem adhibeamus. At non dicit: Fidem quam ipsi adhibemus, esse spem aut fiduciam: sed potius certam, firmam, & indubitatam persuasioné de sanguine Christi, in pretium redemptionis effuso, & de Dei clementia, quæ propter mediatoris intercessionem & meritum statuit credenti peccata cōdonare, si modò de peccatis admissis doleat, & suam bonitatem inuocet, ac remissionem supplex flagitet. Quæ sane fidei persuasio certissima de immensa Dei bonitate, sicut pœnitentiam de peccatis admissis, ita etiam spem & fiduciam bonitatis excitat. Nihil hic reperire potest Illyricus, quod pertineat ad ostendendum, quod fidei natura, substantia & definitio, sit expectatio, spes, aut fiducia: sed tantum habet, quod certa fidei persuasio per motus pœnitentiæ, spei & inuocationis ad iustificationem perducit credentes, siue iustificat, quod Catholici disertè confitentur. Quanquã si sententiã dominici à Soro quis accipere velit de fiducia siue spe impetrandæ gratiæ remissionis per bonitatem & clementiam Dei propter sanguinem mediatoris, non aberrauerit à sententia Pauli. Verum enim est, quod per fiduciam diuinæ bonitatis propter mediatorem Christum, debitum nostrum pro nobis persoluentem, iustificatur credens: sed non persuasione illa, quæ propria fidei, imò quæ spei fundamentum est, neq; sine motu pœnitentiæ, inuo-

inuocationis & amoris. Sed ex hoc consequens non erit, propriam naturam fidei iustificantis, esse expectationem vel fiduciam: sed hoc tantum consequens erit, quod vltro concedimus, fidem interdū non malè pro spe siue fiducia accipi. Cernis itaq; lector nostrã doctrinã de fide iustificante, aut de fide apprehendente iustitiã, videlicet per motus pœnitentiæ, spei, amoris, desiderij, orationis & inuocationis, & scripturis sacris, & catholicis scriptoribus per omnia consentaneam esse. Ac falsissimum esse, (quod contendit maledicus calumniator) fidem sua natura peculiariter & propriè esse spem & expectationem, quando dicimus fidem aut iustificare, aut apprehendere iustificationem.

Iam de instrumento quoq; promissiones Dei apprehendente contentionem mouet aduersarius. Scripseram non ad propriam naturam & rationem fidei propriè & peculiariter pertinere, promissiones apprehendere siue consequi: sed modò pœnitentiæ, modo orationi & inuocationi, modò operibus misericordiæ erga proximos, modò sacramentorum perceptioni, bonorum diuinitus promissorum consecutionem adscribi, quod & varijs scripturis probauerã. Lucæ 18. Matth. 18. Act. 2. & 11. Luc. 7. Ionæ 3. Imò ad consequendum & obtinendum bona promissa plus efficere & conducere desiderium & votum ardens illorum, & amorem, quàm assensum: quo creditur promittenti, quod possit & velit illa præstare quæ promittit.

Hic

*Deinstru-
mēto ap-
prehendē-
te iustitiam.*

*Cailla-
tio.*

Hic cauillatur Illyricus *me nouam plane doctrinam adferre, quod instrumentum apprehendens promissiones Dei, faciam nescio quam bonam voluntatem: quam non possum statuere esse vel virtutem, vel affectum: nec me posse ullum testimonium verbi Dei vel patrum pro eo figmento adferre.*

Dilutio.

Respondeo, de instrumento peculiari à Deo ordinato ad apprehendendū promissiones Dei nihil in scripturis diuinis extare: tantum in eis comperiri, quod fide, pœnitentia, inuocatione, humili confessione & supplicatione, ardenti quoque desyderio, voto, & ardenti amore salutis iustificationem consequatur credens peccator: iustificatus verò, operibus iustis vitam æternam. Quod quoque peculiare instrumentum ad consequendam iustificationem præ alijs virtutibus & motibus à spiritu sancto in iustificatione excitatis, sit fides, non extat scriptū. Neque ex eo quod peculiariter fidei tribuitur passim iustificatio, hoc inferri possit ac colligi, quia non ob aliud fidei ea tribuitur, quàm quia fides est fundamentum & basis, cui innituntur omnes motus, qui non minus, quàm fides, necessarij sunt ad iustificationem, atque ex fide omnes oriuntur. fides enim demonstrat mediatorem Christum, ex quo tam fides ipsa, quàm omnes alij motus, suum valorem & utilitatem fortiuntur: verùm sicut crebro fidei, ita non raro orationi, pœnitentiæ, inuocationi, confessioni delictorum, ardenti amori, alijsque operibus promissionum consecutionem tribui in scri-

in scripturis. Qua ratione igitur fides colligitur ex scripturis esse veluti quoddam instrumentum, quo iustificatio obtinetur, seu apprehenditur: eadem & alia illa iam dicta, quædam instrumenta consequendæ & apprehendendæ salutis dici possunt. Et hoc quoque loco paulo inferius disertè scribit Illyricus: fidem apprehendere siue consequi promissiones Dei gratuita, expetendo eas per misericordiam sine vlllo merito. Oratio igitur & inuocatio, æquè est instrumentum apprehendendæ iustitiæ atque fides: imo fides non est instrumentum nisi ratione orationis, precationis & inuocationis.

Considerandum est autem hic, quod cum vocabulum, apprehendere, in scripturis non aliud significet quàm consequi & obtinere: quando de apprehendenda salute est sermo: Paulo enim gentes apprehendisse iustitiam ex fide: item diuites bonis operibus apprehendere vitam æternam nihil est aliud, quàm gentes ad iustitiam peruenisse, vel iustitiam consecutos esse. (vt interpretatur D. Ambrosius) & apprehendere vitam æternam, consequi vitam æternam. Isti tamen nouatores per apprehensionem intelligi volunt motum quandam peculiarem animi acceptantis iustitiam, & applicantis credentis promissionem iustitiæ: Quemadmodum enim, inquit, mendicus egenus promissum, & à prædiuite aliquo oblatum bonū manu apprehendit, ita promissiones

Rom. 26.
9. & 10.
1. Tim. 6.

Dei,

Dei, fide tanquam manu quadam, & instrumēto quodam apprehendit. Verūm si per apprehensionem motus aliquis mētis præter firmum assensum & persuasionem de fidelitate & bonitate promittentis Dei, & fiduciam assequendi bonum promissum intelligatur: is sanè non fidei motus erit, sed potius consensus mentis in bonum oblatum. non enim donat Deus sua bona nisi consentienti & volenti: aut amor, quo erga bonum desideratum & oblatum, & simul erga benignum promissorem afficitur. Sed talem aliquem motum vocabulo apprehensionis non esse significatum in scripturis de iustitia apprehendenda agentibus manifestissimum est: quæ exponunt apprehendere iustitiam, idem valere quod peruenire ad iustitiam. Et rursus quod dixerat Apostolus: Israel nō peruenit ad iustitiam: postea exponit: quod quærebat Israel, hoc non est consecutus. electio autem consecuta est. In eo vero quod dicimus, gentes cōsecutas esse iustitiam, nullum peculiarem motum cōsecutionis aut apprehensionis designari, satis per se perspicuum esse existimo. Ad hoc igitur commentum excludendum, scripseram, quod secundum hoc commētum bona voluntas & affectus erga bonum promissum aut oblatum, & erga benefactorē, potius esset motus apprehensionis, quàm fides.

Rom. 9.

Rom. 11.

Casillatio.

Quod scripseram, iustitiam & salutem non soli fidei, sed modò pœnitentiæ, aliàs precationi tribui, eludit: Respondens: *Eatenus utrique horum*

rum tribui, quatenus fides mendicans est in utroque primarium & veluti cor. Sicut Christus Cananæ & Berthimæi ardentissimam flagitationem opis Christi, fidem appellauit: Et publicani, inquit, vox: esto mihi peccatori propitius: quid tandem aliud est quàm fides? Sicut Christus Marci 9. & aliàs præcipit, ut fide petamus quæ petitur. Item Iacobus 1. cap. & ultimo, precationem fidei omnia impetrare.

Respondeo: Pœnitentiam, & orationem, & alios quoslibet Deo gratos animi motus fidei debere, ut Christi sanguine, quem fides demonstrat, veluti aspergantur, & apud Deum commendentur. Verūm ex hoc prorsus ineptè & imperitè infertur, quod precatio, pœnitentia, & alij motus in iustificatione per spiritum sanctum excitati, sint ipsa fides. Et falsum est quod affirmat Illyricus, quod Christus ardētem precationem siue Cananæ, siue cœci Berthimæi, siue publicani, fidem appellat: sed fidem, orationis & humilis confessionis causam esse, & veluti fontem insinuat. Est quidem fide petendum, secundum doctrinam Christi & Iacobi. sed aliud profectò est fides quæ petit, aliud petitio siue oratio, quæ ex fide proficiscitur: sicut aliud est fides per dilectionem operans, aliud opus bonum & iustū quod fides operatur. & ineptè omnino diceretur, opus iustum esse fidem.

Dilatatio.

Adduxeram locum Lucæ de Magdalena, ad probandum quod dilectioni quoque & non soli fidei tribuant scripturæ iustificationem & remissionem peccatorum.

Casillatio. Lucæ 7.

Bb Respon-

Respondet Illyricus, *Nequaquam dici ei peccata remissa propter dilectionem, sed ex dilectione, tanquam fructus, monstratur verè ei esse cōdonata peccata. Textus enim propriè ita vertendus est: Propterea dico tibi, remissa sunt ei peccata multa. nam dilexit multum.*

Dilutio.

Animaduertis Christiane lector hominè istū sic præconceptam prauam sententiam sibi persuasisse, vt potius textum sacrae scripturae peruertere eligat, quàm manifestissimæ veritati cedere. Ante enim eius commentum, eruditorum nullus textum ita vertit: sed constanter omnes verterunt: Remissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multum. Et nostram sententiam alia scripturae approbant expresse. Ante omnia, inquit Petrus, mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes, quia charitas operit multitudinem peccatorum. Simili cauillatione & impietate eludere conatur illud Matthæi de operibus misericordiae. *Misericordiae*, inquit, *opera, non dicuntur esse causa efficiens salutis hominum, sed vt certū iudiciū et fructus veræ fidei cōmemorantur.*

1. Petri 4.
Prou. 10.
Matth. 17

*Cauilla
tio alia.*

Dilutio.

Cōsidera quæso Christiane lector, quod cum isti homini hic non liceret noua versione peruertere textum spiritus sancti, prauam interpretationem comminiscitur diuinæ sententiæ, potius quàm manifestissimæ diuinæ sententiæ cedit & obediatur. Sed quis obsecro auscultet tam impiæ deprauationi clarissimæ sententiæ? Tunc dicet rex his qui à dextris eius erunt: Venite benedicti patris mei, possidete paratū vobis regnū à constitutione mundi: Esuriui enim & dedi-

stis mihi manducare, &c. item: Discedite à me maledicti in ignem æternum: Esuriui enim, & non dedistis mihi māducare. In quibus sententijs clarissimè pronūciat iudex æquissimus Christus, opera misericordię, esse verā causā salutis electorū: sicut opera mala, aut neglectus operū bonorum vera sunt causā dānationis reprobōrū.

Postremò, quod adduxerā de Niniuitis scriptum apud Ionam: Vidit opera eorū quia conuersi sunt, hoc est, vidit pœnitentiam eorum de operibus malis, & misertus est super malicia quam cogitauerat facere eis: impudenti mendacio, suo more, eludere conatur. *Niniuitarum, inquit, ille externus luctus, & ieiunium non meruit remissionem peccatorum, vt iste fingit, sed iudicium fuit veræ conuersionis ad Deum, & præsertim fidei in misericordia Dei confidentis, & ab eo gratuitam condonationem precariò, non meritis suis, mendicantis.*

*Cauilla
tio alia.
Ionæ 3.*

Respondeo, ne verbulo quidem vno meritū alicuius mentionem me fecisse, sed tantū ostendisse, quòd propter luctum & ieiunium Deus sit placatus, & remissionem peccatorum pœnitentibus Niniuitis donauerit, nisi fortè hoc sit meritū tribuere remissionem peccatorum, dicere, Deum placatum esse Niniuitis, quia vidit pœnitentiam ipsorum. Quod tamen non ego, sed ipse Propheta disertè dixit. Sanè si hoc esset, merita Deo proponere, in his quoq; scripturis, in quibus propter fidē dicuntur homines iustificati, esset meritōrū iactatio. Deinde nō nostra sententia est, sed spiritus prophetici, Deum misertū esse

Rb ij Nini-

Niniuitis, quia vidit conuersionem & pœnitentiam eorū. quæ stabit firma & immota in æternum, quantumlibet oblatrent prophani nouatores, Illyricus cum suis sodalibus. Et quis nisi prorsus amens, non videat hanc esse euidentiſſimam deprauationem: Deum miſertum Niniuitis, quia vidit opera eorum, ſcilicet pœnitentiæ: hoc eſſe, Deum miſertum eſſe eis, quia vidit fidem eorum in miſericordiam Dei confidentiū, & opera externi luſtus & ieiunij non reſpexiſſe, niſi quatenus indicia verę conuersionis ad Deum, & præſertim fidei. Qualiſi verò opera externa internam conuersionem teſtantia, imo ex interna & vera conuersione profecta, Deo non æquę grata & accepta eſſent, atq; interna conuerſio. Scio Illyricum ſentire omnia opera contaminata eſſe: ſed ſi ob id opera externa nō reſpexit Deus, conſequens erit, quod ne internam quidē & verā conuersionē reſpexerit. quando quidē & illā impiē contendit contaminatā eſſe.

De promiſſionibus euangelicis gratuitis

Ad ſtatuendum & comprobandum, quod ſola fides iuſtificat & apprehendit promiſſiones Chriſti, Confefſio probationem vel primariam deſumpſit ex ratione promiſſionum euangelicarum, quod gratuitæ eſſent. Ego verò contrā reſponſi, promiſſiones euangelicas non ob hoc eſſe gratuitas, quod nullam conditionem operis alicuius præſcriberent aut requirerent: ſed quia Chriſti gratia niterentur, & quicquid ſine Chriſti fide & gratia ad eas conſequendas ageretur, inane & inutile eſſet.

Reſpon-

Reſpondit Illyricus, imò teſte ſcriptura, ideo eas *Cauilla- dici gratuitas, quia non noſtro merito aut iuſtitia, ſed tio Illy- ſoliuſ Chriſti merito, qui ſolus ſeipſum dedit pretium & rici. lytrum pro ipſis impetrandis, toti mundo comparatæ ſunt, & quia etiam indigniſſimis peccatoribus patent, modò eas vera fide expetant. Omne verò noſtrum meritum, ac veram iuſtitiam coram Deo eſſe propriè condonari, tegi, & non imputari nobis noſtram iuſtitiam.*

Reſpondeo, promiſſiones euangelicas à legalibus promiſſionibus nō in hoc diſferre, quòd iſtæ requirant conditionem operum, illæ verò eas non requirant. Sed quia per legem non datur gratia ſpiritus ſancti, per quam præſtentur conditiones requiſitæ, ſed tantum timor & cō-

Dilutio.

minatio legis tranſgreſſoribus incutitur. In euāgelio verò per fidem imperatur gratia ſpiritus ſancti, qua credentes valeant præſtare, & præſtent eas operum conditiones, quæ vel ad iuſtitiam, vel ad ſalutem æternam requiruntur. Sic explicat Hieremias euangelicas promiſſiones, quando ſcribit dixiſſe dominum: Ecce dies veniunt, & conſummabo ſuper domum Iſraël, & ſuper domum Iuda teſtamentum nouum, non ſecundum teſtamentum, quod feci patribus eorum in die qua apprehendi manum eorum, vt educerem illos de terra Aegypti: quoniam ipſi non permanſerunt in teſtamento meo, & ego neglexi eos, dicit dominus: quia hoc eſt teſtamentum, quod diſponam domui Iſraël, poſt dies illos, dicit dominus: Dabo leges meas in mentes eorum, & in corda eorum lu-

Differe- tia lega- lium & euangeli- carū promiſſionū.

Hier. 41. Heb. 8.

Bb iij perſcri-

August. de
spir. & lit.

Euāgelicorū
sive
gratularum
promissio
nis
genus.

percribam eas: & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum, dicit Dominus. De quo prolixè agit Augustinus, toto ferè libro de spiritu & litera. Ex quo etiā constare potest, quòd euāgelicæ promissiones, gratuite dicuntur, quia gratia spiritus sancti, quæ fides in euangelio annunciata impetrat, nituntur. Porro gratuitarū promissionum euangelij duæ sunt, quod ad præsentem causam attinet, species. Altera earum, quæ gratis, absque omni merito nostro, quamvis non absque operum certorum conditione, aliquid promittunt: qualis est promissio de reconciliatione, de iustificatione impij, de remissione siue condonatione peccatorum: quam constat requirere quidem fidem, & fidei opera, pœnitentiā, inuocationem & orationē, ac fiduciam diuinæ bonitatis: sed non meritū aliquod, propter quod credēs dignus sit condonatione peccatorum, reconciliatione & iustificatione. Alteram verò, quæ exigit meritum nostrū, sed ex gratia spiritus sancti cōparatum: qualis est promissio vitæ æternæ, quæ certantibus, & laborantibus promittitur propter operum iustorum meritum, & secundum operum iustorum dignitatem ac rationem, quæ ex scripturis sacris in Catholica ecclesia certissima sunt.

Hanc necessariam distinctionem cum nō teneant, & sequantur aduersarij, fieri non potest, quin in foedas scripturarum deprauationes & corruptions incurrant: quæ modò de his, modò de illis promissionibus agunt.

Quod

Quod ergo scribit Illyricus: *Promissiones euāgelicas & salutare, dici gratuitas, quia non nostro merito aut iustitia, sed solius Christi merito, comparatæ sunt toti mundo, etiam indignissimis peccatoribus, modò eam vera fide, hoc est, fide, per veram pœnitentiā ad Deum confugiente, expectant.* De priore illo promissionum gratuitarū genere, quæ pertinent ad remissionem peccatorū, reconciliationē, ac iustificationem impij gratis impetrandam, rectè & verò dicitur. Nam iustificatio & reconciliatio impij, gratis, sine dignitate aliqua operum, impio & peccatori tantū pœnitenti datur. Atq; ad hanc promissionem omnes scripturæ referendæ sunt, quæ peccatori pœnitenti & credenti promittunt gratuitam iustificationem, reconciliationem, & peccatorum condonationem. Credenti impio fides imputatur ad iustitiam. Ipse saluum faciet populum suum à peccatis. & Gratia saluati estis per fidem. item: Publicanus descendit in domum iustificatus, scilicet per humilem fidem, confessionem & orationem. Iustificat impium, & non operantem. item: Cum essemus inimici, Deo sumus reconciliati.

Quod vero scribit, *nullas promissiones euāgelij nostro merito obtineri, etiā si sit per fidē & gratiā Christi comparatū:* contradicit apertissimis scripturis, quæ disertissimè testantur, salutē æternā bonorū operū labore & iustitia obtineri. sicut superius euidenter & solide ostendimus. Vbi simul etiā demonstrauimus falsissimū esse, quod hic affirmat, omne meritum nostrū, & verā iustitiam coram

Rom. 4.
Math. 1.
Luc. 18.
Rom. 4.
& 5.

Bb iij Deo

Deo, esse propriè condonari, tegi, & non impu-
tari nobis nostram iniustitiam. Sunt verò &
hæ promissiones, quæ meritum ex gratia Chri-
sti comparatum requirunt & exigunt, verè gra-
tuitæ, quia nullis operibus sine gratia Christi
factis, siue sint legis opera, siue naturæ rationa-
lis, obtineri possunt. quæ opera Paulus in suis
epistolis gratiæ opponit. Quicquid igitur obti-
neri non potest à Deo, nisi per Christi gratiam,
rectissimè & verissimè gratuitum dicitur. Sic
Augustinus scribit in epistola ad Sixtum: Ipsa
vita æterna, quæ utique in fine sine fine habe-
bitur, & ideo meritis præcedentibus redditur:
tamen quia eadem merita quibus redditur, nō
à nobis parata sunt per nostram sufficientiam,
sed in nobis facta per gratiam, etiam ipsa gratia
nuncupatur. non ob aliud, nisi quia gratis da-
tur: nec ideo gratis, quia meritis non datur,
sed quia data sunt & ipsa merita quibus datur.
Secundum Augustini itaq; verissimam doctri-
nam generaliter omnes euangelicæ promissio-
nes gratuitæ vocantur, etiam illæ, quæ requi-
runt merita operum per Christi gratiam com-
parata: quia per solam gratiam Christi obtineri
possunt, & sine eius gratia neque per legem,
neque per naturam, neque per vlla opera ob-
tineri queunt. Tamen quædam sunt promif-
siones euangelij, quæ peculiari ratione gratuitæ
dicantur, eo quod gratis sine vlllo operum me-
rito impetrantur & obtinentur. Itaq; promif-
siones illæ in scripturis, quæ salutem promittunt
gene-

Augul. ad
Sixtum,
epist. 105.

generaliter, tam eam quæ est in reconciliatio-
ne, impij iustificatione, seu peccatorum condo-
natione sita, quam eam, quæ in vitæ æternæ
consecutione posita est (quales sunt pleræque
omnes) gratuitæ sunt: & salus, quæ generaliter
in eis promittitur, verè est gratuita. Non quod
salus omnis detur sine merito operū per Chri-
sti gratiam comparato, sed quia ea quæ datur
propter meritum & iustitiam, non datur nisi
per gratiam, per quam merita bona comparata
sunt, sicut passim in scriptis suis contra Pela-
gianos tradit diligenter & copiosè Augustinus.

Hæc cum ita se habeant, facile potest Chri-
stianus Lector perspicere, quid voculæ illæ à
Paulo tam studiosè vsurpatæ & inculcatæ (gra-
tis: sine operibus: nō ex operibus) sibi velint.
Manifestissimum enim est, eas non excludere
opera per fidem & gratiam facta, sed tantum
legis aut naturæ opera, aut denique qualibet
opera absq; fide in Christum, & adiutorio gra-
tiæ spiritus sancti facta.

Atque hæc sufficere arbitror ad comprimen-
dum maledicum hominem, qui tam detestan-
da & pudenda cœcitate catholicam & synce-
ram de gratuita salute hominum doctrinā per-
uertere & obscurare studet. Quemadmodum
Paulus scripsit, Elymam magū rectas vias Do-
mini peruertere.

Hiscæ igitur firmissimis, solidissimis ac verif-
simis probationibus catholicæ sententiæ consti-
tutis: quod non sola fide iustificantur credentes:

B b v quodq;

Vide lib.
de gra. &
lib. arbit.
cap. 6. &
sequent.

Act. 13.

quodque opera etiam ex fide facta, siue ad impetrandam peccatorum remissionem, reconciliationem ac iustificationem: siue ad salutem æternam consequendam, non sunt excludenda à iustificatione & salute. Nunc progrediamur ad examinandas cauillationes Illyrici contra nostras confutationes, quibus probationes, quas Confessio adduxerat ad confirmandam sententiam de sola fide iustificante, confutaueram.

Ac principio hoc animaduersione dignum est, quod suo more mentiens dicat nos docere, quod *partim per fidem, partim per bona opera seruemur.* hac enim orationis forma nusquam vñ sumus. Scimus enim ex doctrina Bernardi, per talem formam sermonis videri duas diuersas causas salutis cõstitui: quarum scilicet neutra ab altera depèdat. vnde negat rectè dici, quod partim per gratiam, partim per liberum arbitrium opus salutis operemur, quia operatio liberi arbitrij in salutis negotio ex ipsa gratia pendet: sicut opus bonum ex fide. Quare secundum eum minus circumspèctè dicitur, homines partim per fidem, partim per bona opera seruari. Sed dicendum est, vt semper diximus: Homines non per solam fidem, sed etiam per fidei opera seruari.

Bern. de grat. & lib. arbi.

Prima et quarta probatio.

Prima & quarta probatio desumptæ erant ex particulis illis, quibus crebrò Paulus vtitur in negotio iustificationis per fidem: Sine operibus: non ex operibus: sine lege: non ex lege: gratis: donum Dei est: non ex operibus legis, nisi per fidem, non ex vobis. Quæ particulæ æqui-

æquivalent voci (sola) quia exclusiua, sola, vel tantum, æquiualeat locutioni de aliquo aliquid affirmanti, & de alio idem neganti. Cum igitur Apostolus affirmet fidem iustificare, de operibus autem hoc neget, consequens esse eum docere: Sola fide nos iustificari.

Responderam Paulum excludere tantum opera, quæ absque fide fiunt, viribus liberi arbitrij, gratia Christi non adiuti, sed tantum doctrina legis.

Cauillatur Illyricus, me quod respondi neque probasse, neque probare posse vñlo certo, firmoque testimonio: *nò verò Paulo fuisse difficile istud ipsum expressè dicere, sò omnino id sensisset.*

Respondeo, me adhibuisse testimonia ex scripturis, quæ Catholicis hominibus & scriptoribus probatissimis satis solida & certa visa sunt, vt verè sunt solida, certa, & perspicua. Adduxeram locum ex epistola ad Romanos, illustrem admodum, de gentibus quæ consecutæ sunt salutem & iustitiam, deque ratione qua ad iustitiam peruenerunt: & contrà de Iudæis, qui ad iustitiam non peruenerunt, deque causa, ob quam non peruenerunt ad eam. Quid ergo, inquit Paulus, dicemus? Quod gentes quæ non sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam: iustitiam autem quæ ex fide est. Israel verò sectando legem iustitiæ, in legem iustitiæ non peruenit. Quare? Quia non ex fide, sed quasi ex operibus, cui addenda est ex sequenti capite sententia: Ignorantes enim

Cauillatio.

Dilutio.

Rom. 9.

enim Dei iustitiam (videlicet Iudæi) & suam quærentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti. finis enim legis Christus ad iustitiam omni credenti. An non luce meridiana clarius est, opera, quibus Iudæi sine Christo, imò repudiato Christo, tanquam ad iustitiam minimè necessario, contendebant iustificari coram Deo, fuisse opera absque fide in Christum, & absque adiutorio gratiæ Christi, per solam doctrinam legis facta? perinde atq; si expresse dictum esset, Iudæos operibus suis, quæ per suam sufficientiam cum legis doctrina operarentur, voluisse apud Deum iustificari, atque ideo Christum recipere noluisse, tanquam necessaria esset eius gratia ad iustificationem. Contrà verò gentes, quæ agnosceret omni opere bono se destitutas, quin potius tantum malis & impijs operibus contaminatas, de suis operibus diffisas in Christum credidisse, & hac fide vera & sincera ad iustitiam coram Deo peruenisse. An certius & firmius, ac magis perspicuum testimonium adferri possit ad demonstrandum, quod Apostolus à iustificatione Iudæorum opera ea tantum exclusit, quæ per propriam sufficientiam, ut inquit Augustinus, operabantur Iudæi? Certe tam firmum & perspicuum visum est Augustino hoc testimonium, ut veluti increpans cœcitatem Pelagianorum, acri sententia scripserit: Audi, inquiens, tu Pelagiane, & intellige: non ex operibus, dictum à Paulo, tanquam tuis, ex teipso. & rursus alibi, testimonium hoc Pauli

August. de
gra & lib.
arbi. ca. 8.

tra-

tractans quod nos adduxeramus: Ignorantes, inquiens, Dei iustitiam, & suam quærentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti. finis enim legis Christus ad iustitiam omni credenti. Et adhuc dubitamus, quæ sunt opera legis, in quibus homo non iustificatur (attende Illyrice) Si ea, inquit, tanquam sua crediderit, sine adiutorio & dono Dei, quod est ex fide Iesu Christi. Certè Augustino Paulus satis expresse dixisse visus est, quod per opera, ex quibus non est iustificatio, ea demum intellexerit, quæ ex proprijs viribus suis sine adiutorio & dono Dei operabantur, aut potius operari se iactabant. Ex eodem quoque testimonio clarissimè discimus, quæ sit apud Apostolum propria hominis iustitia, quam excludit à iustificatione, & quæ Dei iustitia ei opposita. Sed de hoc quoque superius multa dicta sunt, & mox pauca repetenda erunt.

Circa refutationem 12. probationis primæ sententiæ.

Adduxeram & alterum testimonium ex epistolæ ad Philipp. cap. 3. vbi Apostolus disertè suam iustitiam quæ ex lege est, suam, inquam, quam ipse legis sola doctrina adiutus, suis viribus, sine dono gratiæ Christi operatus erat in Iudaismo, pro reiectamentis habet, & amplectitur solam illam iustitiã quæ ex fide est Christi. Sed quo pacto & hoc testimonium eludere studeat aduersarius, & quo pacto eius cauillatio inanis refutetur, circa quintam refutationem nostram secundæ sententiæ confessionis supra prolixè demonstratum est.

Sed

Sed contrà quod Paulus excludat ex fidei iustitia coram Deo valente, omnia omnino opera nostra, hoc est, etiam ea quæ ex fide à iustificatis fiunt per gratiam spiritus sancti, ex sophisticis & inanibus ratiunculis se abundè probasse iactitat, quas tandem excutiamus.

1. ratiuncula sophistica Illyrici cōtra iustificationem operum fidei.

1. Illa ipsa locutiones exclusivæ: sine operibus: non ex operibus: sine lege: Donum Dei est: gratis: non ex vobis: simpliciter de toto genere pronuntiant, & nō de vna tantum specie operū, nempe sine gratia factorū, aut sine fide: sicut Tiletanus nugatur. Cū igitur spiritus sanctus de toto genere pronunciauerit, excludens simpliciter omnia opera, quæ conscientia audent Papiſta restringere oracula Dei tantum ad vnam speciem?

Dilutio.

Respondet tibi Illyrice Tiletanus, quod aduersus nugas, quas cum adferre dicis impudenter, expectabat solidam aliquam probationem: sed cū nullam adferri à te videat, sed tantū scripturas proponi, quarū catholicum sensum ipse sequitur & tradidit, & quem ex scripturarum circūstantijs solidissimè demonstrauit, tuas potius nugas contemnendas duxit. Quod verò spiritus sanctus generalem sententiam de toto genere operum haudquaquam pronunciauerit, sed tantum de certa quadam specie, nempe eorum operū, quæ sine Christo per propriam hominis sufficientiam, vt ait Augustinus, fiunt, hoc ipse in plurimis tuis testimonijs clarissimè ostendit, dum per Paulum nobis scriptum tradidit: Factores legis iustificabuntur apud Deum. item per Iacobū Apostolum: Abraham ex operibus iusti-

Rom. 2. Iacobi 2. & 1.

iustificatus est. rursus: Factor operis in facto suo, hoc est, opere ex fide facto, beatus erit. & plurima similia suprà prolixè enumerata sunt. Particulæ igitur exclusivæ ab Illyrico citatæ, tantum gratiæ Christi beneficium in negotio iustitiæ & salutis commendant, atq; ibi inutile esse docent, quicquid sine ea operatur homo: non autem opera, per gratiam Christi facta à negotio iustificationis aut salutis excludunt.

Quod verò cauillatur Illyricus, bella sane fuisse opera gentilium sine fide facta, vt ea valde necesse fuerit ex iustitia excludere, frivolum esse facile intelligit lector ex eo quod in epistola ad Romanos, & ad Galathas, & ad Philipenses, vnde desumuntur obiectæ exclusivæ particulæ, manifestissimū est aduersus Iudæos & pseudoapostolos ex Iudæis, potissimum sermonem dirigi: qui vel in propriarum virium operibus secundum legis doctrinam factis, vel certè cum fide Christi coniunctis confidebant. Et est superius à nobis Augustini illustris sententia de gentibus quoque citata: Inuenis de gentibus multos propterea nolle fieri Christianos, quia quasi sibi sufficiūt de bona vita sua. Benè viuere quidem opus esse aiunt: sed quid præcipiet nobis Christus vt bene viuamus? iam benè viuimus, inueniatur in vita nostra quod reprehendatur, & faciant nos Christianos. Habent hi gloriam suam, sed non apud Deum. Vides Illyrice, nisi oculos in tuam perniciem occludas, Paulo seriam causam fuisse, vt de operibus sine fide

August. in cōment. in Psal. 31.

fide Christi factis, & gentes quoque pariter & Iudæos recte instituerit & admonuerit. De operibus quoque bonis, quæ Pelagiani in fide quidē Christi constituti stabant sine gratiæ Christi auxilio, tuis viribus se facere: quid strenuus gratiæ Christi defensor Augustinus sentiat, ignorare non potes ô bone.

2. *Paulo ante, inquit, in defensione vocis, gratis, seu gratuita salutis, ostendi hanc salutem prorsus omnia nostra opera ac merita excludere.*

2. *rationum cula solum phisica.*

August. de grat. & libe. arbit. cap. 16.

Respondemus tibi Illyrice iterum, quod & paulo superius respondimus, Gratuitam salutem excludere quidem omnia nostra merita, quæ sunt ex proprijs nostris viribus comparata: at non ea, quæ ex dono Dei, & gratia Christi in nobis operantis parata sunt. Sicut disertè scripsit Augustinus contra Pelagianos meritorum iactatores: Si merita nostra sic intelligerēt, ut etiam ipsa Dei dona esse cognoscerent, non esset reprobanda ista sententia. Quoniam verò merita humana sic prædicant, ut ea ex seipsis habere homines dicant, prorsus rectissimè respondet Apostolus: Quis enim te discernit? quid habes, quod non accepisti? Deinde respondemus: Non continuo opera bona, quæ per iustificationem non excluduntur, merita propriè esse dicta. Sicut de operibus fidei & poenitentiae ad iustificationem impij necessarijs & conductibus, satis paulo superius diximus.

3. *rationum cula solum phisica.*

3. *In illa, inquit, copiosa descriptione saluantis iustitiæ ad Rom. 3. & in illa descriptione perspicua eiusdem ad Rom.*

Roman. 4. clarè adeò excluduntur omnia nostra opera ac merita, ut tota iustitia tantum in gratuita confectione, non imputatione, & condonatione nostræ iniustitiæ collocetur.

Respondeo, absurdam prorsus, imò impiam esse sententiam: Affirmare de patriarcha Abrahamo viro sanctissimo, & Deo acceptissimo, quod cum Deo crederet, & fidè adhiberet promissioni eius, tantopere ab ipso quoque Paulo, idque in eo capite ad Romanos, quo de eius iustificatione scribitur, commèdatam, peccarit, & confectione peccati egerit: eiuſq; iustitia, qua tunc per fidem iustificatus est, non aliud quàm peccati remissio fuerit. Et cõtra hanc absurdissimam vanitatè suprà latis multa dicta sunt, circa probationem primam commentitiæ iustitiæ putatiuæ. & rursus circa probationem nonam & decimam. rursus circa duodecimam probationem. item circa defensionem confutationis primi argumenti pro iustitia imputatiua. Et disertè scripsit Augustinus: Fidem quæ credenti imputatur ad iustitiam, esse fidem, per quam credens habetur, & est iustus apud Deum: quæ non est nisi fides, authore Paulo, per dilectionem operans. Fides igitur, quæ Abrahamæ est imputata ad iustitiam, non opera excludit, sed est fides bonis operibus facta & gravis.

4. *Tum, inquit, iustitia fidei, dicitur donum Dei ad Rom. 5. tum etiam ipsa vita æterna ad Rom. 6. Et ad Ephesios 2. Nullus ergo operibus aut meritis in hac iustificatione locus est. Quod enim gratuitum donum est,*

4. *Rationum cula solum phisica.*

C c id certè

id certè nullis nostris meritis aut operibus paratur aut acquiritur.

Auguf ad
Sixtum
epift. 105.
Idem de
grat. & li-
ber. arbit.
& de spir.
& litera.

Reipfio : Non potest hic homo ignorare, quanà ratione demòitret Auguf. in fuis fcriptis contra Pelagianos, vitam æternam fimul & donum Dei feu gratiam, & fipendium fiue mercedem effe, & opus iufitiæ quo peruenitur ad vitam æternam, effe fimul & gratiam & meritù, idque ex certiffimis fcripturis. Quare eruditiffimi illius viri prolixiores contra hanc inaniffimam cauillatiunculam difputationes pro confutatione obijcimus. de quibus fuperius non pauca difta funt. Quod verò quodlibet opus bonum fidei, etiam illud quo impius iufitiam impetrat, appellet meritum, quatenus admitti poffit, hic non effe excutiendi locus, neque argutiolæ obiectæ ratio & confutatio eam explicationem requirit.

5. Ratiõ
cula So-
piftica.

5. *Tota fcriptura, inquit, clamat nos redemptos & feruatos effe pretiofiffimo lytro fanguinis agni immaculati: ergo nullus effe locus noiftris meritis in paranda hac falute, eoque neceffariò ab hac falute etiam omnia opera noiftra ac virtutes excluduntur.*

Reipfio: Apoftolum Paulum difertè fcripiffie, Saluatorem noiftrum Iefum Chriftum dediffie femetipfum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret fibi populum acceptabilem, feftatorem bonorum operum. & rurlus: Fideles gratia quidem faluatos effe per fidem, fed creatos in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulent. Alibi verò

Tit. 2.
Ephel. 2.

difertè quoque fcripfit, per ea bona opera contendendum effe ad obtinendam coronam gloriofam æternæ vitæ. Bonum certamen certauit: cursum confummaui: de reliquo effe mihi reposita corona iufitiæ, quam reddet mihi iufus iudex. item: Quod in præfenti effe leue & momentaneum tribulationis noiftræ, magnum gloriæ pondus operatur in nobis.

6. *Paulus ipfius Abrahami, inquit, præftantiffima opera ex eius iufificatione excludit, idque etiam ea que poftea habuit in circumcifione.*

Reipfio: Iniquum poftulare Illyricum, vt fibi potius quàm Apoftolo Iacobo fidem adhibeamus, qui defertè fcripfit: Abrahamum ex operibus iufificatum effe, ijs, inquam, quibus fides coöperata effe. Opus verò illud heroicum, cuius Iacobus meminit, poft circumcifionem factum effe, docet facra Genefeos hiftoria. Haud ignoro, qua cauillatione eludat Illyricus Iacobi fententiam, fed eam cauillationem fuperius in proprio loco prolixè & folidè confutauimus.

Addit Illyricus. *Item fua quoque opera non folum que in Pbarifaiismo præftiterat, fed etiam præfentia & futura, à iufificatione excludit. Teftatur quoque fe non eo effe iufificatum, quod nihil fibi fit confcius.*

De his fententijs Pauli fuprà abundè dictum effe, & cauillationes ac deprauationes depulfæ funt. Ac demonftratum effe, quòd ad excludendum opera ex fide facta adeò nihil pertineat, vt etiam contrariù haud obfcure infinuent. Significat enim Paulus, quod fi Deo iudice fidele

Cc ij minifte-

2. Tim. 4.
2. Cor. 4.

6. Ratiõ
cula So-
piftica.
Rom. 4.

Iacobi 2.

Gen. 22.

Philip. 3.
1. Cor. 4.

ministerium in euangelio prædicando obiecit, per illud sit iustus futurus coram Deo: & similiter quod per iustitiam quæ ex fide est Christi, contendat promereri & consequi brauium superne vocationis.

7. Ratiõ
cula So
phistica.

7. *Nihil imperfectum ac immundum in conspectu Dei consistere potest, vt etiam ipse confitetur. at ipsemet supra confessus est, piorũ opera esse imperfectissima: igitur non debet adferri in iudicio Dei, vt per ea iustificentur.*


Respondeo: Splendidum esse mēdacium, me vīpiam scripsisse, aut confessum esse quod piorum opera sint imperfectissima. Scripsi, iustitiam omnium piorum in hac mortali carne esse imperfectam, imò cum Hieronymo, hāc esse huius mortalis vitæ perfectionem, agnoscere suā imperfectionē. At nihil dubito ipsūmet Illyricū probè intelligere, longè diuersa esse, Iustā vitam quorumlibet piorum esse imperfectā: & Omnia opera piorū esse imperfecta, vel, vt calumniator exaggerat, imperfectissima. Sed modò improbus homo possit imperito lectori fucum facere, nihil pēfi habet, quod scribit verū ne an mendaciū sit.

8. Ratiõ
cul. 1. So
phistica.

8. *Totius fiducia nostræ certitudo secundum Augustinum sita est in pretiosa passione Christi, & vnica omnium piorū spes est in mediatore exorante, & impetrante nobis remissionem peccatorum. nulla igitur pars fiduciae aut spei in vllis nostris operibus aut meritis collocari debet.*

Respondimus supra in confutatione octaui argumenti. Quia omnium piorum in hac corruptibili carne, vita quamlibet iusta, imperfecta est, & multis maculis respersa, ideo spei nostræ

nostræ totius certitudinē in eo esse sitam, quod habeamus aduocatum apud patrē, mediatorem Iesum, qui suo sanguine pretioso abluat maculas illas, quibus vita iusta respersa est: vt illis sanguine eius absterfis, vita iusta piorum possit apud Deum consistere. Non igitur sentit venerabilis Augustinus spem in iustis vitę operibus, laboribus, & meritis nō posse collocari: sed hoc tantum dicit, spem iustitiæ nostræ nō obtenturam æternam salutem, nisi pretiosus Christi sanguis subuenerit pijs ad abstergendas maculas vitæ piorum asperfas. In eo itaq; esse totius spei certitudinem, quod per Christum abluuntur illæ maculę vitę piorū asperfæ: In hoc, inquit Ioannes, perfecta est charitas nobiscum, vt fiduciam habeamus in die iudicij, quia sicut ille est, & nos sumus in hoc mundo. Et manifestissimum est Paulum non paruam fiduciam collocasse in suis sanctis laboribus, dum scripsit: Bonū certamen certavi: cursum consummaui: fidem seruavi: de reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi in die illa iustus iudex. Quin & Petrus audet scribere & adhortari fideles, vt per bona opera certam faciāt vocationem suam. Et Tobias disertè dicit: Fiducia magna erit coram Deo eleemofyna omnibus facientibus eam. Et sancti illius regis Ezechix illustra sunt verba: Obsecro domine, memento quæso quomodo ambulauerim coram te in v̄ritate, & in corde perfecto, & quod placitū est coram te, fecerim. Atq; Augustinus ipse disertissimè docet, iustorū



1. Ioan. 4.

2. Tim. 4.

1. Petri 1.

Tobie 4.

4. Reg. 9.

Chrysoft.
homil. 5.
in Math.
Hom. 20.
in Ioan.
& 30. in
Marth.

spem in meritis iustæ vitæ, & non in sola Dei misericordia consistere. de doctrina Christi. lib. 1. cap. 37. & 40. item in Psal. 31. atq; alijs plerisque locis. Et memorabilis est diui Chrysoctomi sententia: Vnusquisq; nostrum nulla alia in re spem suâ, nisi post Dei misericordiâ in morû sanctitate constituat. & rursus: In nullo alio, nisi in solis sui ipsius virtutibus, post diuinâ gratiam de salute cuius sperandû est. Porro dum sancti isti iuxta scripturarû sacrarum doctrinam docent post Dei gratiam & misericordiam in bonis operibus & meritis fiduciam collocandâ, non in alio aliquo saluatore, quàm in Christo spem collocant: quem sciunt esse omnis boni operis & meriti fontem & causam per suam gratiam, quam fidelibus donat vt bona opera & merita per eam comparent, quæ præparauit, vt per ea contendant salutis æternæ hæreditatem & coronam consequi.

9. *Ratiõ
cula So
phistica.* 9. *Apostoli Actorum 15. & Paulus ad Galatas 5. bona opera etiam in Christianis iam conuersis excludunt ex causa salutis: aded vt ea ratione pios (si nempe etiam per bona opera iustificari velint) prorsus excidere ex Christo dicant. Quare nullo modo nostra opera ac virtutes iustificationi admiscenda sunt.*

Abundè in confutatione quarti argumenti Confessionis, hæc cauillatio ex ipsa Pauli epistola ad Galatas euerfa est. Cum enim dicat Paulus, eam demum fidem in Christo Iesu valere, videlicet ad iustificationem, quæ per dilectionem operatur: quisnâ sanè mentis audeat

contra

contradicere Apostolo, & reijcere à iustificatione dilectionem & dilectionis opera? Nec semel tantum hoc dixisse sufficiebat Paulo, sed studiose repetit. In Christo Iesu, inquit, neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed noua creatura. vbi manifestissimum est eum affirmare, renouationem per spiritum tam interiorem, quàm exteriorem ad iustificationem coram Deo valere. Et in eodem loco disertissimè scribit, quod virtutes nouæ, & bona nouæ vitæ opera sint fructus spiritus sancti, quibus lex impletur, quorum finis est vita æterna. Quis quæso nisi excors audeat à iustificatione reijcere opera ea & merita quæ pariunt vitam æternam? Nunc, inquit Apostolus, liberati à peccato, serui autem facti Deo, hoc est, serui facti iustitiæ, ad Dei gloriam, habetis fructum vestrum in sanctificationem, scilicet vitæ: finem verò, scilicet huius fructus, vitam æternam. Quod autem assertit Illyricus Paulum dicere: Gratia excidistis, qui in lege iustificamini: superius demonstratum est dictum esse de ijs, qui gratia Christi non contenti, volebant miscere tempore lucis euangelicæ, vmbas legis cum luce veritatis iam exhibitæ: aut certe de ijs, qui non ex gratia Christi, sed ex fide iustificari quærebant. Gratia, inquit Augustinus, adiuuat, vt legis quisque sit factor, sine qua gratia sub lege positus tantummodo erit legis auditor. Talibus dicit Apostolus: Qui in lege iustificamini, à gratia excidistis.

Galat. 6.
Rom. 6.

Augus. de
gra. & lib.
arb. cap. 12
Galat. 5.

Cc iij 10. Pau

10. rati- 10. *Paulus, & tota scriptura toties excludit omnem
uncula so gloriationem nostram ex iustificatione. & denique id
pbistica. studio agit tota scriptura, ut totus mundus fiat reus, om-
nesque conuincantur peccati & iniustitiae: nulla ergo bo-
na opera admiscenda sunt iustificationi, alioqui esset pro-
fecto de quo gloriaremur. quod tamen non est quicquam.*

Respondemus vanissimam esse hanc cauilla-
tionem. Non enim prohibet spiritus sanctus in
scriptura, ut nemo gloriatur sed ut nemo glo-
rietur, nisi in domino, hoc est, interprete ipso
met Paulo, ut nemo gloriatur: de eo quod ac-
cepit, quasi non acceperit, sed ex seipso habeat.
Quid habes, inquit, quod non accepisti? Si au-
tem accepisti, quid gloriaris quasi non accepe-
ris? Hoc igitur est Paulo gloriari non in domi-
no, de eo quod accepisti gloriari, quasi id non
accepisses à domino. Rursus hoc est gloriari nō
in domino, quando salutem, quam non potes
accipere nisi à Deo, hominibus non Deo at-
tribuis. Nemo itaque, inquit, gloriatur in homi-
nibus, tanquam scilicet per illos, non per domi-
num iustificati & sanctificati essent. & rursus
in 2. epistola ad Corinthios, satis indicat quid
sit gloriari non in domino: Fiduciam, inquiens,
talem habemus per Christum ad Deum, non
quod sufficientes simus cogitare aliquid à no-
bis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex
Deo est. & rursus ad Ephesios: Gratia saluati
estis per fidem, & hoc non ex vobis. Dei enim
donū est, non ex operibus, ut ne quis gloriatur.
Cum igitur Paulus eam demum gloriationem
repre-

reprehendat, qua quis de propria sufficientia, vel
de proprijs viribus gloriatur, quasi ex seipso
habeat, & à Deo non acceperit, manifestum &
perspicuum est eam gloriationem, qua quis de
opere bono quod agnoscit & confitetur se non
ex seipso, sed tantum ex dono gratiæ Dei ope-
rari, gloriatur in Domino, hoc est, nec sufficien-
tiam illius operis faciendi, nec etiam gloriam
operis sibi tribuens, sed vni Deo, à Paulo aut
scriptura, ut cauillatur Illyricus, non prohiberi.
Ac de Pauli ipsius sancta gloriatione multa te-
stimonia habemus. Nam gloria siue gloriatio
nostra hæc est, inquit, testimonium conscientiæ
nostræ, quod in simplicitate cordis, & synceri-
tate Dei, & non in sapientia carnali, sed in gra-
tia Dei conuersati sumus in hoc mundo, abun-
dantius autem ad vos. rursus: Et ad hæc quis
tam idoneus? non enim sumus sicut plurimi
adulterantes verbum Dei, sed ex synceritate,
sicut ex Deo coram Deo in Christo loquimur.
rursus: Nam etsi amplius aliquid gloriatus fue-
ro de potestate nostra, quam dedit nobis Do-
minus in ædificationem, & non in destructio-
nem, non erubescam. rursus: Nos autem non
in immensum gloriabimur, sed secundum men-
suram regulæ, qua mensus est nobis Deus, men-
suram pertingendi vsque ad vos. & post pau-
ca: Qui autem gloriatur, in domino gloriatur.
non enim qui seipsum commendat, ille proba-
tus est, sed quem Deus commendat. Is igitur
perperam gloriatur, qui seipsum commendans

aut suæ sufficientiæ tribuit quod facit, aut certe suam ex eo gloriam quærit, non domini. Falsissimum itaque est, quod hic affirmat Illyricus, totam scripturam excludere eam gloriationem, qua iustificatus opera bona ex dono gratiæ Dei operâs, & gloriam operis boni in Deum transcribês, cuius dono ea operatur, gloriatur in domino. Sed de hoc superius quoq; dictum est.

Quod verò ad suæ prauæ doctrinæ atrocium adducit sententiam Pauli, vt totus mundus fiat reus, omnesque conuincantur peccati & iniustitiæ, manifestissimum est eam Pauli sententiam non eò pertinere, vt totus mundus, etiâ in ijs, qui iâ in Christû credentes iustificati sunt, sint rei, & conuincantur de perpetua iniustitia: sed tantum vt omnes siue ex gentibus, siue ex Iudeis sunt, agnoscant se reos esse peccati & iniustitiæ, donec per fidem in Christum ab iniustitia expurgentur & iustificentur, vel iustificati sectatores deinceps sint bonorum operû, & sobriè, iustè ac piè viuant per donû gratiæ Christi.

Rom 3.
Titi 2.
II. ratiuncula.
Hebr. 10.

II. *Vno sacrificio Christi dicimur perfecti facti esse, & omnia nostra peccata expiata esse, adeo vt ad plenû semper seruari possimus, quoties modò confugerimus fide per hunc mediatorẽ ad thronû gratiæ. Nullo ergo modo sunt opera nostra gratiæ & vnica propitiatiõni Christi adiûgenda.*

Respondeo. Ineptillimam esse hanc cauillationẽ. Vno sacrificio Christi omnia peccata nostra expiata sunt, vt quoties confugerimus fide per hunc mediatorem ad thronû gratiæ Dei, ad plenum seruari possimus, siue à peccatis expiaris:

Igitur

Igitur bona iustificatorû opera nõ sunt admiscenda iustificationi. Nõ enim agitur de operibus bonis iustificatorû admiscendis iustificationi ad expiationẽ peccatorum, sed ad incrementum & profectû iustitiæ, atq; ad promerendâ gloriæ æternæ coronâ. Sicut de suo certamine, cursû, & labore ac fide Paulus palâ dicit: quod ad coronâ iustitiæ promerendâ ea referebat, nõ autem ad expiationẽ peccatorû. quâquam nec ea bona credentiû opera, quæ in pœnitentia referuntur ad peccatorû expiationẽ, vnico Christi sacrificio vel minimû aliquid gloriæ detrahunt. Nõ enim virtutẽ aliquâ, aut vim expiandi peccata habet, nisi ex illo vnico sacrificio. Porro vnici illud sacrificiû, non per seipsum solû & semper, sine omni nostro labore & bono opere expiare peccata: sed requirere præsertim in lapsibus regeneratorû pœnitentiû laborẽ & studiû, clarissimè testatur Paulus: Si, inquit, nos ipsos iudicaremus, non vtique à domino iudicaremur. & rursus: Flagellat Deus omnem filium, quem recipit. Sed de eo alibi dicendum est.

1. Cor. 11.
Hebr. 11.

Postrema ratiuncula contexta est ex multis scripturis in superioribus ratiunculis propositis, & cõtinet veluti summâ probationû superiorû. Pertinet autẽ omnes ad legẽ, ad legis opera, ad iustitiam legis, ad iustificationem per legem, ad officiû legis, plane diuersum à iustificatione. nepe quod nobis cedat in mortẽ, quod per eã sit cognitio peccati, quod irâ operetur, quod omnes suos sectatores maledictioni subijciat, quia nemo

II. ratiuncula
fo
pbistica
multis ca
uillationi
bus facta.
Rom. 20
Galat. 3.

eam

eam præstare possit : quod denique neminem iustificare possit , sed adigat ad desperationem de nostris iustitijs & meritis, atque ita cogat alium medicum quærere. Contendit itaque in his scripturis, quæ de lege & legis operibus, & legis iustitia ac officio agunt, Paulum excludere totam legem cum suis operibus, etiam ijs quæ à fidelibus & iustificatis fiunt per donum gratiæ Christi, ac iustificationem omnem vni fidei apprehendenti iustitiam Christi attribuire.

Quoniam verò de harum scripturarum omnium vero & catholico sensu & explicatione satis copiosè disputatum est, ac perspicuè & solidè demonstratum, quid Apostolus per legem, quid per opera legis, quid denique per iustitiam legis intelligat. Rursus quid sit, hominem iustificari per legem, per legis opera, aut ex operibus legis: quid rursus, iustificari per fidem, sine operibus legis. item sine operibus. item non ex operibus : & per nullam illarum sententiarum excludi fidei opera à ratione iustificationis apud Deum, non existimarem ad hanc summariam sophisticam ratiunculam quippiam respondendum, nisi infirmo lectori & inerudito consulendum putarem. Itaque singulas cauillationes paucissimis percurram.

1. *Cauilla*
Rom. 3. 4
Ipsam quoque legem seu decalogum bona opera exi-
gentem ac præscribentem à iustificatione Paulus exclu-
dit. dicit enim: Iustitiam fidei absque lege patefactam
esse. item: Iustificari hominem fide absque operibus legis.
item: Si ij qui ex lege sunt, sint hæredes, inanis sit facta
pro

promissio, quia lex tantum iram operetur, & per eam sit solum cognitio peccati.

Abundè supra demonstrauius, Apostolum dum de lege, de legis operibus, aut legis iustitia loquitur, comprehendere non solum legem de cæremonijs præscribentem, sed etiam decalogum ipsum. Verum quia manifestè legem cum suis operibus discernit à fide & gratia Christi, & contrà fidem & gratiam distinguit, ideo rectè legem ac legis opera quelibet excludi à ratione veræ iustificationis coram Deo: ac eius officium potius esse operari, per occasionem tamen, mortem, iram, præuaricationem, maledictionem: ac tantum cognitionem peccati, non autem viuificationem aut iustificationem. Vnde Apostolus eam vocat literam occidentem, virtutem peccati, & ministracionem mortis: nequaquam verò à iustificationis coram Deo ratione excludi opera in decalogo præscripta, per fidem & gratiam Christi facta.

2. *Paulus expressè duas planè diuersas iustitias facit: Iustitiam legis, & iustitiam fidei.*

Rom. 7.
Rom. 4.
Galat. 3.

2. *Cauilla*
latio.

Rom. 10.

De hac differentia iustitiæ legis & iustitiæ fidei, satis copiosè diximus circa defensionem primæ probationis nostræ sententiæ: Iustificationem sitam etiam esse in bonis operibus fidei.

3. *Non excludit Paulus tantum cæremonialia opera, sed etiam moralia. Non etiam solum opera ante gratiam, aut fidem facta, sed etiam illa quæ Galathæ renati, & Abrahamus iam circumcisis faciebant: quin etiam simplici*

3. *Cauilla*
tio.

*pliciter excludit totam legem cum suis operibus ex no-
stra iustitia.*

Quod non tantum cæremonialia, sed etiam moralia opera, atque adeo totã legem excludat Paulus à iustificatione, quomodo verum sit, supra diuersis locis ostendimus. At verò quod non excludat renatorum opera, quæ ex fide facta sunt, & gratia Christi, nec Abrahami opera præclara: id quoque perspicuè & solidè supra monstrauiimus.

4. Cauilla-
latio.
Rom. 6.

4. *Paulus negat nos esse sub lege, sed tantum sub gratia Christi, aut gratuito Dei fauore, vt qui non iustificemur per obseruationem decalogi, sed per gratuitam imputationem iustitia Christi.*

Respondeo, ex sententia Pauli: Non sumus sub lege, sed sub gratia Christi: ipsomet Apostolo suam sententiam explicante, planè cõtrarium posse colligi. Mox enim declarat Apostolus, per gratiã, sub qua iam sunt credentes, donari eis vitæ nouitatem & iustitiam, per quam sanctificentur in hac vita, & postea accipiant finem, vitam æternam: Non regnet, inquit, peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentijs eius: sed exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem. Peccatum enim vobis non dominabitur. Non enim estis sub lege, sed sub gratia. & post pauca: Nunc liberati à peccato, serui autem facti Deo, habetis fructum vestrũ, hoc est, fructum iustitię, in sanctificationem: finem verò, vitam æternã. Cũ itaque gratia, sub qua iam agunt fideles, præstet,

præstet, vt operentur fructum iustitiæ, idque in sanctificationem, quis, nisi manifestus scripturæ deprauator, audeat docere, quod fructus iustitię, sanctificans fideles, & perducēs ad vitã æternã, non pertineat ad iustificationem coram Deo? cum iustificatio sanctificatione magna ex parte constet. Scelerata ergo est scripturæ deprauatio, ex eo quod scriptũ est: Credentes sub gratia esse, & non sub lege: colligere, quod fideles non iustificentur aut seruentur operibus iustitiæ, quam præcipit decalogus, ex fide & gratia factis: sed tantum imputatione gratuitæ iustitiæ Christi.

5 *Paulus minatur Galatis, quod si non per solam passionem Christi iustificari velint, sed etiam per obedientiam legis, tunc planè excidant à Christo: non vult gratiam operibus coniungi in iustificatione, sed vt sese inuicem destruentia sibi mutuo opponit, dicens: Si ex operibus, iam non ex gratia: sin ex gratia, iam non ex operibus. Sic & Galatis inquit: Nam si ex lege est hereditas, iam non ex promissione. item: Si ex operibus legis iustitia est, Christus frustra est mortuus. Galatæ iam in Christo erant baptizati, iam etiam spiritum sanctum acceperant, nec aliud volebant quàm partim per Christũ, partim per bona opera, qua iam renati faciebant, iustificari. Sed Paulus protestatur eos hac ratione euacuari à Christo, & reuolui sub legem, ac eius maledictionem.*

5. Cauilla-
latio.
Galat. 5.

Rom. 11.
Galat. 3.
Ibidem 2.

Respondeo, aduersarium has manifestas & sceleratas scripturarum diuinarum corruptelas, sua tantũ autoritate, sine vlla probatione inducere & adferre: sed nos potius fidẽ adhibere ipsi

Galat. 5.

ipsi spiritui sancto, sua testimonia satis clarè exponenti. Cum enim disertissimè Galathis testatus sit: In Christo Iesu neque circumcissionem, neque præputium quicquam valere, sed fidem, quæ per dilectionem operatur, valere, videlicet ad veram coram Deo iustificationem (nam de iustificatione disputatio est: an per legem, an verò per fidem expectanda sit) nonne expressè docet, quod fides per dilectionem operans opera iusta & sancta legis & decalogi, in iustificationis ratione comprehensa sit: & proinde opera quoque bona iusta & sancta, ex fide & gratia Christi facta, à iustificationis ratione non esse seclusa. Quid enim aliud est, non quamlibet fidem, sed eam demum valere ad iustificationem coram Deo, quæ per dilectionem est operibus iustis facta, etiam antequam ea pariat, quàm partum quoque ipsum bonorum operum ad iustificationis rationem pertinere? Et sane fieri nulla ratione potest, ut fructus ipse iustitiæ, quem eodem loco vocat fructum spiritus sancti, ab ipsa iustitia siue iustificatione coram Deo sit seclusus. Et in fine epistolæ eandem sententiam repetens, pro fide per dilectionem operante, posuit, nova creatura: In Christo, inquit, Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed nova creatura. Porro quod per novam creaturam, intelligat donum renovationis spiritus sancti, indubitatum est. Quare planè testatur Paulus, quod novitas vitæ, in qua posita est ratio novæ creaturæ, valeat in Christo

Galat. 6.

Christo Iesu, valeat, inquam, ad iustificationem coram Deo: ad quam nec circumcissionem, nec præputium valere dicit. Postremò, cum alibi expressè doceat, quòd factores legis iustificabuntur apud Deum. rursus Iacobus: Abraham ex operibus iustificatus est, & non ex fide tantum. itè: Factor operis in facto suo beatus erit. deniq; Ioannes in Apocalypsi: Quod datum est spòse, ut ornet se iustificationibus sanctorum in conspectu Dei: non est existimandum, spiritum sanctum apud Galatas destruere, quod alibi tam constanter & disertè docet.

Rom. 2.

Iacobi 2.

Ibidem 1.

Apoc. 19.

Quod igitur Paulus dicit: Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit. & rursus: Euacuati estis à Christo qui in lege iustificamini: tantum eò pertinet, ut admoneat Galatas, quod si Christi mortem & gratiam existimantes non esse sufficientem ad iustificandum & servandum credentes, illi addant legis Mosaicæ observationem, aut etiam cuiuscunque alterius legis, tanquam supplementem id quod deest gratiæ Christi, à gratia Christi, & salute quæ est per Christum donata, excidant. Pertinet enim ea existimatio & doctrina ad manifestam mortis Christi, & gratiæ Christi iniuriam & derogationem. Quæ cum sit per se ad iustificandum & salvandum sufficientissima & potētissima, nullius alterius legis subsidio indiget. Cum interim & alia sit, non admiscendæ legis Mosaicæ, gratiæ Christi, ratio, ut potè quia lex gratiæ Christi figurandam & pro-

mittendam, tanquam lucis & veritatis umbra quædam erat. Exhibita porro ipsa luce & veritate, umbra veritatis & promissio retineri non potest sine veritatis & lucis fulgentis iniuria. Ex quibus patet, haudquaquam parem esse causam iustificationum per gratiam Christi, & per eandem bene vivere, & bona opera exercere studentium, vt per ea & amplius iustificentur, & ad finem æternæ salutis perueniant, cum causa pseudapostolorum Galatas seducen-
tium. Non enim fideles per Christum semel iustificati, opera bona per Christi gratiam sectantur, vt Christi gratiæ tãquam insufficienti opitulentur: sed vt secundũ verã scripturarũ doctrinam gratiæ Christi ad suam salutẽ cooperentur. Sic enim scribit apostolus Philippensibus: Cum timore & tremore operamini vestram salutem. & ad Hebreos: Factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ.

Heb. 5.

Fuerant quidem Galatæ iam renouati, & spiritum sanctũ acceperant per Christi gratiam, de qua rectè eruditi erãt à Paulo: sed cum postea per pseudapostolos docerentur, quod gratia Christi per se nõ valeret eos iustificare & saluos facere, nisi per legis cæremonias obseruatas, aut etiam cuiuscunq; alterius legis obseruationem, gratia Christi adiuuaretur: excidissent sane à salute per gratiam Christi semel donata, nisi eam doctrinam pseudapostolorum, tanquam pestem & perniciem abijcerent & detestarentur.

Tandem concludit Illyricus, ex his ratiunculis

culis manifestum esse ita à Paulo, totaq; scriptura mendicę fidei tribui iustificationem, quia apprehendit iustitiam, aut per solutionem Christi pro nobis præstitam, vt excludat ex nostri iustificatione omnia opera nostra ac merita, cuiuscunque ea demum generis sint. Verum cum ex perspicua & solida confutatione vanissimarum ratiuncularum manifestissimum sit, nullam solidam probationem adductam ab eo esse: sed tantum diuinarum scripturarum impias corruptelas & deprauationes, contra totius antiquitatis explanationes (quis enim vlllo seculo scriptorũ Galatarum Iudaizãtium causam cum fidelium, bonorum operũ sectatorum per gratiam Christi, idq; vt per ea consequi possint salutem æternam, causa, parem fecit?) confido in Christo, quod Christianus frater & lector impias blasphemias Christiana constantia contemnet, & detestabitur.

Sed iam pergamus excutere reliquas probationes terciæ sententiæ: quod sola fide iustificemur: & tueri nostras confutationes.

Secunda probatio constabat testimonio, quo *2. Probatio* Christus iubet archifynagogum tantũ credere, *sententiæ* & vni ex turba dixit deprecanti pro filio suo: Si *Marci 9.* potes credere, omnia possibilia sunt credenti.

Responderam, per notã illam (tantum) non excludi præter fidem, omne aliud archifynagogi opus & studium. historiam enim à Marco descriptam disertè continere supplicem adorationem eius, & supplicem deprecationem.

Dd ij Chri-

Christum quoque eum admonuisse, vt constanter in fide permaneret, imò in fide proficeret, corrigeretque illum errorem quo detinebatur: Christum, non, nisi præsens præsentis filiæ decumbenti manus imponeret, posse ægrâ sanare: certè in fide hæsitabat admodum qui dicebat: Si quid potes, adiuva me.

Hic cauillatur Illyricus, imò excludi omnes alias eius cogitationes ac sollicitudines, & tantum admoneri eum, vt in sua precatone fidem constantem habeat, quia fides sola suppliciter à Deo misericordiam implorans, omnia bona ab eo impetrat. Exclusis ergo, inquit, omnibus alijs sollicitudinibus, in hoc vnum totus intentus esse iubetur. Et addit generalem sententiam: Non excludi quidem bona opera & virtutes ne adsint, seu vt quis veteretur eas habere: sed negantur esse vel media apprehendendi seu consequendi salutem, vel etiam planè ad salutem consequendam necessaria.

Cauillatio.

Respondeo: Hoc sanè nobis donare Illyricum ad obtinendam à Deo iusticiam aut salutem. (nam Archisynagogæ filiæ temporalem sanationem, designare rationem salutis spiritualis, indubitatum est) præter fidem, supplicem & constantem orationem necessariam fuisse. ex quo statim conficitur: non solam fidem iustificare, aut impetrare sanationem spiritualem: sed ad eam accedere debere constantem orationem, & supplicem adorationem iustificatoris Dei, & sanè etiam humilem peccati confessionem, & veram ac synceram poenitentiam. sicut publicanus orasse scribitur. Deus, propitius esto mihi pecca-

peccatori. Falsum est igitur omnes alias cogitationes aut sollicitudines excludi in nostri iustificatione præter solam fidem. quando & syncera peccati confessio, seu vera poenitentia, & supplex oratio præter eam requiruntur. Sed considera obsecro Christiane lector detestandam sententiam, quam impius homo adiicit, veluti temperans suam doctrinam de sola fide iustificante: Verum est, inquit, non excludi bona opera ac virtutes, sed negantur esse vel media apprehendendæ siue consequendæ salutis, vel etiam planè necessaria ad hoc. Sentit igitur quicquid præter fidem adhibetur ad iustificationem obtinendam à Deo, nec medium esse apprehendendi eam, nec ad eam consequendam necessarium. Sed refutant impiam eius & blasphemam sententiam manifestissima scripturarum testimonia, quæ perspicuè & solidè doceant, opera poenitentis, media esse, siue viam acquirendæ reconciliationis & iustificationis, atq; adeò etiam necessaria: & opera bona ac virtutes iustificatorum media, eaq; necessaria, quando adest facultas bene operandi, ad salutem æternam obtinendam. Cum interrogarent Iudæi, ad exhortationem primam Apostoli Petri perterrefacti, quid faciemus viri fratres? Petrus ait ad illos: Poenitentiam, inquit, agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in remissionem peccatorum vestrorum. rursum: Admonent Simonem illum Magum Apostoli, vt poenitentiam agat ab nequitia sua, & roget Deum, si forè re-

Impia & detestanda Illyrici sententia.

Act. 8.
Act. 11.
2. Cor. 7.
Lucæ 7.
Iona 3.

mittatur ei prava cogitatio cordis sui. rursus: Ergo & pœnitentiam dedit Deus gentibus ad vitam. item: Quæ secundum Deum est tristitia, pœnitentiã in salutẽ stabile moperatur. Nonne hæc testimonia clarissimẽ docent, præter fidem ad impetrandã iustificationem, requiri pœnitentiam, ac alia quædã, idq; tanquã media & vias, quibus perueniatur ad eam? Ac de Magdalena pœnitentia disertẽ scriptũ est: Remissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Et de Niniuitis: Vidit Deus opera eorũ, quia conuersi sunt de via sua mala, & misertus est eis. De testimonijs verò, quæ testantur iustorum virtutes ac bona opera non excludi à negotio salutis eterne, sed esse ad eam consequendã media ac vias, idque necessarias, si modo facultas bene operandi adsit, iam supra copiosissimẽ dictum est. Et obsecro te Christiane lector, quid possit magis impium ac detestandum adferri, quàm quod labores pœnitentiæ, negentur esse vel mediã consequendæ salutis, vel ad consequendã salutem planẽ necessarij, cum pœnitentiæ labores & scripturarũ authoritas, & tota patrum antiquitas tantopere fidelibus commendent: non tantum nõ excludentes eos, sed etiã vt mediã quædam, eaq; necessaria ad salutem consequendã, vel imprimis commendantes & requirentes?

3. Probatio
tertiã
seniã.

Tertia probatio pponit, gratuitã esse Dei promissionẽ, & pinde sola fide iustificationẽ accipi.

Responderam, promissiones Dei non ideo dici gratuitas, quod nihil operis requirant, sed solam

solam fidem: verum ideo, quia ex Dei gratia pendeat quicquid ad eas consequendas vtile est. & proinde fidei tam ad impij iustificationem, quàm ad iustorum æternam salutem consequendam, opera ex fide facta, & gratia Christi, adiungenda esse, qua de re superius satis copiosẽ dictum est.

Addidi quoque in responsione, Non minus ad opera fidei, quàm ad fidem, pertinere, ad salutem hominem perducere, seu salutem apprehendere. quod verum esse, eodem quoque loco satis demonstrauimus.

Sed cauillatur hic Illyricus, *me nihil responsisse ad hoc, quod sicut fides est propriè correlatiuũ promissionis, ita eius est potissimum promissa bona auere & accipere. ideo enim omnis promittens promittit, tum vt sibi credatur, tum promissum illud bonum expetatur ab eo cui promittitur.*

Cauilla-
tio.

Respondeo, me existimasse ex iis quæ de propria natura & ratione fidei dicta erant, hanc confutationem satis fuisse confutatam. Copiosius ergo & apertius dicimus, Fidei, de qua scriptura agit, correlatiuum proprium esse, non promissionem, sed authoritatem & veritatem diuinam, quæ nec fallere, nec falli potest. Ideo enim fide indubitata assentimur ijs quæ verbo Dei nobis sunt patefacta, siue promissiones sint, siue comminationes, quia de Deo certissimò persuasi sumus quod verax est, & nec fallere, nec falli potest, quia ipsissima veritas est. Et si fidem ad promissiones diuinas

De Corre-
latione fi-
dei & pro-
missionis.

Dd iij restrin-

restringamus, ac coarctemus, sicuti facit Illyricus, contra propriam fidei naturam, ne sic quidem verum est: fidei potissimum: vel potius solius esse bona promissa accipere. Verum intuenta est diligenter ipsius promissionis forma, ac promittentis voluntas. Si enim promissio ita sit gratuita, vt nihil profus operis requirat, aut vllam conditionem contineat: sed id vnum exigat, vt expetatur à promittente, verum quidem est velle promittentem, vt non solum statuatur & credatur vera dicere, sed etiam eius beneficium expetatur. Sed tamen verissimum tunc quoque est, quod ad fidem pertinet, de promittentis veracitate securū & certū facere eum, cui promissio facta est: ad aliam verò virtutem, & alium animi motum, promissum beneficium expetere, desiderare, & amare. Si vero promissio conditionem operis requirit, (vt verbi gratia, pœnitentiæ, confessionis peccati, supplicis orationis, aut etiam iustæ vitæ) tum certè præter fidem, qua de promittentis veracitate persuasus est is cui promittitur aliquod beneficium, requiritur imprimis, vt conditiones præscriptæ præstentur, & ita demū promissum beneficium expetetur & acceptetur. Ad solam quidè promissionem & oblationē magni alicuius & salutaris boni excitatur in animo eius cui sit promissio, desiderium, & expetitio, ac amor beneficij promissi: sed spes & expectatio consequēdi beneficij magis pendet ex implementatione cōditionis à promittēte præscriptæ, quàm à fide & per-

sua-

suasione de veracitate & bona voluntate promittētis. Quia igitur in impij iustificatione requiritur à Deo promittente credenti iustificationē, pœnitentia & confessio peccati, & propositum vitæ in melius cōmutandæ, humilis ac supplex deprecatio: ideo ex harum cōditionum adimplentione veraci & sincera, non minus quàm à fide erga Deum veracissimū, imò magis quàm à fide, pendet promissi boni adeptio. Non itaq; propriè ad fidem erga Deum & Dei verbū pertinet boni promissi vel expectatio, vel consecutio: sed magis ad pœnitentiam, orationem & confessionem miseri peccatoris. Expetitio quidem & desiderium, siue amor boni promissi ex fide nascitur, qua & bonum illud intelligitur, & certissimò præstandum à Deo cognoscitur: sed eius natura non est, bonum promissum vel expetere, vel auere, vel accipere. Vides lector, quod Illyrico magis aduersetur iactata illa fidei & promissionis correlatio, quàm patrocinetur.

Quinta & Sexta probationes suprā satis tractatæ sunt, nec peculiarem aliquam nouam examinationem requirunt.

Septimæ & octauæ probationis summa est: *7. & 8. probationes.*
 Quod cum nos reuera simus quidam mendici coram Deo, omnia præcaro ex eius misericordia impetrantes, ergo oporteat nos sortem nostram ex mendicorum huius vitæ natura agnoscere, qui eleemosynas, quas à diuite quopiam nanciscuntur, nullo suo merito nancisci dicuntur: sed tantum suppliciter mendicando, secun-

D d v dum

dum eius benignissimam promissionem, vltro, gratisque propositam miseris & egentibus, qua eos ad se blandissimè inuitavit & allexit, promittens eis suam beneficam opem.

Responderam, ex hac collatione médici corporalis cum mendico spirituali plane confici, quod non propriè ad fidei naturam & rationè, sed magis ad supplicem deprecationem & expetitionem pertineat, promissum bonum, aut promissam salutem consequi & apprehendere. Corporalis enim mendicus promissam vltro & gratis oblatam elemosynam à prædiuite quopiam & benigno patrefamilias, nò per hoc cõsequitur, & sibi applicat, quod credit promittentem esse fidelem & veracem, & bene erga se affectum ac beneuolũ: sed potius per hoc, quod de promittentis fide & bona voluntate erga se bene securus, secundum eius benignam promissionem, vltro & gratis propositam, elemosynam supplex petit, & acceptat. Sic ergo & spiritalis mendicus promissam iustificationem non per hoc consequitur & apprehendit, quod certa persuasione de fide & beneuolentia Dei nihil dubitat: sed potius per hoc, quod de Dei promittentis fidelitate nihil addubitans, supplici & constanti oratione eam petit & desyderat. Ea igitur cauillatio nostrã sententiam prorsus confirmat, & aduersarij sententiam confutat. Quãquam interim inter mēbra collationis non parua est differentia, quod promissio illa elemosynarum nullius conditionis præstandæ præscriptum

scriptum habet præter petitionem: diuina autem promissio de impij iustificatione conditiones quãdam, vt pœnitentiæ, synceræ conuersionis, humilis confessionis, sacramentorum susceptionis: promissio verò æternæ salutis iustificationis præscribit, & ab eis requirit conditionem bonorum operum ac iustę vitæ. Ac proinde qui eas consequi vult à Deo, debet non solum eas ex fide petere per supplicem deprecationem: sed debet etiam sollicitè studere præscriptas à promittente conditiones præstare.

Hic iam cauillatur Illyricus, fidem non apprehēdere quidem diuinas promissiones, nisi per supplicem deprecationem, petitionem, desiderium, seu expetitionem: verum petitionem hanc & expetitionem ad fidem pertinere. fidei enim non esse tantum quandam speculatiuam cognitionem, sed etiam appetitionem agniti boni.

Fidem itaque esse animi motum & affectum, ardentis desiderio ac fiducia opem Dei, vel beneficium Dei expectentem & amplectentem.

Atque in fide inesse non solum agnitionem boni promissi, sed etiam desiderium, & expetitionem ac fiduciam, rursus prolixè probat.

I. Quia tota scriptura aliàs clamat, Venite omnes sitientes ad aquas: venite qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Si quis venit ad me, non sitiet: si quis venit ad mē, non eijciam eum. Nemo potest venire ad me, nisi pater meus traxerit eum. Alias verò, Credite. Si quis crediderit. Hiscē, inquit, locutionibus scriptura vtitur vt æquivalentibus. Necessē est igitur in fide esse desiderium boni.

- Ephes. 2. *Paulus tribuit fidei fiduciam & accessum ad Deum cum confidentia, an hoc non cōplectitur etiam desiderium agniti boni?*
- Hebr. 4. 3. *Iubemur fide accedere ad Deum. Id fieri non potest mera speculatiua notitia, sine omni fiducia ac desiderio boni agniti, & per promissiones monstrati.*
- Iacobi 5. Marci 11. 4. *Fidei ubiq; preces tribuuntur, & precatio fidei omnia impetrare dicitur: an non est hoc votum boni?*
5. *Patres docent, quod credere in Deum, sit moveri in eum, pendere ex eo, & confidere in eum: quæ manifestè fiduciam & desiderium opis eius complectuntur. Est verò credere, idem quod fides.*
- Hebr. 11. 6. *Fide dicuntur p̄ mundum vincere, & ingentia opera efficere, ac bona à Deo impetrare.*
- Matth. 9. Marci 5. Lucæ 7. & 18. 7. *Toties Christus ingeminat, Fides tua te saluauit. cum miserii homines spiritalia bona simul & terrena impetrant, an hoc sit sola speculatiua notitia, & non simul ardenti desiderio ac fiducia boni agniti?*

Has probationes tam prolixè descripsi, vt ex eis manifestè redarguatur hominis istius prophana doctrina.

Ac primum hoc nobis concedere cogitur, quod fides non impetrat iustitiam aut iustificationem, nisi per supplicem orationem & ardentem præcationem ac desiderium. Sed vnde quæso orationis pius affectus in peccatore misero exoritur? Audi Augustinum: Neq; ab originali peccato, neque ab his quæ vnusquisque in vita propria mala congregat, quisquam liberatur & iustificatur, nisi gratia Dei per dominū nostrum Iesum Christum, non solum remissio-

ne

Aug. epist. ad Sixtū 105.

ne peccatorum, sed prius ipsius inspiratione fidei & timoris Dei impartito salubriter orationis affectu & effectu. & rursus: Sine spiritu fidei non est rectè quisquam crediturus, neque sine spiritu orationis salubriter oraturus. non quia tot sunt spiritus, sed omnia hæc operatur vnus atque idem spiritus, diuidens propria vnique sicut vult. Ex quibus manifestum est, pium & supplicem orationis affectum non ad naturam fidei pertinere, aut in natura fidei inesse: sed per peculiare spiritus sancti donum, fidei, vt impetrare valeat iustitiam & iustificationem, adiūgi. Hanc, inquit Augustinus, fidem volumus habere homines, qua impetrent charitatem. & rursus: Qui habent fidem, qua impetrent iustificationem, per Dei gratiam peruenerunt ad legem iustitiæ. Itaque fidei quidem rectè tribuitur simplex deprecatio, sed quæ non ex ipsius fidei natura & ratione oriatur, sed quæ ex spiritu sancti peculiari dono credenti inspiratur. Sic & fide credimus in Deum, quod est, inquit Augustinus, credendo amare, credendo diligere, credendo in eum ire, & eius membris incorporari. Ipsa est ergo fides, quam à nobis exigit Deus: & non inuenit quod exigit, nisi donaerit quod inueniat. Quam fidem definiuit alio loco plenissimè Apostolus, dicens: Neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per dilectionem operatur. Tribuitur itaque fidei non solum affectus pius orationis, sed etiam affectus sinceræ dilectionis. Sed vnde quæso

1. Cor. 12.

Aug. epistola 106.

August. tract. 29. in Ioan.

Galat. 5.

quæso affectus synceræ dilectionis est in homi-
 ne credente? an inesse putandus est naturæ fi-
 dei? Audi Apostolum docentem vnde sit: Cha-
 ritas, inquit, Dei diffusa est in cordibus nostris
 per spiritum sanctum, qui datus est nobis. Ac-
 cedit igitur charitas peculiari dono spiritus san-
 cti fidei, non autem inest ipsi fidei. Postremo
 fidei tribuuntur iusta piorum opera, vt prolixè
 declarat epistola ad Hebræos: sed quod ea o-
 pera non operetur fides, nisi per charitatem, per
 spiritum sanctum donatam, disertissimis ver-
 bis demonstrat Apostolus, quando scripsit:
 Eam demum fidem valere in Christo, quæ per
 dilectionem operatur. Per charitatem itaque
 operatur fides iusta & sancta opera, non autem
 per suam naturam. sicut rectè scripsit Augusti-
 nus: Paulus, inquiens, non qualemlibet fidem
 qua in Deum creditur, sed eam salubrem, pla-
 neque euangelicam definiuit, cuius opera ex
 dilectione procedunt. & fides, inquit, quæ per
 dilectionem operatur. Vbi autem hæc fidelis
 charitas operatur, sine dubio bene viuatur.
 Plenitudo enim legis, charitas. & alibi: Ipsam
 fidem non facit vtilem, nisi charitas. Sine
 charitate quippe potest fides esse, sed non &
 prodesse.

HÆC cum ita sint, perspiciat lector, quid
 secundum sacrarum literarum doctrinam, fi-
 dei, quid charitati, atque alijs virtutibus ac
 donis spiritus sancti tribuendum sit. Et secun-
 dum Pauli doctrinam, fidem, spem, & chari-
 tatem

Rom. 5.

Hebr. 11.

Augus. de
 fide & o-
 peribus
 cap. 14.

Galat. 5.
 Rom. 13.
 Augus. de
 trin. lib. 15
 cap. 18.

1. Cor. 13.

tatem (vt de alijs spiritus sancti donis nihil di-
 cam) esse distinguendas, ac diuersa esse earum
 officia & opera, ac cuique sua propria. Neque
 hanc distinctionem virtutum fidei, spei, & cha-
 ritatis, officiorumque earum ex Aristotele, aut
 sophistarum somnijs (vt cauillatur maledicus
 homo) desumptam esse, sed ab ipso Paulo di-
 sertè traditam. Quando itaque scriptura fidei
 tribuit omnia, quæ ad iustitiam & salutem per-
 tinent, non inducit quandam Babylonicam
 virtutum confusionem, quasi fides vnica sit vir-
 tus & sola, quæ ad salutem & iustitiam per-
 ducat (sicut contendunt isti homines persuade-
 re ex phrasibus, vt iactitant, Hebræis, & sacra-
 rum literarum proprio sermone) sed designat,
 initium salutis, & fundamentum omnis pie-
 tatis ac salutaris actionis fidem esse, qua credi-
 tur, Deum esse & remuneratorem benefacto-
 rum, & vltorem ac vindicem malefactorum.
 Sine fide, inquit Apostolus, impossibile est
 placere Deo. credere enim oportet acceden-
 tem ad Deum, quia est, & quia inquirenti-
 bus se remunerator est. Sic Apostolus dicit,
 per fidem Christum habitare in cordibus fide-
 lium. item: Fide purificari corda: Iustum ex
 fide viuere. non quod hæc fiant per solam fi-
 dei naturam, sed semper meminisse oporteat,
 eam demum esse salubrem fidem, & verè eu-
 angelicam, quæ per charitatem operatur, hoc
 est, cui charitas, tanquam anima viuificans,
 connexa est.

Hebr. 11.
 Ephe. 3.
 Augus. de
 fide & o-
 peribus
 cap. 14.

Cernis

Cernis iam Christiane lector non figmentum esse Catholicorum doctrinam de fidei natura propria, proprioque officio, & eius ab alijs spiritus sancti virtutibus distinctione (sicut maledicus iste homo impudenter calumniatur) sed ipsius non Catholicismum, sed Lutherismum cum diuina scriptura prorsus pugnare. Et hoc quoque dignum est animaduersione, quod iustitiam ac salutem fides operari non valeat, nisi per alia spiritus sancti dona: per donū quidem piæ orationis, impetrando charitatem & remissionem peccatorum: per donum vero charitatis, operando iustitiam, & iuste viuendo. Quæ omnia fidei contendunt isti nouatores tribuenda, atque ideo veras esse sententias: Sola fides iustificat. Sola fides saluat. cum hæc inter se manifestissimè pugnent. Fides non iustificat, nisi per charitatis operationem: aut certè fides iustificat, per dilectionem operando: & fides sola iustificat coram Deo.

Sed de sola Christi iustitia, de sola imputatione, & de sola fide, hætenus satis dictum est: & solidis, ac perspicuis fundamentis, ex scripturarum recto sensu constitutis, tres de illis, sententiæ Confessionis reiectæ sunt & confutatæ.

Post confutationem sententiarum trium, de triplici vocula exclusiua (Sola) adscripseram: Nec hoc quidem verum esse, quod per solum Christum iustificamur (si dum dicimus solum Christum, omnè hominis cooperationem concurren-

currentem cum Christo, in iustificationis negotio exclusam esse intelligamus), quomodo aduersarium Illyricum intelligere iam satis supra ostensum est. nam hanc explanationem disertè & expressè adieci.

Admodum acriter & impotenter hanc sententiam excipit, ac diris maledictionibus nos deuouet, quod tam petulanter suam gloriam Deo detrahaturus, & scientes contra agnitam veritatem grassetur.

Sed obsecro te, per Christum Christiane lector, vt eius maledicam improbitatem consideres & detesteris. Nihil enim à me scriptum est, quod non ab Augustino traditum esse iam iam intelligere poteris. Scribit enim Catholicus ille doctor, exponens illud in euangelio Ioannis: Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet: in hunc modum: Qui credit in Christum, operante in se Christo, cooperatur salutem æternam ac iustificationem suam. & rursus: Vtique minus est: verba iustitiæ prædicare, quod fecit præter: nos quam impios iustificare, quod ita facit in nobis, vt faciamus & nos. Quid obsecro à me dictum est, quod non disertis verbis Catholicus doctor hic dixit? Non quidem quod iustitiæ virtutem homo in seipso faciat: sed quia non perducit Deus hominem credentem ad iustitiam, nisi per credentis hominis cooperationem: nec ad salutem æternam, quæ perfecta est hominis iustificatio, nisi per bona & iusta opera, in quibus gratiæ Dei cooperatur. Ea autem fuit mihi causa, hanc sententiam: Per solum

Ec Deum

*Cauilla
tio im-
probissima.*

Dilutio.

*August.
tract. 72.
in Ioan.*

Ioan. 14.

Deum iustificamur: excutiendi & interpretandi, quod scirem Illyricū cum suis sodalibus, etiam ea opera, quæ ad impij iustificationem requiri non audent negare: supplicem scilicet deprecationem, & humilem confessionem peccati, ac desiderium salutis, imò & auersione à peccato, & cōuersionem ad Deū: à iustificationis ratione excludere. Quā sententiā impiā per scripturarū testimonia perspicua & solida detestari volumus, dū scripsimus: Ne hoc quidē verū esse, quod per solū Christū iustificamur. si per exclusiua partícula (solū) excludi intelligatur omnis humane voluntatis cooperatio, etiā quæ ex fidei gratia fit.

*Obiectio
Illyrici.
Eiaze 63.*

At obijcit Illyricus scripturas. Apud Esaiam scribitur Christus solus calcasse torcular. Verū aliud est, Christum torcular solum calcasse, nemine scilicet in torcularis laboribus sibi subueniente, & torcularis labores illos subleuante, aut mitigante: aliud, Christum hominē credentem, non cooperante homine, iustificare, & ad salutem æternam perducere. Christum enim torcular calcasse, est, eum supplicium peccatis nostris debitum persoluisse, per pretiosi sanguinis effusionem: in quo sanè opere nulla hominis cooperatio interuenit: sed Christum hominem per fidem iustificare & saluare, est, hominem non nisi volentem, consentientem & cooperantem, ad iustitiam & salutem perducere: id quæ etiam per hominis credentis supplicationem, pœnitentiam, & conuersionem, tanquam per media ac vias ad iustificationem consequendam à Christo

Christo ordinatas, item per opera iusta ad salutem æternam. Vnde Iacobus admonet peccatores, vt purificent corda sua.

*Iacobi 4.
Ioan. 1.*

Eadem ratione & solus placauit patrem, quātum attinet ad iusti pretij & sufficientis pro omnium peccatis persolutionem. Sed sanè à placatione cœlestis patris non quidem secundum pretij sufficientis & iusti persolutionem & magnitudinem, seu potentiam (vt loquitur Augustinus) sed secundum effectum, & impetratam iustificationem, non excludi hominis cooperationem, videlicet pœnitentiam, auersionem à peccatis, & conuersionem ad Deum, hominis quoque pœnitentis supplicationem, lachrymas, gemitus, ieiunia & eleemosynas, innumera scripturæ testantur. Orauit, inquit scriptura, Ezechias pro populo, & placatus est populo. & rursus: Mosi oratione placatus est dominus, ne faceret malum quod locutus fuerat aduersus populum suum. rursus: Stetit Phinees, & placauit, & cessauit quassatio.

1. Ioan. 2.

*2. Par. 30.
Exod. 32.
Psal. 105.*

Neque cum dicimus, pijs quibusdam affectibus & studijs à spiritu sancto inspiratis cooperari credentes Deo ad impetrandam iustificationem, seu ad sui iustificationem, & iustis operibus ad consequendam salutem æternam alia nomina constituimus sub cœlo, in quibus iustificemur aut saluemur, quàm Christi nomen. quia tam in præparationibus impij ad iustificationem & reconciliationem, quàm in operibus iustorum ad consequendam æternam vitam,

Act. 4.

Ee ij nullum

nullum valorem, vtilitatem, aut virtutem agnoscimus, quæ non sit ex Christi nominis virtute aut operatione. Neque aliquod nomen aut Dominici, aut Francisci, fidelium Dei ministrorum adiungimus Christo (vt impius iste & blasphemus in sanctos Dei homines calumniatur) tanquam Christi subsidiariorum, Christoq; opitulantium: sed acceptissimos Deo homines nobis asciscimus, vt Christi aduocati nostri patrocinio indigni non simus. sicut Paulus ecclesiarum, quas instituerat, preces postulauit, vt per eas Christo, quem sciebat aduocatum omnium esse apud patrem cœlestem, commendatior esset. Reprimat itaque filius Dei istos hostes Catholicæ doctrinæ, ne pusillorum sensum à veritate sanæ doctrinæ in pestilentes ac perniciosos errores abducere valeant, & ad agnoscendam sanæ doctrinæ veritatem potenti virtute ac gratia sua eos compellat.

Quoniam in longa hac & multa disceptatione de fidei iustitia, ac de vera iustificationis ratione patrum doctrinam citaueramus; eique nostram sententiam ad amussim consentire ostenderamus, visum est Illyrico consultum, quod & ipse patrum aliquot testimonia adscriberet, scilicet quæ ad suos impios errores, probabili aliqua specie, detorqueri ac deprauari posse videbat.

Primum itaque testimonium Hieronymi ad Ctesiphontem aduersus Pelagianos adducit.

Hæc hominis sola perfectio est; si imperfectos esse se

nomes

nouerint. Et vos, inquit, cum omnia feceritis, dicite: *Serui inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus. Si inutilis est qui fecit omnia, quid de illo dicendum est, qui explere non potuit? Vnde & Apostolus ex parte accipisse, & ex parte comprehendisse se dicit, & necdum esse perfectum, præteritorumque obliuisci, & in futurum se extendere.*

Hoc Hieronymi dictum manifestam habet intelligentiam cum nostra sententia & doctrina planè consentientem. Verissimè enim & rectissimè affirmat, quemlibet hominem in hoc mortali corpore, quantumuis in iustitia vitæ progressus sit, & profecerit, debere ingenuè agnoscere, se adhuc imperfectum esse: atque eam demum esse veram hominis iusti perfectionem, si se esse imperfectum ingenuè agnoscat. non quidem quod nihil veræ iustitiæ habeat, quodve omnis eius iustitia, quam per spiritum Christi operatus est, sit coram Deo iniustitia, egens remittente & condonante misericordia: sed quia adhuc mali in carne inhabitantis pugnam aduersus spiritum inuitus sentire & pati cogitur. per quam fit, vt multis maculis & peccatis, quibus per fragilitatem sæpe consensum adhibet, contaminetur cursus vitæ eius, pro quibus veniam & misericordiam condonantem postulare necesse est. Ob causam Apostolus Paulus se perfectum esse negat, sed ad perfectionem assiduè tendere: qua, tandem absorpta mortalitate, libera mente, & ab omni corporis corruptione expedita, Deo

Ee iij totus

Rom. 15.
2. Cor. 1.
2. Thef. 3.

Rom. 7.

totus & mente & corpore seruire possit. Et cum hi quoque qui omnia facerent, debeant se inu- tiles ingenue confiteri, eo quod nihil fructus aut vtilitatis Deo omnium domino, & nullius e- genti attulissent: multo magis æquum esse, vt hi qui omnia explere non valent, se seruos inu- tiles confiteantur, & imperfectos ingenue agno- scant. Manifestissimum est contra Pelagianos agere Hieronymum, qui hominem suis viribus, sine omni peccato viuere posse docebant, atque ita perfectam iustitiam hæcenus præstare posse, quæ esset ab omnibus peccati maculis expur- gata. De quibus pronunciat Hieronymus, quod ipsorum ista præsumpta & iactata perfectio, falsa & inanis perfectio esset. Solam enim eam esse hominis in hac vita perfectionem veram & synceram, si se imperfectum esse nosset & confiteretur.

Idem libro 2. aduersus Pelagianos.

Rom. 3. *Omnes enim peccauerunt, & indigent gloria Dei. iustificati gratis per gratiam ipsius. Sin autem scribit: Existimauimus fide iustificari hominem sine operibus legis, si quidem vnus Deus est qui iustificat circumcisi- onem ex lege, & præputium ex fide, manifestè ostendit, non in hominis merito, sed in Dei gratia esse iustitia- m, qui sine operibus legis credentium suscipit fidem.*

Rom. 6. *Vnde sequitur: Peccatum vestri non dominabitur. Cur?*

Ibid. 9. *quia non estis sub lege, sed sub gratia. non enim volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. Vnde gentes quæ non sectabantur iustitiam, comprehenderunt iustitia-*

tiam, iustitiam autem ex fide: Israel autem sequens legem iustitiæ, in legem iustitiæ non peruenit.

Hoc Hieronymi testimonium planè contra aduersarium facit, & manifestè confirmat no- stram sententiam. Docet enim per illud Hiero- nymus, nostram iustitiam in gratia Dei, non au- tem in proprijs operibus, hoc est, in operibus legis consistere. sicut contendebant Pelagiani. Contendebat enim, quod in operibus legis per vires liberi arbitrij, sine gratiæ auxilio præstitis iustificaretur homo corâ Deo. quod falsum esse ex eo conuincit Hieronymus, quod gentes non habentes opera legis, sine operibus legis, scilicet per proprias vires factis, iustificat Deus. Ex eo enim constat, quod vera apud Deum iustitia non constet ex hominû proprio opere, aut me- rito, sed ex Dei gratia, gentes sine operibus le- gis per fidem iustificantis. Atque hoc docet scri- ptura, dicens: Non estis sub lege, & in proprijs viribus derelicti, sed estis sub gratia adiuuante & iustificante: & ideo peccatum non domina- bitur vestri, vti solebat, quando eratis sub lege sola positi, & proprijs viribus derelicti. Atque hoc est, quod iterum dicit scriptura: Non est volentis, neque currentis, hoc est, non est in so- la voluntate hominis positum, iuste viuere, & iustitiam operari: sed est positum in gratia mise- rentis Dei, voluntatè vestram adiuuante & iu- stificante. Qua sententia solidè confutatur Pe- lagiani, qui docebat, homines suis operibus, sine Christi gratia factis, posse iustificari apud Deum,

Ee iiij & ex

& ex Christi gratia nō pendere necessario hominum iustificationē. Quæ omnia nostræ sententiæ ad amissim consentiunt.

Idem super ad Romanos 10.

Ignorantes quod Deus ex sola fide iustificat, & iustos se ex legis operibus, quam non custodierunt, esse putantes, noluerunt se remissioni subijcere peccatorum, ne peccatores fuisse viderentur. sicut scriptum est: Pharisæi autem spernentes consilium Dei in semetipsos, noluerunt baptizari baptismo Ioannis. Obserua, inquit Illyricus, quod Hieronymus verba Pauli: Iustitiæ Dei non fuerūt subiecti: reddidit per illa: Noluerunt se remissioni subijcere peccatorum.

Admiranda improbitas istius hominis, qui sententiam clarissimā deprauare, & derorquere ad suam impiam sententiam: Omnem piorum iustitiam esse peccatum: audet. Manifestissimum est enim, Hieronymum de Iudæis suam sententiam scribere, quod cum legis opera non præstarent, vellent tamen legis operibus se coram Deo iustificare, & nollent se remissioni subijcere peccatorum. In quo bis peccabant superbi Iudæi, tum quod peccata sua agnoscere recusabant, tum quod operibus legis sine gratia Christi iustificari volebāt. Ex quo euentissimum est, non esse consequens, quod in omni opere suo credens debeat postulare remissionē peccatorū. quæ est sententia istius magistri. Quod autem dicit Hieronymus, Deū ex sola fide iustificare, luce meridiana clarius est, nō excludi nisi opera legis, hoc est, opera per legis doctrinam, & vires

liberi

liberi arbitrii, sine gratia Christi facta. nā de talibus operibus cum Pelagianis disceptatio Hieronymo erat.

Et aliquanto post.

Moses distinxit in Leuitico inter vtramq; iustitiam, fidei scilicet atq; factorum: quod altera operibus, altera, sola fidei credulitate accedente, fiat. Leuit. 18.

Sententiæ per se satis manifestæ scdam deprauationē deprehendes, si obserues Hieronymum differentiam duplicis iustitiæ in hoc ponere, quod altera operibus fiat, altera non fiat nisi accedente fidei credulitate. Vtramque ergo iustitiam dicit fieri, alteram solis operibus, alteram sola fidei credulitate accedente, hoc est, nō nisi fidei credulitate accedente. Vbi vides manifestè positam esse à sancto doctore in hoc differentiam iustitiæ legis, & iustitiæ fidei, quod iustitia fidei non potest præstari ab homine, nisi accedente ad vires humanas fide, quæ impetret gratiam Christi: legis autem iustitia fit in operibus ipsis legis, non accedente scilicet Christi gratia per fidem, ad vires humanas. sicut supra ostendimus quoque apostoli sententiam interpretatū esse August. Israel verò persequens legē iustitiæ, in legem iustitiæ non peruenit. Quare? quia non ex fide, sed tanquam ex operibus, id est, tanquam eam per semetipsos operantes, nō in se credentes operari Deū. Vnde & hoc Hieronymi dictum pro nobis, & contra aduersarium euentissimè facit.

Bernardus in sermone 23. super Cantica.

E e v

Stat

Luc. 7.

Rom. 9.
August. de
spi. & lit.
cap. 28.

Rom. 8.

Rom. 3.

Stat propositum Dei, stat sententia pacis super timentes eum, ipsorum & dissimulans mala, & remunerans bona: ut miro modo eis non modo bona, sed & mala cooperentur in bonum. O solus verè beatus, cui non imputavit dominus peccatum: nam quis non habuerit peccatum? Nemo. Omnes enim peccaverunt, & omnes egēt gloria Dei. Quis tamen accusabit electos Dei? Sufficit mihi ad omnem iustitiam, solum habere propitium, cui soli peccaui. Omne quod ipse mihi non imputare decreverit, sic est quasi non fuerit. Non peccare, Dei iustitia est: hominis iustitia, indulgentia Dei est.

Hanc sententiam adducit aduersarius contra iustitiam veram operum, etiā per gratiam Christi factorum. quasi dicat Bernardus, omnem hominis iustitiam, peccatum esse, & egere condonate misericordia seu indulgentia. Sed Bernardi hæc sententia diligentius considerata cōperitur prorsus contra gloriantes de ea aduersarios facere. Primū enim euidenter distinguit bona à malis operibus: Mala, inquit, dissimulans, per condonationem scilicet: bona verò remunerās. deinde dum dicit: Omne quod ipse mihi non imputare decreverit, sic est quasi non fuerit: euidentissimè significat, non omne iusti & electi opus tale esse, ut non imputatione egeat, & nō imputatione siue dissimulatione tegendum sit. Quem sensum & ea quæ mox subsequuntur excludunt: Hos ergo, inquit, electos & prædestinatos, aduersti in generatione scilicet cœlesti & æterna prædestinatione, quasi nunquā peccasse. quoniā & si qua deliquisse videntur in tēpore, non

Non apparent in æternitate. quia charitas patris ipsorum operit multitudinē peccatorū, & dixi beatos, quorū remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. An qui sic loquitur: Si qua electi & prædestinati deliquisse videtur, nō apparent in æternitate: videtur significare, quod omnia electorum opera, peccata sint, quæ patris cœlestis charitas operiat & tegat, quasi facta nō fuerint? Itaque duo colligere licet perspicuè ex sententia Bernardi. Quædam esse electorū peccata, quæ patris cœlestis charitate sic tegantur, quasi facta non fuerint: quædam verò bona opera quæ remunerantur, nec dissimulationē aliquam aut condonationem requirunt. Alterum, quod quando electorū peccata per charitatē cœlestis patris sunt tecta, quasi non fuerint, reliquorum operum, utpote bonorum, iustitia in conspectu iudicis Dei cōsistat, atq; etiam remunerationem accipiat. quorū vtrumq; copiosè superius ostendimus, & tutati sumus aduersus Illyricanorum calumnias & blasphemias. Et diligenter commendanda est memoriæ aurea hæc sententia Bernardi: Dissimulatis electorum peccatis, quæ per infirmitatē admiserunt, bonorū operum iustitiā posse consistere in Dei conspectu, & eius iudiciū iustum sustinere, imo pro ea remunerationē rependendam. Haudquaquam igitur electorū & iustorū peccata iustitiā eorū contaminant. quod mordicus cōtendunt aduersarij. de quo pulchrè admodū & eruditè disseruit Aug. quoq; in cōcōcione 3. in Psal. 108. in explanatione illius versus: Non

*Iustorū
quotidia
na peccata
non contaminat
reliquam
iustitiā.*

*August. in
Psal. 108.
cōcōcione 3.*

Non enim qui operantur iniquitatem, in vijs eius ambulauerunt. Sed quid est igitur quod dicit Bernardus: Hominis iustitia, indulgentia Dei est? item: Sufficit mihi ad omnem iustitiam solum habere propitiū, cui soli peccaui? Respondeo, ex opposito membro: Non peccare, Dei iustitia est: satis intelligi alterum membrum: Hominis iustitia, indulgentiā Dei est. Rectissime igitur, & verissime scripsit Bernardus, iustitiam Dei, omnis prorsus peccati expertem esse: hominis verò iustitiam, quia multis peccatis respersa est, egere Dei indulgentia: qua respersæ maculæ expurgentur, vt reliqua iustitia, iam à maculis admittis immunis, Deo præsentari possit. Atque hoc est, quod Psalmus dicit, verè beatum esse, cui Deus peccata remittit. Sic quod dicit: Sufficit mihi ad omnem iustitiam, in conspectu scilicet Dei præsentandam, & in eius iudicio exhibendam, si eum solum propitium habeam, ad regendum ea peccata, quibus meam iustitiam respersi. Cernis igitur Christiane lector, haudquaquam Bernardum sensisse, omnem electorum iustitiam esse peccatum: cum dicat eam à iudice iusto remunerandam. Prorsus autem impium & blasphemū est de Deo sentire, quod iniustitiam remuneret, cui odio est impius, & impietas eius.

Sapient. 14

Ambrosius in epistola 71. lib. 9. ad
Ireneum quendam.

*Subditus autem mundus eo per legem factus est,
quia ex præscripto legis omnes conuincuntur, & ex operibus*

ribus legis nemo iustificatur. id est, quia per legem peccatum agnoscitur, sed culpa non relaxatur. Videbatur lex nocuisse, quia omnes fecerat peccatores: sed veniens Dominus Iesus peccatum omnibus, quod nemo poterat evitare, donauit, & chirographum nostrum sui sanguinis effusione deleuit; hoc est quod ait: Abundauit peccatum per legem, superabundauit autem gratia per Iesum. Quia postquam totus mundus subditus factus est, totius mundi peccatum abtulit, sicut testificatus est Ioannes, dicens: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. Et ideo nemo gloriatur in operibus, quia nemo factis suis iustificatur. Sed qui iustus est, donatum habet, quia post lauacrum iustificatus est. Fides ergo est, quæ liberat per sanguinē Christi. quia beatus ille, cui peccatum remittitur, & venia donatur.

Coloss. 2.

Rom. 5.

Ioan. 1.

Hæc, inquit Illyricus, Ambrosij verba aperte nostra sententia patrocinantur. Detrahunt operibus iustificationem, & tribuunt fidei, quod liberet per sanguinem Christi. Conferantur (inquit exultans) in vnum aceruum Papiſta & Sophista omnes, non tantum conferent ad intelligendum Paulum, quantum confert hæc vna Ambrosij sententia.

Respondeo, nisi malitia execrasset cor Illyrici, videret clarissime Ambrosium in hac sententia loqui de eo qui per lauacrum regeneratur, & ex impio efficitur iustus, siue iustificatur. Hunc autem rectè dicit Ambrosius, non ex operibus suis iustificari: quandoquidem ad sacrum lauacrum non adfert nisi veteris & superioris vitæ peccata, quorum condonationem gratuitam accipit per Iesum, hoc est, per fidem

in

In sanguinem Iesu. Loquitur igitur Ambrosius de impij primâ iustificatione per fidem & sacrû lauacrum, quam certissimû est non ex operibus acquiri, sed per gratiam Christi gratis donari. Fides ergo credentem impium per sanguinem Christi liberat à peccatis: quia beatus ille, cui peccatû remittitur, & cui donatur venia. Verû quod is qui semel per fidem in sanguinẽ Christi, sine operibus, in sacro lauacro regeneratus est, & iustificatus, bonis & iustis operibus quæ post regenerationẽ facit, amplius iustificari coram Deo non possit, haudquaquam sensit Ambrosius, qui alibi tam disertè dicit: Deus enim misericordia saluos fecit per Christum, cuius gratia renati spiritum sanctum accepimus abunde, ut bonis operibus inniti possimus, ipso nos in omnibus adiuuante, ut per hæc hæreditatem regni cælorum assequi possimus. Agnoscis ne Illyrice fucum te facere imperitis & infirmis lectoribus, dum obscuriores patrum sententias eorum oculis obijcis, & clarissimas sententias subtices? Quid enim possit magis manifestè & disertè scribi, quàm quod secundum Pauli testimonium in epistola ad Titum dixit, regeneratos spiritu sancto adiuuante, bonis operibus intentos esse debere: idque eo fine, ut per illa hæreditatem regni cælorum consequi possint? Sanè iustificat opera bona coram Deo, si per ea hæreditas regni cælorum obtinetur & acquiritur.

Rursus alibi.

Illæ quoque Ambrosij sententia planè aurea est: Hoc est

est constitutû à Deo, ut qui credit in Christum, saluus sit sine opere, sola fide, gratis accipiens remissionẽ peccatorû.

Hic nihil dubito, quin contra propriam conscientiam in patrocinium sui erroris aureã hæc sententiam lectori obijciat. Ignorare enim non potest, quid Ambrosius in caput 4. ad Rom. & item in caput 11. scripserit, ex quibus locis Ambrosij sententia desumpta est. Cum eam sententiam in capitis quarti commentario bis posuisset: Sine labore & aliqua obseruatione, sola fide iustificari homines apud Deum, item: Sine opere aliquo aut labore remitti iniquitates, & peccata tegi, nulla ab his requisita pœnitentiæ opera, nisi tantum ut credant: mox quæstionem proponit. Quemadmodum, inquit, ad pœnitentium personam pertinere potest, quod dicit: Beati, quorû tecta sunt peccata: cum constet pœnitentes labore & gemitu remissionẽ peccatorû acquirere, aut quomodo martyriõ cõgruit quod dicit: Beatus vir, cui non imputauit dominus peccatû: cum sciamus gloriam martyrij passionibus & pressuris, hoc est, constanti toleratione pressurarû & passionû acquiri? Et respondet ad propositã quæstionem: Propheta, inquit, tempus scilicet præuidens in Saluatoris aduentu, beatos nuncupat, quibus sine labore vel aliquo opere per lauacrû remittuntur, & teguntur, & non imputantur peccata. Apostolus autem propter plenitudinem temporû, & quia plus gratiæ in Apostolis est, quã in prophetis fuit, maiora protestatur, quæ ex dono baptismatis consequuntur.

Rom. 8.

quia

Ambr. in
epist. ad
Titum in
cap. 3. Cũ
vero boni
tas & hu-
manitas
illuxit,
&c.

quia non solum remissionem peccatorum accipere nos, sed & iustificari, & filios Dei fieri proficetur, ut beatitudo hæc perfectam habeat & securitatem & gloriam.

Obscuro te Christiane lector, considera attentius hæc Ambrosij verè aurea verba, potenter Illyrici doctrinam subvertentia. Apertissimè enim distinguit hic Ambrosius, remissionem peccatorum à iustificatione; cum contra toties inculcauerit iustificationem coram Deo, nihil

Ambrosii
sententia
potentissi-
me destruit
peruersam
doctrinam
Illyrici.

aliud esse, quàm remissionem peccatorum. Dicit enim Ambrosius, quod beatitudo, quæ consistit in remissione sola, est imperfecta beatitudo: ea, verò quæ consistit simul in operibus magnis, ut est toleratio martyrij, perfecta.

Secundò dicit Ambr. quod per constantem & fortem martyrij tolerationem gloria martyrij acquiratur: cum còtra toties audierimus Illyricum inculsantem: Opera bona iustificatorum, quantumvis oximia, non esse vias aut media, quibus ad gloriam æternam homo peruenire possit, sed omnem salutem vni fidei esse tribuendam. quin omne opus quamlibet præclarum, etiam heroicam illam Abrahami obedientiam, esse peccatum, & egere remissione, & haudquamquam coram Deo iustificare.

Tertiò, audis Ambrosium dicentem, quod pœnitentes, scilicet à baptismatis gratia relapsi, labore & gemitu remissionem peccatorum acquirant, cum Illyricus nihil veritus sit scribere: Ad consequendam remissionem peccatorum sola

fide

fide opus esse, & opera quælibet aut virtutes non esse vel media consequendæ remissionis peccatorum aut salutis, vel etiam planè ad hoc necessaria, sed solam fidem impetrare omnia.

Quartò, cernis manifestissimè Ambrosium dum dicit, hoc sanxissè Deum, sine omni opere, sola fide, gratis iustificari homines, & accipere remissionem peccatorum: de ijs tantum locutum esse, qui primùm ad sacrum lauacrum adducuntur, in quo sine omni gemitu & labore peccata omnia gratis condonantur: Propheta, inquit, tempus scilicet præuidens in aduentu saluatoris beatos nùcupat, quibus sine labore vel aliquo opere per lauacrum remittuntur, & teguntur, & non imputantur peccata. Et in commentario in caput 11. adhuc apertius loquitur: Gratia Dei in baptisinate non quærit gemitum aut planctum, aut opus aliquod, nisi solam ex corde professionem. donum enim Dei gratis donat peccata in baptisimo. Diuersam autem rationem eorum qui iam regenerati bene operantur, ipse clarissimè tradit.

Hic Christiane lector, recordari libet grauissimæ Augustini sententiæ: Hæreticorum inquietudine, tanquàm de somno ignauitæ nostræ excitari industriam, ut scripturas diligentius perscrutemur, ac etià patrù tractatus, vnde ne ouili Christi nocèat, eis possit occurrere: ita per multiplicem gratiã saluatoris, etiã quod inimicus in perniciem machinatur, Deus còuertit in adiutoriũ. quoniã diligentibus Deũ omnia cooperantur in bonum.

Aug. memorabilis
sententia
in epist.
105. ad Si-
xtum.

Ff Cum

Cum plura patrum testimonia non putaret citanda, generali sententia sermonem de patrum scriptis concludens: *Patres, inquit, cum de vera iustificatione in seculo Dei iudicio sermo cogitauerunt, proprie & exacte loqui voluerunt, soli gratia ac merito Christi, nobis per fide imputato, omnia tribuerunt.* Quasi vero patrum doctrina inconstans & dubia de vera iustificatione sit, & modo proprie & exacte exposita ab eis, modo improprie, & negligenter, ac incommodè, ut Illyrici propria & exacta explicatione illustrari opus habeat. Sed huc fucum Illyrici non ignoramus, videlicet ut cum patrum testimoniū suę opinionī cōtrariari viderit, possit illud eludere hoc dicto: *Scriptor in eo testimonio non proprie locutus est de iustificatione.*

DE IESUITIS.

Postquam hisce modis & Sophismatibus rectam & sanam de iustificatione, deque operibus iustificatorum doctrinam proculcavit, atque ad bonorū operum studium homines languidiores ac frigidiores haud dubiè fecit, eo quod neq; ad salutē necessaria ea esse, neque ad salutis aut iustificationis rationem pertinere, quin potius ab ea exclusa esse, mordicus defendit: Tandem incipit Iesuitarum doctrinam, in Catechismo traditā oppugnare, meque aduocatum seu patronū eorum, ut ait, acriter inuadit.

Cum Confessio mendacissimè & acerbissimè notaret doctrinam in Catechismo traditam de varijs modis expiandi peccata, in capite de expian-

expiandis peccatis, tanquam ethnicam, impiam & detestandam, quod in explicatione summi religionis & Christianæ salutis capitis, nullam prorsus Christi, aut Christi sanguinis mentionem facerent: sed totam iustificationis & expiationis peccatorum rationem in operibus & meritis hominum collocarent, prorsus verò nihil Christi passioni tribuere: Prodidi artificiosum mendacium, ostendens illum studiosè sententiam Catechismi mutilasse, ea verba, quæ de Christo Iesu potentissimo peccatorum expiatore subiecta erant, amputando. quæ sunt hæc: His, alijsque modis, & officijs veræ pietatis prestamus in Christo Iesu, quod admonet Paulus: *Has habentes promissiones charissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei.* Hac fraudulentia ac calumnia patefacta, Illyricus de mendacio aperto conuictus, aliò confugit.

Contentionem mouet de vi & significatione phrasis illius (In Christo Iesu) in scripturis, & dicit eam variè in scripturis accipi. Nam aliquando significare tantum baptizatum esse, & Christianum voceri. ut cum Paulus dicit Andronicum aut Iuniam fuisse. Sic se in Christo: aliquando verò mystico Christi corpori insutum esse. Ipsi sanè, inquit, Iesuitæ, non exponunt illam phrasim, quid eis eo loco valeat, & quis eius locutionis propriè sensus sit: In Christo Iesu hæc officia prestamus, aut his modis peccata expiamus. Et rectè, inquit, quis posset dicere, Iesuitas fuisse, & sua religionis

*De phras
si huius
locutio
nis in
Christo
Iesu.*

Ff ij mysteria

1. Cor. 10. *mysteria egisse in Mose. sicut Apostolus dicit omnes in Mose baptizatos esse: non tamen significatur, eius sanguine ipsorum peccata expiari. Quare hæc locutio non potest esse pharvacum, venenata illa dicta corrigenis, quod varijs modis ac operibus homines possint sua peccata expiare.*

Sed cum proposuisset Illyricus phrasin illam in scripturis diuinis varijs modis accipi, cur vnicum tantum modum, aut, si velit, duos tantum commemorat? Nam alijs præterea modis vsurpari indubitatum est. vt cum scribit Paulus: Gratia Dei est vita æterna in Christo Iesu domino nostro. rursus: Ita & gratia regnet per iustitiam in vitam æternam per Iesum Christum dominum nostrum. rursus: Deo autem gratias, qui semper triumphat nos in Christo Iesu. rursus: Omnia possum in Christo, qui me confortat. rursus: In Christo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, & estis in illo repleti, hoc est, in Christo Iesu, qui est caput omnis principatus & potestatis, in quo & circumcisi estis, in quo & resurrexistis. rursus: Timeo autem ne sicut serpens Euã seduxit in astutia sua, ita corumpantur sensus vestri, & excidant à simplicitate, quæ est in Christo. & in alijs innumeris scripturæ locis. Sanè in his dictis testimonijs sermo ille (in Christo Iesu) non significat esse baptizatum, aut esse Christianum, aut denique esse in mystico corpore Christi: sed designat modò meritum, modò virtutem & operationem Christi Iesu in electis. Quam significationem ego

Rom. 6.
Ibidem 5.

1. Cor. 2.
Philip. 4.
Coloss. 2.

2. Cor. 2.

ego intelligens in sententia Iesuitarum, exposui: In Christo Iesu: per meritum, & gratiam, siue virtutem Christi Iesu. Et quomodo ipse scriptor Catechismi intellexerit, liquidò constat ex capite illo de satisfactione pœnitentium quid sentiendum sit. Ad quam quæstionem respondetur: Id videlicet sentiendum est, quod alia sit satisfactio, Christo redemptori propria: alia fidelium pœnitentium cõmunis satisfactio. Illa semel in corpore Christi crucifixi, dum agnus ille mûdi peccata tulit, peracta est: vt qui natura sunt filij iræ, Deo reconcilientur. Hæc verò quæ ad pœnitentes pertinet, à Christi membris in ecclesia quotidie peragitur, cum pœnitentes post confessionem, ea quæ absolvens sacerdos iniunxit, faciunt, aut cum vltro quidem fructus pœnitentiæ edimus. Quæ vindicatoria simul & emendatoria est satisfactio, & redemptoris Christi beneficium atque satisfactionem aded non obscurat, vt magis etiam cõmendat, illustretq;. Illa enim præeunte, ac præcipuè cooperante, iudiciũ facimus & iustitiam, iuxta diuinam scripturam: Delicta nostra contra nos ipsos vindicantes, & residuas in nobis peccatorum reliquias diluentes, Deiq; gratiam nobis pleniorẽ cõciliantes, atq; promerentes. quæ omnia eodem capite per scripturarũ testimonia confirmat. Vides Illyrice id quod in capite, quod tu arripis coarguedum, minus expõsitum est, in antecedentibus locis fuisse plenissimè & clarissimè dictũ? Vides quoq; falsum esse, authorẽ libelli, sermonem illũ (in Christo Iesu)

In cap. de satisfact.
Ephes. 5.
1. Ioan. 2.
Ioan. 1.
Ephes. 2.
1. Cor. 15.
2. Cor. 5.

Ezech. 18.
2. Cor. 7.
Psal. 50.

per hos modos expiare peccata, non accepisse pro esse vel baptizatum, vel Christianum, aut corpori Christi mystico insitum. quasi hoc tantum significatum sit: Is qui iam est Christianus, aut baptizatus, potest hæc officia præstare, per suam scilicet sufficientiam & potestatem, & rectè viuere, aut deniq; peccata sua expiare: sed intellexisse, quod Christi Iesu passione, seu satisfactione veluti præeunte, atq; præcipuè cooperante, possit homo ea officia præstare, quibus expiètur seu mudentur, & deleantur peccata. Atq; hæc de cauillatione phrasis illius (in Christo Iesu.)

Iam de re ipsa, hoc est, de expiatione peccatorum per bona opera agamus. *Hic libet*, inquit, *ex isto Iesuitarum patrono & aduocato quærere, quisnam eum docuerit, quod propitiatorium Christi sacrificium non per sese, suamq; summam mundiciem, perfectionem ac efficaciam nostra peccata expiet: sed per nostra quadam expiatoria sacrificia nostrorum immundissimorum & imperfectissimorum operum* (intellige lector sacrificiū contriti cordis, gemitus, lamentorum, pœnitentiæ, ieiunij, ac etiam elemosynarum, aut etiam præcationum. nam hæc opera ipse immundissima appellat) *quod, inquam, non sanguis Christi nos lauet & mundet ab omnibus peccatis: sed donet alijs quibusdam rebus ac expiationibus suam efficaciam, vt illa demum nos expient. Vnde obsecro Tiletane, hanc doctrinam habes aut probas?*

Respondeo tibi Illyrice, scholam, in qua quæ scripserā didici, spiritus sancti scholam esse, in diuinis voluminibus, eius inspiratione cōscriptis, pios

pios lectores erudientis & instruētis, & ecclesiæ Catholicæ perpetuā iam inde ab exordio ecclesiæ Christi, & constantem traditionē. Sed audi Illyrice, in hoc nō ingenuè, vt decebat virū tantū, agis, sed sophistice & fraudulenter. quodd quæstionē ex mea responsione desumptā videri vis proponere, cum tamen eam in meo scripto non extare liquidissimum sit. Vbi enim quæso à me scriptum est: Non sanguinē Christi nos lauare ac mundare ab omnibus peccatis, sed donare alijs quibusdam rebus ac expiationibus suā efficaciam, vt illa demum nos expient, ipse verò nos non expiet? Calumnia fœda hæc est, tantā impietate immeritis adscribere, cum nec ita sentiamus, nec ita scripserimus: quod Christi sanguis ab expiatione peccatorū excludatur, efficaciam expiandi in alias res translata. Prorsus probamus grauissimā illam & verissimā Hieronymi sententiam. Quod autē scriptum est: Et sanguis Iesu filii eius mundat ab omni peccato: tam in confessione baptismatis, quam in clemētia pœnitudinis accipiendum esse. Sed hoc tantū scripseram: Christum non semper peccata expiare, purgare, mundare, ac delere per seipsum solum: sed relapsorum à gratia baptismatis peccata, per ipsorum pœnitentiā, laborem, ac gemitus, ieiunia, elemosynas, aliaque bona & laboriosa opera: item per sacrificium cordis contriti, & spiritus contrulati purgare & expiare. quæ quidem opera & sacrificia, nisi etiam ipsa sanguine Christi inniterentur, & aspergerentur, ad peccati

Hieron.
lib. 1. cōtra
Pelag.
1. Ioan. 1.

expiationem valere nō possent, nisi enim sacrificiū contriti cordis, quod inter summa opera primum locum habet, ad Christi sanguinem referatur, ipsum nunquam per seipsum expiare peccatum possit. Quod verò hæc doceat scripturarum diuinarum schola, iam accipe testimonia Illyrice. Primum perspicuum testimonium est in Daniele: Peccata tua, inquit Daniel ad regē, eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum. Haud ignoramus Illyrice te hoc testimonium eludere, Daniele de mitigatione pœnarum, non de vera expiatione peccati loqui, sed alibi hoc tuum commentum refutandum est. In Tobia quoque: Eleemosyna ab omni peccato & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. Tu quidem respondes pro tua autoritate, Tobiam, minime authenticum librum esse: sed nobis Catholicis in schola spiritus sancti discipulis diuinam habet autoritatem. Et sane alibi eadem sententia, ijsdem ferè verbis expressa est: Eleemosyna non erit in obliuione. Sed sicut in sereno glacies, soluentur peccata tua. & rursus eodem loco: Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis. Sed dices scio, nec eum librum esse authenticum, sed nobis Ecclesiæ filijs authenticus est. Rursus scriptum est in libris huius scholæ: Remissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. rursus: Sacrificium Deo spiritus cōtribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despiciet. scilicet, cor

contritum, Deo sacrificium gratissimum est ad expiandum peccatū admissum, nam de expiandis perfectè peccatis adulterij & homicidij Dauid ita scribens, sollicitus erat. rursus: Si nos ipsos iudicaremus, à Domino non iudicaremur. rursus: Quæ secundum tristitia est, operatur vindictam (vt inquit Ambrosius) contra peccatum admissum, & non solum contra peccatorem ipsum. Rursus de Ninivitis dicit spiritus sanctus per Prophetam: Vidit Deus opera eorum, quia conuersi sunt de via sua mala, & misertus est Deus super malitiam, quam locutus fuerat vt faceret eis, & non fecit. rursus: Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu, & planctu. quod ad expiationem peccati pertinere indubitatum est. denique: Date eleemosynā, & omnia mūda sunt. Ex quibus testimonijs sancti & priisci patres, eiusdem scholæ discipuli ac scholastici, audi & cōsidera Illyrice, quid scripserint constanter & vnanimiter. Augustinus, qui inter primos in ea profecit: In melius, inquit, vita commutanda est, & per eleemosynas de peccatis præteritis est propitiandus, non ad hoc emendus quodammodo Deus, vt ea semper liceat impunè committere. Nemini enim dedit laxamentum peccandi, quamuis miserando delect iam facta peccata, si non satisfactio congrua negligatur. rursus: Delet omnino quotidiana fidelium oratio, minima & quotidiana peccata: delet & illa, à quibus vita fidelium sceleratè etiam gesta, sed pœnitèdo in melius

1. Cor. 11.
2. Cor. 7.

Ioel. 2.

Lucæ 11.

August. in
ench. c. 75

August. in
ench. c. 70

Ibidè c. 71

August.
hom. 50.
lib. 50. ho
miliarum.

Hier. in
Malachiã.

Ambr. lib.
2. de pœni
tentia.

Cyprian.

lius mutata discedit, si, quemadmodum veraciter dicitur: Dimitte nobis debita nostra: ita veraciter dicatur: Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. rursus alibi: Non sufficit mores in melius commutare, & à factis malis recedere, nisi etiam de ijs quæ facta sunt, satisfiat Deo, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis. Huic consentiens alius egregius discipulus eiusdem scholæ, doctissimus ille Hieronymus: Peccator, inquit, præteritas vitæ delicias austeritate compenset. His consentiens martyr Cyprianus: Orandus, inquit, est Dominus, & nostra satisfactio placandus. Ambrosius quoque: Oratio, lachrymæ, ieiunia, debitoris boni census est. vnde scilicet Deo soluere possit, quæ peccator Deo debet. rursus: Constat, inquit, pœnitentes labore & gemitu remissionem peccatorum acquirere. Iam intelligis Illyrice, in qua schola doceatur, quod operibus bonis & laboriosis ex Dei gratia & misericordia præstitis, peccata expiari possint: nec peregrinam esse hanc sententiã, quæ gloriam Christi obscuret, & vt tu blasphemè calumniaris, perdi, euerti, & destrui, tanquam opus satanæ, mereatur: sed spiritus sancti magisterio Ecclesiæ tradita, stabit immota contra omnes furores hæreticorū vsque ad consummationem seculi.

Si tibi Illyrice iam annos plurimos in longe diuersa schola infeliciter sub antichristo Luthe-ro instituto, hæc tanquam obscurius & incommodius

modius dicta videantur, dicam expressius, & magis perspicuè, non tam tibi, quod vereor, quàm pio & Christiano lectori. Qui in Ecclesiæ Catholicæ schola sub magistro spiritu sancto eruditi sunt, hoc habent persuasissimum, eos qui à gratia baptismali in crimen aliquod prolapsi sunt, non posse rursus Deo perfectè reconciliari, nisi per pœnitentiam. non quæ sola deprecatione veniæ consistet, per quam remissio culpæ impetretur, & æternæ damnationis reatus aboleatur: sed etiam quæ laboribus, gemitibus, lachrymis, ieiunijs, eleemosynarum largitionibus, & similibus consistet, quibus reatus temporalium pœnarum, in quas æternæ pœnæ commutatæ sunt, expiatur, & aboleatur. Hæc Illyrice, quæ tu impiè reijcis, scholæ Ecclesiasticæ discipuli certa tenent, & indubitata. Ad hæc igitur vniuersa mala per peccata contracta, expianda hortantur scripturæ, & docent patres iuxta eas instituti, pœnitentiæ laboriosa opera, & contriti cordis imprimis, ac humilis deprecationis, ieiunia, gemitus, lachrymas, duros labores, duram & seueram in seipso vindictam, in sacco etiam & cinere, à peccatoribus exercenda. Non quidem quod vniuersa hæc ad remissionem peccati impetrandam sint prorsus necessaria, sed quia perfecta & plena reconciliatio, & peccati condonatio sine ea pœnitentia rarè contingat. Porrò omnis pœnitentia, quæ ad impetrationem remissionis culpæ & æternæ damna-

damnationis suscipitur, donec per Dei gratiam & misericordiam propter Christi meritum & sanguinem applicatum ea impetrata fuerit, impetrationis magis quam iustæ expiationis aut satisfactionis rationem habent. Sicut & ipsa oratio peccatoris suppliciter veniam deprecantis, tota gratiæ & misericordiæ miserentis Dei propter mediatorem Christum nititur. At verò ubi per orationem, & sacrificium contriti cordis, & pœnitentiæ, condonatio impetrata est, iam laboriosæ pœnitentię diligens studiū, Christi tamen sanguine respersum & suffultum, iustę expiationis & satisfactionis vim obtinet. Sic scripsit Ambrosius libro 2. de pœnitentia, gravissimè & eruditissimè: Ergo, inquit, & agendam pœnitentiam, & tribuendam veniam credere nos convenit, ut veniam tamen tanquam ex fide speremus, non tanquam ex debito. aliud est enim mereri, aliud præsumere. Tanquam ex syngrapha fides impetrat: præsumptio autem arroganti est propior, quam roganti. Prius solue debitum, ut quod speraveris, impetrare merearis. ubi de merito impetratorio Ambrosium loqui manifestum est. Alibi verò dicit, quod per severitatem pœnitentiæ, peccator futuras pœnas gehennæ perpetuas in hoc parvo vitæ spatio compensare potest.

Cernis tu iam lector Christiane (opto autem ut tecum cernat Illyricus) quo pacto per studiū pœnitentię, & operum laboriosorum, ad expiationem peccatorū nō obscuretur gloria Christi,

nec

Aug. lib. 2
de pœnitē
tia.

514

na

nec ad suorum operū sine passionis Christi merito & intercessione fiduciam à Christo abducantur homines. ut calumniosissimè dicit Illyricus. Sed hæc alibi copiosius & planius explicantur. Postremò, quod scripseram Iesuitas probasse illos varios modos expiandi peccata per testimonia scripturarū, acriter reprehendit: *Bellè*, inquit, *nempe violentissimè pervertendo scripturam.* quod de singulis sex modorum ostendere studet.

1. *Pœnitentia*, inquit, *peccata expiari probant. quia Christus dixerit: Quorumcumq; remiseritis peccata, &c. atqui nulla ibi fit mentio pœnitentiæ?*

Vide obsecro studiosam malitiam istius hominis. Sic enim in libello scriptum est: Principem locum tenet pœnitentiæ sacramentum, quo neglecto, frustra de reliquis læthaliū peccatorum remediis adhibendis agimus. Et paulò post sententiam Augustini subiectam, ponitur illud: *Quorumcumque remiseritis peccata, &c.* Vbi apertissimè non de pœnitentia, sed de sacramento pœnitentię, ad quod citata scriptura pertinet, agitur. Sed hanc malitiam accusat deinde alia impietate.

Christus, inquit, *remissionem peccatorum super suum nomen ac sanguinem, non super peccatoris pœnitentiam extruit: Sibi vim expiandi peccata, non pœnitentiæ adscribat.* Audi probationem. *Alioqui*, inquit, *et Iudas bellè sua peccata expiasset.*

Respondemus tibi Illyrice. Quod vim expiandi peccata, in nomine tamen Christi, h

Matth. 18.
Ioan. 20.
Luc. 24.
Ac
Et

beat pœnitentia, eidentiffimè docent fcripturæ. Ergo & gentibus dedit Deus pœnitentiam ad vitam. rursus: Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua, & roga Deum, si fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. rursus: Pœnitimini igitur, & conuertimini, vt deleantur peccata vestra. rursus: Si impius egerit pœnitentiam, ab omnibus peccatis suis, omnium iniquitatum eius quas operatus est, non recordabor. rursus: Agite pœnitentiam, & non erit vobis in ruinam iniquitas. rursus: Tristitia quæ secundum Deum est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur. Quæ fcripturarum testimonia fecutus Augustinus, preffè de pœnitentia fcribit: oratione & pœnitentia peccata deleri, & Deum propitiari, vt suprâ citauimus. Pœnitentiam verò non quamlibet, sed eam tantum, quæ in nomine Christi agitur, commendant fcripturæ, & illi soli tribuunt remiffionem peccatorum. Sicut Christus palàm dicit apud Lucam: Quoniam sic fcriptum est, & sic oportebat Christum pati, & refurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remiffionem peccatorum in omnes gentes. in quo nomine quia nõ fiebat pœnitentia Iudæ, reiecta meritò est. Sicut igitur ratio in nomine Christi fieri debet, vt impetret remiffionem à Deo: ipsam autem in nomine Christi, & ex fide in Christum facta, impetrat remiffionem. Ita pœnitentia in nomine Christi facta, remiffionis peccatorum propinquior causa

causa est quàm fides: quæ demonstrat propriè, quonam modo pœnitentia agi debeat, & eius actionem dirigit. Pœnitentia igitur, quæ in nomine Christi agitur, & non nisi in nomine eius concepta & acta, non derogat nomini Christi, in quo solo remiffionem quærendam esse testantur fcripturæ: sed est tanquam causa disponens ad accipiendam per nomen Christi remiffionem peccatorum, & causa, per quam nomen Christi operatur remiffionem peccatorum.

Secundo citauerant Tobiam: Eleemosyna ab omni peccato liberat, & non patietur animam ire in tenebras. Respondet Illyricus, *Tobie librum minime esse authenticum*. Verum qui tibi authenticus non est Illyrice, is Ambrosio, Cypriano, Augustino, Hieronymo, & Chrysostomo authenticus fuit. quos constat ex eo hoc testimonium crebrò citare. Eadem verò sententia in alio libro, quem authenticum esse non potes diffiteri, reperitur fcripta: Per misericordiam & fidem, inquit Salomon, purgantur peccata. Per timorem autem Domini declinat omnis à malo. & rursus: Misericordia & veritate redimitur iniquitas: & in timore Domini declinatur à malo. Et discretiffimè fcripsit diuus Augustinus: Per eleemosynas de peccatis præteritis est propitiandus Deus. Non igitur nisi manifesta impietate negari potest, eleemosynas valere ad expianda peccata, sed in nomine Christi factas. quod & Christus manifestiffimè testatur, dicens:

Quod

Luc.ii. Quod superest, date eleemosynas, & omnia munda sunt vobis.

Daniel.4. Tertio citant Danielelem: Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum. Respondet, Danielelem de mitigatione poenarum, non de vera expiatione poenarum loqui. Sed ut demus Danielelem de mitigatione tantum poenarum locutum esse (quod tamen probatissimi authores non recipiunt) certè Salomon de expiatione peccatorum locutus est, quando scripsit: Per misericordiam, scilicet proximo præstitam, purgari peccata.

Matth. 6.
& 18.

Quarto citant illud: Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis pater celestis peccata vestra. *Christus*, inquit Illyricus, nequaquam dicit, quod propter nostram condonationem nobis Deus vicissim peccata condonet. Verum sanè, Christum voluisse per eam formam sermonis, hoc quod tu negas, dicere, existimavit Augustinus: qui scripsit, condonationem fraterni peccati & offensæ eleemosynam esse, per quam purgantur & expiantur peccata, iuxta sententiam Salomonis. Et quid per eam formam sermonis significare velit scriptura, constat ex alijs locis. Si vis, inquit Christus, ingredi ad vitam, serua mandata. Significans haud dubiè, propter observationem mandatorum vitam donandam. rursus: Si sustinebimus, & conregnabimus. hoc est, propter sustentiam conregnabimus.

Iaco. vii.

Quinto citant illud Iacobi: Qui conuerterit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum ipsius. *quod Iacobus dicit: quod conuertens proximum, saluabit eius animam, & operiet multitudinem peccatorum ipsius: non simpliciter ut expiator ac saluator, sed tantum, ut dans salutis eius qualemcumque occasionem.*

animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum. Cauillatur Illyricus, quod Iacobus dicit: quod conuertens proximum, saluabit eius animam, & operiet multitudinem peccatorum ipsius: non simpliciter ut expiator ac saluator, sed tantum, ut dans salutis eius qualemcumque occasionem.

Respondeo, Bedam in commentario in hunc locum annotasse, quod quidam codices habet: saluabit animam suam à morte: & ex Græco ambiguo ita interpretari posse. Quem sensum si recipimus, manifestum est, quod opus hoc fraterne salutis expiet peccata ipsius lucrifacientis fratrem: sin verò alteram interpretationem sequimur, negari sanè non potest, quin sollicitum hoc charitatis opus & misericordiæ erga proximum, plus ad purgationem & expiationem peccatorum facienti valeat, quàm corporalis quæuis eleemosyna valere potest. Multa, inquit Augustinus, sunt genera eleemosynarum. quæ cum facimus, adiuuamur, ut nostra nobis dimittantur peccata: & ut ait Salomon, per misericordiam siue eleemosynam peccata nostra purgamus. Et Deus igitur purgat peccata, & nos per studium eleemosynarum tam spiritualium quàm corporalium peccata purgamus. Sed aduerte lector, Illyricum pro sua solita auctoritate addidisse relatiuum, textum restringens ad vnam certam sententiam. dum sic citat: Operiet multitudinem peccatorum ipsius.

Sextò, Nequaquam dicitur Luca 7. quod peccatrix mulier propter dilectionem, remissionem peccatorum

Lucæ 7.

Gg sit

fit consecuta. Tu id affirmas Illyrice. Sed textus ipse secundum vniuersos interpretes, etiam D. Erasmus, te mendacij coarguit, sic verentes: Remissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Insolenter tot interpretum versioni propriam & nouam translationem anteponis, & à nobis iniquè exigis, vt tuam potius nouitiam, quàm Catholicorum consentientem & perpetuam translationem audiamus: præsertim cum habeamus alia scripturæ testimonia, in quibus scriptum est disertè: quod charitas operit multitudinem peccatorum.

Prou. 10.
1. Petri 3.

Ionæ 3.

Postremò addit, *Nusquam dicit, quod contritum cor sit sacrificium expians peccata: aut quod Nimitia per sua opera peccata expiauerint.* Verum cum certissimum sit prophetam in eo Psalmo, vbi de sacrificio cordis contriti scriptum est, de condonatione, & perfecta ac plena expiatione peccati agere, nonne euentissimum est, quod sacrificium contriti cordis, coram Deo valeat ad expiationem peccatorum, & sit sacrificium expians peccatum? Et quælo te Illyrice, si orationis supplicis, & ardentis sacrificium ad remissionem & expiationem peccati indubitatè valet, quod & tu ipse non diffiteris, & in scripturis exercitatissimus Augustinus tanta constantia scribit, quòd oratio delet peccatum: cur non & sacrificium contriti cordis, & sincerae penitentia ac conuersionis ad Deum, coram Deo valet ad expiationem & condonationem peccati obtinendam ac impetrandam? Sicut igitur

August. in
Enchir.
cap. 71.

igitur dum scribit Augustinus orationem delere & expiare peccata, nominis illius, in quo solo salus est, & remissio peccatorum, haudquaquam gloriam obscurauit: ita nec Iesuitæ, nec eorum (vt odiosè scribis) patronus, gloriam Christi imminuunt, dum docent: Eleemosynis, ieiunijs, atque alijs penitentia operibus, ac potissimum sacrificio cordis contriti, posse expiari peccata. Iam enim supra dictum est, omnia hæc ad remissionem peccati, & offensa diuinae condonationem, per sanguinem Christi applicatum obtinendam, impetratoriam vim tantum habere. sicut de oratione dictum est.

Hæc cum ita sint, cernis Christiane frater, nec Iesuitas, viros religionis instaurandæ studiosissimos, nec me, sententiam aliquam peregrinam, aut nefariam sophisticen, gloriam Christi obscurantem, in Christi ecclesiam inducere: sed sanam doctrinam, quæ ab ipso iam ecclesie exordio in ea tradita est, contra violentissimam ac planè sathanicam scripturarum peruersionem & corruptelam, sedulo pro viribus quas mihi dominus donauit, tueri ac propugnare.

Si quis igitur germanus Christi ecclesie filius esse vult, ac suam salutem amat, is sibi à venenatissimæ Illyrici doctrinae fermento, omni studio & sedulitate caueat.

DE BONIS OPERIBVS.

CAPVT VII.



LN capite de operibus bonis plures notaueram errores. Quorum primus est. Ea tantum esse bona opera, quæ Deus mandauerit, quia frustra colatur Deus mandatis hominum.

Matth. 15.
Esaïæ 29.

*Cauilla-
tio Illy-
rici.*

Hunc errorem strenuè adhuc tuetur Illyricus, ac me meo arbitrio sine omni probatione generalem Christi regulam de omnibus doctrinis aut traditionibus hominum pronunciatam, solummodo ad quandam angustam speciem restrinxisse scribit: Christum tantum illos hominum cultus improbare, qui vel pugnant expressè contra verbum Dei, vel alioqui inutiles ac superstitiosè esse videantur.

Dilutio.

Verùm ea tantum esse bona opera, quæ Deo grata sint, quibusque Deus ritè colatur quæ diuertè & expressè ab eo mandata sint, id adeò perspicuè confutât diuinæ scripturæ testimonia, vt admiratione dignum sit, quod hic probationem requirat. Sine villo enim mandato expresso, sacrificium Abelis Deo acceptissimum fuit. similiter & votum Iacob. item placuit Deo sacrificium, quod sponte & sine villo mandato Noë Deo obtulit. Erigebant altare, & sacrificia offerebant Abraham & Isaac sine mandato. Sanctificauit se & filios suos Iob, & holocaustis Deum

Genes. 4.
Gen. 28.

Gen. 26.
Ibidè. 27.

Deum placabat, sine villo mandato. Dauid quoque sine villo mandato Leuitas instituit, vt ministrarent, & canerent ante arcam mane & vespere. quod in lege præscriptum non erat. Eiusdem præcepto segregatus est Alaph cum filijs suis vt prophetarent in psalmis & cymbalis, & alij, qui canerent cithara, omnes numero vicissim & hebdomadatim seruientes. Cuius exemplum laudatissimi reges, Ezechias & Iosias, religiose pariter & studiosè sectati sunt. Re-chabitæ quoque de austerioris vitæ genere & disciplina nullum habuerunt mandatum, & tamen acceptum & probatum fuit eorum institutum Deo. Mardochæus quoque & Machabæus sine villo expresso Dei mandato solennitates festiuas in Dei gloriam & cultum instituisse leguntur. Sic & Anna prophetissa, sine villo mandato, ieiunijs, & orationibus non præceptis sibi assiduè Deum coluisse legitur. Nec denique Ioanni Baptistæ, nec Magdalenæ peccatrici potest ostendi mandatum à Deo esse, vt vel ille tam seueræ vitæ institutum amplecteretur: vel hæc lachrymis pedes domini rigaret, & capillis tergeret. & tamen eorum studium & institutum summopere Deo placuisse indubitatum est. Prorsus igitur falsum est quod hic tuetur Illyricus: Ea tantum opera, bona esse, & Deo accepta, quæ à Deo mandata sint: atque eis tantum operibus Deum ritè coli, quæ ipse præcepit & mandauit.

2. Paralip.
25. 26.

Hier. 35.
Eiſther 9.
1. Mach. 7
Luc. 7.

Ioan. 12.
2. Mach. 8

Scripturam, quam Confessio in confirmationem
G g iij tionem

tionem huius erroris adduxerat: frustra, vel sine causa me colunt, docentes doctrinas & mandata hominum. vel, frustra me colunt docentes doctrinas, mandata hominum. exposueram intelligendam esse de hominum mandatis, vel quæ ab hominibus excogitata sunt contra legem Dei: vel quæ nihil pietatis aut ædificationis habent. sed vana sunt seu inutilia, aut etiam superstitiosa. Hic exclamat Illyricus: *Quis tibi, ô Magister noster, dedit istam potestatem restringendi vniuersalia Dei oracula, ad tuas istas tam restrictas opiniones? sicut & supra de bonis operibus ex iustificazione à Paulo exclusis fecisti.*

*Caullas
tio Illy
rici.*

Matth. 15.

Marci 7.

Respondeo tibi ô bone, me meo arbitrio de scripturarum sensu nihil pronunciaſſe, sed ex ipsis spiritus sancti monumentis eam interpretationem didiciſſe. Si tu quoque Matthæi locum cum Marci de eadem re sermone, conferre non grauaberis attentius, confido quòd meam sententiã haud improbare poteris. Cùm vidissent (inquit Marcus) Pharisei, & quidam de scribis quosdam ex discipulis eius, communibus manibus, id est, non lotis, manducare panem, vituperauerunt. Pharisei enim, & omnes Iudæi, nisi crebrò lauerint manus, non manducant, tenentes traditionem seniorum, & à foro nisi baptizentur, non comedunt. & alia multa sunt, quæ tradita sunt illis seruare, baptizata calicum, & vrceorum & eramætorum, & lectorum. Et interrogabant eum Pharisei & scribæ: Quare discipuli tui non ambulant iuxta

iuxta traditionem seniorum, sed communibus manibus manducant panem? At ille respondens dixit eis: Bene prophetauit Esaias de vobis hypocritis, sicut scriptum est: Populus hic labijs me honorat, cor autè eorū longè est à me. In vanum autè me colunt, docentes doctrinas & præcepta hominū, relinquentes enim mandatū Dei, tenent traditiones humanas, baptizata vrceorum & calicum, & alia similia his facitis multa. Et dicebat illis: Bene irritum fecistis præceptum Dei, vt traditiones vestras seruetis. Moyses enim dixit: Honora patrem tuum & matrem tuam: & qui male dixerit patri vel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis: Donum quodcunque ex me, tibi proderit, & vltra nō dimittis eum quicquā facere patri suo aut matri, rescindentes verbum Dei per traditionem vestram, & similia huiusmodi multa facitis. Nōne ex hac perspicua Marci sententia clarissimum est, Christum Esaiæ sententiã interpretari de ijs doctrinis & mandatis hominum, quæ vel friuolæ erant, nihil neque pietatis, neque salutaris ædificationis continentes, vel palam legi Dei aduersarentur? quem sensum ego in responsione secutus sum. Et eundem tradunt Cyprianus, Basilus, Irenæus, Tertullianus. Et sanè quicquid ab hominibus traditur ad cultum Dei, si sine omni verbo Dei, siue scripto, siue tradito absque scripto in Christi Ecclesia id fiat, ad alterum istorum referendum est. Vel enim pugnat cum lege Dei, vel certè ad veram pietatem non pertinet:

Esaiæ 29.

Exod. 20.
Deuter. 5.

Cyp. lib. 1.
epistola 8.
Basil. sententia 25.
Irenæus lib. 4. cap. 26.
Tertull. contra Iudæos.

Gg iij sed

sed magis ad superstitiosam vanitatem. vnde & Christus doctrinam Phariseorum, fermentum appellat, scilicet quia per eam diuinæ legis sententia & doctrina peruerteretur. Quod si omnino contendit Illyricus, generalem Domini sententiam alios quosdam cultus novos, sine omni verbo & legitima traditione ab hominibus erectos comprehendere, non existimo cum eo magnopere contendendum: modò eos cultus dilertè explicet, videlicet qui sine legitimo verbo, aut legitima traditione ab hominibus sunt erecti. Eiusmodi enim cultus ecclesia Christi liberè improbat & reijcit. Sed in eo prorsus ab Illyrico dissentimus, quod ipse ad cultus ab hominibus adinuentos, impiè refert plurimos cultus, qui reuera in verbo Dei continentur, vel certè per apostolicam & perpetuam traditionem sine scripto obseruatur. quod constat ex capite primo de doctrina, vbi scripsit: *Nona singulorum quorundam Paparum inuenta, & non antiquitus & vniuersaliter vsitata sunt: Purgatorium, Sacrificium propitiacionis Missæ, Monachus superstitio, Cælibatus, Missæ pro mortuis, Sanctorum & Angelorum inuocaciones & meditationes, Adoratio Eucharistia, Communio sub vna specie, & plurima alia.*

Hæc blasphemus homo hominum instituta esse scribit, & sub generali illa prophetæ, & demini seruatoris sententia comprehendere vult. Verùm vide obsecro lector, quò delabatur Illyrici sermo. Tueri instituerat ea demum opera bona esse quæ Deus mandauerit, & ad cultus ab ho-

ab hominibus adinuentos, locum videlicet hæreticis communem, in quo suas blasphemias effundere solent, se transfert. Hoc itaque in quæstionem propositum erat: Vtrum opus, quod & officio & recto sine alioqui bonum esse constat, ideo coram Deo bonum & acceptum non sit, quòd mandatum & præceptum non sit. Ac nos iam perspicuè & solide demonstrauius, opera plurima à pijs patriarchis, regibus, religiosis, atque alijs Dei cultoribus facta Deo perplacuisse, quæ vitrò suscepta, nullo mādato Dei atq; præcepto iussa fuerunt. Et sane ea sententia: Opera alioqui bona, nisi mandata sint & præcepta, Deo non esse accepta, nec corā Deo bona: tam absurda est, vt nō abs re ab eius probatione abstinens Illyricus, ad cultus excogitados, aut doctrinam sine omni verbo erectam sese callidè transfert.

Sed audiamus Illyrici interpretationē: *Christi*, inquit, *& prophetæ mens est, omnia mandata hominum, quatenus nouos cultus sine mandato Dei instituant, condemnare.* Sed quanā quæso Illyrice consequentia, sententia domini sic intellecta, concludit: Opera ea tantum bona esse, quæ à Deo mandata sunt? Quid enim, si à Deo quidem præcepta seu mandata non sint: sed tamen nouus cultus, qui à Deo institutus non sit, per ea non instituatur? sed cultum à Deo institutum contineant, sed non ab eo præceptum? Approbatum est à Deo, & institutum ieiunium. quid ergo, si quis id vitro cum Anna vidua suscipiat? ideone

G g v displi-

displicebit Deo, quia à Deo præceptum non est? Vides igitur ô bone, scripturam, tuo arbitrio expositam, nihil prorsus pertinere ad confirmationem primi erroris: Ea tantum opera esse bona, quæ à Deo mandata fuerint.

Iam quod ad cultus quoque attinet, dicit Illyricus: *Deum simpliciter velle tantum eos cultus sibi exhiberi, quos ipse instituit, non quos homines quantumvis sancti excogitant.* Sed hoc quoque falsum esse, ex antedictis constare potest, ubi ostensum est, & Abelem patriarcham, & Abrahamum, & Iacob ante legem, & Dauidem, Ezechiam, Iosiam, Machabæos, & Mardocheû cultus quosdam instituisse, qui à Deo instituti non erant. Quod si verò dicat Illyricus, illorum cultuum opera in scripturis probata esse, videlicet laudes, & hymnos sacros, gratiarum actiones, celebres & festiuas, gratas ex rebus à Deo donatis oblationes, & sacrificia, itaque novos illos cultus non fuisse, nec ab hominibus excogitados. Hoc sanè Catholici quoque docent, nullos novos cultus, qui videlicet nec in scripturis approbati sunt, nec ex Apostolica traditione accepti, sine scripto ad nos deducti sunt, ab hominibus institui posse. Ut verbi gratia: Nisi ex scripturis disceremus, corpus Christi in Missa offerri Deo in gratiarum actionem, & commemorationem mortis & beneficiorum Christi, non liceret homini quamlibet sancto eum cultum instituere, de quo in scriptura, aut legitima traditione nulla extaret approbatio Dei.

Quod

Quod ex Deuteronomio contra novos cultus adfert aduersarius: Ne faciamus quod nobis bonum esse videatur, nec declinemus vel ad dexteram, vel ad sinistram: neve ad religionem ab ipso constitutam, præscriptamque quicquam vel addamus, vel minuamus. Manifestissimum est ex ipsarum sententiarum circumstantijs, in sententijs illis hoc tantum seueriter Deum prohibuisse, ne ad diuinum cultum ab ipso Deo per Mosén præscriptum & constitutum, transferre præsumerent cæremonias, ritus ac sacrificia, quibus gentes idololatræ Deos suos & idola sua colebant. Quod ne rursus clamitet Illyricus, me meo arbitrio dicere sine probatione, & generalem Mosi sententiam mea autoritate astringere, Moses ipse planè docet. Cum enim dixisset: Quando disperdiderit dominus Deus tuus ante faciem tuam gentes, ad quas ingredieris possidendas, caue ne imiteris eas, & requirens cæremonias earum, dicas: Sicut gentes coluerunt Deos suos, ita & ego colam. non facies similiter Domino Deo tuo. Omnes enim abominationes, quas auersatur Dominus, fecerunt dijs suis, offerentes filios & filias, & comburentes igni. mox subiecit: Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino, nec addas quicquam, nec minuas: haud dubiè significans, quod ritibus à Deo præscriptis contenti, nihil de idololatrarum sacrificijs & cultibus ad Dei præscripta adderent.

Quod

Deuter. 16
Deuter. 5.
17. 18.

Matth. 17.
Ioan. 1.

Quod verò ad scripturas attinet, quæ iubēt, filium patris cœlestis Christum audiri, tanquam qui solus ex sinu patris veritatem plenissimè ac certissimè proferat, quodque ille tam feridè protestatus sit, se nihil suo arbitrio dicere, sed tantum sicut pater ei mandavit ac præscripsit.

Hebr. 13.

Respondemus, quod qui legitimis ecclesiæ mandatis obedientiã præstat, filium audit præscribentem: Obedite præpositis vestris, & subiacete eis, præterea in Christi ecclesia nullos esse traditos cultus, aut doctrinas, quas filius patris cœlestis Christus non instituerit, vel docuerit, vel per seipsum, vel per suos apostolos, per verbum suum, vel scriptum, vel sine scripto patefactum & prædicatum.

Quod postremò scribit: *Tilet animum humanas doctrinas & traditiones hoc loco defendere & tueri: putidissimum esse mœdaciū comperiet lector, si nostram responsionem nō grauetur inspicere, in qua ne verbum quidem vnū de humana doctrina vel traditione scriptum extat.*

Exclamat hic, & præcatur, *vt Deus ferat opem ecclesiæ suæ cōtra antichristum, & eius coniuatam ceteruam: qui id sibi audacissimè arrogare non verentur, vt pro libitu, religionis dogmata figant ac refigant, cultusq; instituunt, cum filius eius dilectus sæpius in terris protestatus sit, se nihil suo arbitrio dicere, docere, aut instituere in ecclesiâ & religione: sed tantum id, & eatenus, sicut ei pater pro sua infinita sapientia præscripsit.* At vanissimam eius exclamationem ab piorum mentibus procul abijciendam confido, donec
im-

improbis homo, quod tam impudenter & sceleratè affirmat, probauerit. quod nunquam facturum esse certò scio.

Secundus error à me de operibus bonis notatus fuit: quod Confessio dicat: Opera bona non fieri nisi à renatis. Intelligit autem Confessio renatos eos tantum, qui Deo reconciliati sunt, & peccatorum condonationem consecuti. Hunc errorem confutauimus per scripturæ testimonia clarissima & solidissima, quæ testantur, peccatorum pœnitentium orationem & pœnitentiam, quibus condonationem peccatorum & reconciliationem implorant, & imploratam assequuntur, grata esse Deo & accepta, & proinde opera bona. Ad hæc testimonia nihil aliud respondet, quàm, *Audet iste sententiam Confessionis erroris insimulare, sed non profert contra, expressum vllum Dei testimonium.* Existimabam Illyrice testimonia de pœnitentia peccatricis Magdalene, de oratione publicani, de oratione filij illius iunioris, tibi non incognita, adscribenda non esse: quæ euentissimè & luce meridiana clarius euincunt, peccatorum pœnitentium orationes supplices, & pœnitentiam, bona opera fuisse, Deoque grata. quæ tamen certissimum est nondum renatorum & reconciliatorum opera fuisse. An non contra hunc errorem sunt euentissime scripturæ? Pœnitentiam age ab hac nequitia tua, & roga Deum, si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. item: Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in remissionem

2. error.

Lucæ 7.
& 17.

Acto. 8.
Ibidem 2.
Ibidem 3.

im-

nem peccatorum vestrorum. rursus: Pœnitenti-
ni igitur, & conuertimini, vt deleantur peccata
vestra. Ad quę non tam testimonia, quàm toni-
trua scripturarum quomodo surdus sis Illyrice,
non queo satis admirari.

Math. 7.
Obiectio
Illyrici.
Responso.

At obijcit Illyricus *vocem Christi: Bona opera,
esse fructus arboris bonę.*

1. Respondemus: peccatorem deprecantem
pro condonatione peccatorum, & pœnitentiam
agentem, tamen nondum sit Deo reconcilia-
tus, & perfectè iustificatus, arborem malam,
quę non profert nisi malos fructus, esse per
Dei gratiam desijisse, & ad inchoationem quan-
dam arboris bonę translatum esse: vt iam ope-
ra bona quidem & fructus bonos proferre pos-
sit, qui tamen nondum ad vitam æternam pro-
merendam digni sint, quales fructus ædit arbor
perfectè, & non secundum inchoationem tantum
bona: sed quę ad impetrandam reconcilia-
tionem & iustificationem à peccatis valeant. Ipse
dominus, inquit Augustinus, cum in vno tem-
plo orarent Pharisæus & Publicanus, Publica-
num confitentem peccata sua magis iustifica-
tum dicit, quàm Pharisæum iactantem merita
sua. Quanquam enim iustificatus desierit esse
peccator, tamen vt iustificaretur, peccator ora-
bat, & peccator confitebatur: & exauditus, iu-
stificatus est, vt desineret esse peccator. non vti-
que desineret esse peccator, nisi prius exaudiret-
ur peccator.

Aug. lib. 2.
contra e-
pist. Par-
me. cap. 8.

Augus. de
fide & o-
per. ca. 14.

Ad Augustini dictum: Bona opera non præ-
cedunt

cedunt iustificadum, sed sequuntur iustificatum:
Responderam per aliam eiusdem sententiam ad
Sixtum: Nullane iniquientis, sunt merita iusto-
rum? Sunt planè, quia iusti sunt: sed vt iusti fie-
rent, merita non fuerunt. Non sunt igitur bona
opera causę efficientis aut formales bonarum
arborum, sed sunt earum fructus & effectus. Et
arborum quidem perfectè bonarum, hoc est,
Deo reconciliatarum & plenè iustificatarum o-
pera, sunt vera vitę æternę merita: arborum
verò nondum perfectè bonarum, sed tantum
secundum inchoationem quandam, qua ab ar-
boribus malis separatę renouationem inchoat,
opera sunt verè bona: vtpote quibus à Deo im-
petratur gratuita reconciliatio, sed nondum
habent per spiritum Christi inhabitantem, di-
gnitatem ad vitam æternam. Vana igitur & ina-
nis est cauillatio Illyrici: Augustinum in hoc
dicto ad Sixtum non dicere, quod quisquam
ante iustificationem opus verè bonum faciat.
Non enim ad hoc probandum adductum est
hoc Augustini dictum, sed ad exponendum al-
liud dictum, quod Confessio citauerat: Opus
bonum sequi iustificatum.

Et audet nefarius iste homo sententiam hęc:
fieri bona opera aliqua à nondum reconciliatis,
sed reconciliationem postulantibus pœnitenti-
bus, Pelagianę doctrinę adscribere.

*Pelagianizat, inquit, hic aduersarius palpa-
biliter cum suo Tappero, atque etiam Concilio. At
cum perspicuum sit nullum catholicum neque
pœni-*

Idem de
spir & lit.
cap. 26.
1 de epist.
105.

pœnitentiam, neque conuersionem, neque fidem, neque orationem, ac postulationem veniæ viribus liberi arbitrij tribuere, sed dono Spiritus sancti, & gratiæ Christi: Pelagium verò omnia hæc contrà, naturali liberi arbitrij facultati, vt condonatio veniæ, & reconciliatio iam non gratia esset, sed merces debita. Detestanda omnibus meritò tam impudens & flagitiosa calumnia.

3. error.

Tertium errorem Confessionis de bonis operibus annotaueram, quod Confessio affirmat: Omnia piorum bona opera esse imperfecta & immunda.

Hic mox suam refutationem exorditur à splendido & luculento mēdacio homo ad mentendum, vt apparet, compositus: *Fateatur*, inquit, *bona piorum opera esse imperfecta, sed tamen negat esse immunda*: quod me scripsisse non potest ostendere. Tantum scripsi: Catholicos confiteri perfectam non esse in hac vita iustificationum iustitiam. Multum verò diuersa sunt: Piorum iustitiam, hoc est, iustam vitam, in hac vita non esse perfectam, quia multis delictis per infirmitatem carnis resperfa est: &, Omne opus pij hominis in hac vita esse imperfectum & immundum. Sed de hac calumnia suprà satis dictū est. Ac sententia quoque: Omne opus pij hominis esse immundum coram Deo, & peccatum: superius copiosè confutata est.

Cauillat.
Illyrici.

At probat adhuc eam Illyricus ex Pauli doctrina ad Rom. 7. *Quid tandem*, inquit, *aliud est spiritualis*

ritualis immundities, quàm non posse legi ac iustitiæ Dei sua obedientia correspondere? Certè Paulus copiosè protestatur ac queritur suam obedientiam à veteri Adamo contaminari, dū impeditur perficere quod vellet. 2. Dum sub seruitutem peccati captiuus abripitur. 3. Dum carne seruit legi peccati. 4. Postremò cum cor nostrum sit originalis peccati pondere grauatum, aut patius contaminatum, quomodo possumus mundi esse?

Dilatio:

Respondemus: Spiritualem quidem immundiciam esse, obedientiam hominis legi & iustitiæ Dei non correspondere: at negamus nullius operis Pauli, aut aliorum piorum obedientiam, sic à veteri Adamo contaminari, vt legi, & iustitiæ Dei non respondeat. Quòd autem scribit, se impediri per legem in carne habitantem, vt non possit perficere bonum quod vellet, non eò pertinet, vt significet opus bonum, quod facit, non correspondere legi & iustitiæ Dei: sed hoc tantum, quod non possit perficere, vt non concupiscat, hoc est, vt vitam agat omnis prauæ concupiscentiæ expertem. quod tamen experebat. Verum ex eo quod vel inuitus cogitur sentire prauos concupiscentiæ motus & stimulos, non est consequens, vel euni peccare, si modò prauis illis motibus reluctetur, neque consensum vllum adhibeat, vel bonum illud quod agit, contaminari. Quod copiosè superius per scripturam & Augustini testimonia demonstratum est. Sic quoque quod deplorat se sub seruitutem peccati captiuum abripi, & carne seruire legi peccati, non eò pertinet

fl h nec

net, vt omne eius bonum opus sit immundum & contaminatum : sed tantum vt significet se inuitum pati , & sentire carnis praua desideria: per quam fiat quoque, vt nonnunquam ex infirmitate peccet, videlicet remissius aduersus legē carnis certans , atque consensum aliquem carnis delectationi adhibens. Postremo, neq; hoc quod cor humanū iam est originalis mali pondere grauatum , efficit , vt omne opus cordis, quod est per spiritū sanctum renouatū, quodq; à spiritu sancto inhabitante agitur, sit immundum & contaminatum : sed hoc tantum efficit , quod non semper spiritus ductum sequatur , sed per infirmitatem nonnunquam , imò crebrò , carnis corruptæ ac vitiatæ voluptatibus & desyderiis sese inclinet & accommodet.

Gen. 68. Postremo, Quod obijcit aduersarius: scilicet *cūm nec Angeli, nec cæli sint in conspectu Dei mundi, nos esse non posse mundos cum nostris operibus, vanum est & friuolum. Quia aliud est, pij hominis opus aliquod esse mundum & incontaminatè bonum : aliud, hominem esse mundum, hoc est, ab omni iniquitate & peccato immunem. Sunt quidem pij homines mundi, iuxta sententiam Christi ad Apostolos : Iam vos mundi estis, sed non omnes : at non est tota eorum vita ab omni iniustitia libera & pura, sed multis delictis resperfa . quibus tamen non contaminantur ea opera, quæ per gratiam operati sunt. quemadmodum superius per illustrem Bernardi sententiam ab Illyrico*

rico citatam , satis copiosè ostensum est . Propter has igitur resperfas maculas imperfectam esse suam iustitiam , hoc est, vitam suam etiam iustam , consistentur omnes pij in hac vita , & assiduè precantur: Non intres in iudicium cum seruis tuis Domine. De quibus omnibus superius satis copiosè dictum est.

Quartus error notatus fuit: Opera bona non esse ad salutem adeo necessaria, vt sine eis impossibile sit homines seruari. 4. Error.

Catholicum dogma esse scripseram , neminem sine bonis operibus , aut bonorum operum studio posse seruari, modò habuerit oportunitatem & facultatem bene operandi. Et rectè me scripsisse comprobant testimonia diuinarum scripturarum . Si vis, ad adolescentem quendam ait Christus, ad vitam ingredi, serua mandata . An non hoc ijs verbis euidenter significatur , quod qui mandata negligit seruare, non ingredietur ad vitam æternam ? rursus: Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum: sed qui facit voluntatem patris mei qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum. Si non intrabit in regnum, qui non facit voluntatem patris cælestis, nõnne verissimum est , opera bona necessaria esse ad salutem, & regnum cælorum obtinendum , ita vt sine ijs obtineri non possit ? rursus : Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, exciderit, & in ignem mittetur . rursus: Procedent qui bona fecerunt in resurrectionem Math. 19
Math. 7.
Ibidem,
Ioan. 5.
Hh ij vitæ:

Galat. 5.

vita: qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij. rursus: Prædico vobis, sicut & prædixi, quod qui talia, hoc est, mala & nefaria opera agunt, obedientiam legi Dei præstare non curantes, regnum Dei non consequentur. & innumera alia extant in scripturis sacris. Quæ tamen scripturarum diuinarum sententiæ non adimunt ijs, qui de eiusmodi malis & sceleribus, etiam in extremo vitæ agone, exemplo latronis illius, veram pœnitentiam agunt, spem salutis consequendæ, sine bonis operibus vitæ antè actæ, aut desperare iubent tales de salute. Sed secundum dogma in Catholica Christi ecclesia certissimum omni verè & legitimè pœnitenti, quantumvis scelerata fuerit superior vita, spes veniæ & salutis in Christi sanguine proposita & promissa est. Sicut igitur generales illæ Christi sententiæ: Qui facit voluntatem patris mei cœlestis, is demû intrabit in regnum cœlorum: non autem is, qui non faciens voluntatè patris cœlestis, dicit: Domine, Domine. item: Qui seruat mādata, ingreditur ad vitam. item: Arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & mittetur in ignem: pœnitentiæ remedium, quo sceleratæ & negligenter actæ vitæ venia impetretur, non excludunt: Ita nec in ea sententia Catholicorum: Opera bona esse adultis, qui scilicet habent tempus & oportunitatem bene operandi, esse ad salutem necessaria: excluditur remedium legitimæ pœnitentiæ ad salutem consequendam. sicut bonus
Illy-

Illyricus calūniosissimè Catholicos docere traducit. Sed hic sensus propositionis ex manifestissimis scripturis desumptæ, est. Studium bonorum operum esse adultis prorsus necessarium ad salutem consequendam, aded vt si illud negligant, à spe cœlestis vitæ excidant, nec salutem æternam consequi possint, nisi de eo neglectu, de quæ malorum operum actione legitimam pœnitentiam agant, per quam semper in extremo vitæ agone spes salutis superest. Quanquam etiam simpliciter verum est, quod sine bonis operibus adultus salutem consequi prorsus non potest, quia sine fide in sanguinem Christi, sine vera pœnitentia, sine supplici & ardenti precatone, sine proposito melioris vitæ, si placeat Deo donare prolixioram vitam, quæ omnia opera sunt bona, & Deo accepta sacrificia, salutem sperare aut consequi non potest. Impudentissima igitur calumnia est, qua propositionem Catholicorum ex ipsis clarissimis scripturis desumptam in eum sensum detorquet. quasi docerent Catholici: spem salutis non esse ijs, qui de vita sceleratè acta, in extremo etiam spiritu pœnitentiam legitimam agunt.

Ciraueram sententiam Pauli: Nemo militans Deo, implicat se secularibus negotijs, vt ei placeat, cui se probauit. Nam & qui certat in agone, non coronabitur, nisi legitimè certauerit. Quæ sententia euidentissimè pronunciat, certamen & studium bonorum operum, id quæ

H h iij non

non vulgare, sed cum magna animi contentione, ad coronam percipiendam necessarium esse.

Eam illudit Illyricus, negans primum, vniuersalem sententiam à Paulo scriptam esse, contendens illud: *Qui certat in agone: non valere, Quisquis certat in agone.* Sed inanis est & friuola prorsus cauillatio.

Deinde dicit eam sententiam propriè ad prophana certamina pertinere. Sed certum est, à prophanis certaminibus à Paulo collationem & ratiocinationem duci ad spiritualia & sancta certamina, non hoc loco tantum, sed etiam copiosè & diffusè in epistola ad Corinthios. Quod sicut in secularibus certaminibus coronam non consequitur, nisi qui legitimè & strenuè certauerit: ita in cursu vitæ spiritualis, coronam gloriæ non assequitur, nisi qui strenuam operam ponit in sanctis actionibus & operibus.

Postremo dicit; *quod qui Christum seruatorem vera fide in ultimo agone apprehendit, mox illi coronam Deus adiudicat, dicens: Abi, fides tua te saluum fecit.*

Sed longe alia est doctissimi & sanctissimi Ambrosii, de corona vitæ æternæ sententia: Non omnibus, inquit, reposita est corona iustitiæ, sed ei qui potest dicere: Certamen bonum certavi. Quod ideo non prætermittendum arbitratus sum, quia scio quosdam dicere, quod ad mortem sibi gratiam lauacri vel penitentiæ referuent. Primum qui scis an nocte proxima tua à te anima reposcatur? deinde: Cur putas otioso tibi omnia posse deferri? Pone vnam gratiam

Ambros.
supr. Luc.
lib. 7. cap.
15.

gratiam, vnam esse mercedem: diuersum tamen brauium victoriæ est: Ad quod se non frustra Paulus extendit, qui post mercedem gratiæ, brauium tamen vt comprehenderet, sequebatur. quia sciebat, etsi par esset merces gratiæ, palmam tamen esse paucorum. Sanè in scripturis corona gloriæ aut vitæ non promittitur, nisi pro laboribus pijs, & certantibus ac vincentibus.

1. Cor. 9.
2. Tim. 2.
Iacobi 1.
Apocal. 2.
3. 4.

Quod postremò cauillatur, ad Ebionitas & Pseudoapostolos dogma Catholicorum de necessitate bonorum operum pertinere: superius semel & iterum refutatum est. Et considera diligenter, quod iam non solum necessitatem bonorum operum damnat, sed etiam impiè & blasphemè contendit, ne vtilia quidem esse ad salutem: dum astruit, illa non esse admiscenda fidei in causa iustificationis. Sed nouum prorsus est istorum hominum figmentum hoc, neque quisquam omnino Catholicorum interpretum scripsit, Paulum opera bona per gratiam spiritus sancti, & in Deo facta, excludere à iustificationis causa.

Quintus error annotatus fuit, quod bona opera ob alios multos fines faciendâ sunt, sed non vt per ea tanquam merita, promissiones Dei consequamur, quæ ex mera gratia patris cœlestis promissiones habent præmiorum huius & futuræ vitæ.

5. Error.

Cauillatur Illyricus Confessionem non hoc habere. Sed mox suo mendacio diffusus, aliò se

Hh iij trans.

transfert. *Verum esse*, inquit, quod scriptura sedulo abstinet à vocabulo meriti: & quod contumelia sit in gratiam Dei, gratuitas eius promissiones ex mera misericordia factas, praeiosissimorum filij Dei sanguine partas, nobisque donatas, nostris meritis sacrilegè vendicare.

Respondeo Illyrice: In scripturis, quæ mercedis nomen pro præmio laboribus pijs retribuendo tam crebrò vsurpant, meriti rationem insinuari: etiamsi voce meriti non vterentur, de quo impræsentiarum contendere nolo. Sunt enim verissimè correlatiua inter se, merces & meritum. verum quod sit contumelia in gratiam Dei, gratuitas promissiones eius nostris operibus vendicare: supra tibi satis respondimus, promissiones quasdam Dei, requirere & præscribere quasdam conditiones & quædam opera, quibus ad eas obtinendas sedulo contendendum sit, tanquam ad brauium & premium, siue mercedem, illis operibus propositam & promissam, 1. Corinth. 9. Matth. 25. 2. ad Timoth. 4. in quo ratio meriti comprehenditur. Propter quæ opera præstita scriptura testatur, fideles dignos esse præmio & mercede æterna.

Respondimus quoque superius, promissiones regni cœlestis non sic esse gratuitas, vt ex mera & sola gratia expectandæ sint: Sed quia ad eas consequendas opera nulla valere possunt, nisi quæ ex Dei gratia sunt, & quæ ipsa sunt munera & dona gratuita Dei.

Postre-

Postremò quod caullaris, sacrilegum esse, nos nostris meritis vendicare promissiones Christi, supra quoque tibi verbis Augustini respondimus: nostra merita, ea demum vocanda esse, quæ nobis ex nobisipsis sunt, & quæ nostris tantum viribus comparata sunt. Quæ verò ex Christi gratia & spiritus sancti dono parata sunt, ea magis Christi dona censenda esse, quàm nostra merita. Quod autem attinet ad collationem, benefici diuitis, & benignissimi, ac misericordissimi Dei (in qua plausibilem fucum struis imperito lectori) perspicuum est, quod sicut eam conditionem requirit beneficus homo, vt egens, eleemosynam petat: ita possit & opera aliqua alia præscribere, quibus oblata beneficentia dignos se facerent. Sed satis de gratuitis Dei promissionibus superius dictum putamus.

Verum quod ad sententiam Euangelistæ Matthæi pertinet, obsecro te D. Illyrice, quis tibi dedit istam potestatem verba Christi clarissima, & perspicuissima sic peruertendi & deprauandi? Venite, possidete regnum. Esuriui enim & sitiui, & refecistis me, &c. hoc est, possidete regnum, quia ex fructibus agnosco vos esse bonas arbores, contra proprietatem manifestam sermonis, tantum vt semel conceptam prauam opinionem de operibus & meritis retineas.

Hh v DE

1. Cor. 9.
Matth. 25
2. Tim. 4.
Sapient. 3.
Luca: 10.
2. Thef. 1.
Apoc. 3.

Auguf. de
grat. &
lib. arbitr.
cap. 7. &
8.

Matth. 25

DE SVMMA
DOCTRINAE.

CAPVT VIII.



In hoc capite quod scriptum erat: Primum caput doctrinae simul ac vitae Christianae, est doctrina legis, seu agnitionis peccati, vel morbi humani (quæ etiam poenitentia vel contritio dicitur) reprehenderam, quod poenitentiam seu contritionem, tantum agnitionem peccati & morbi humani scriberent.

Respondet Illyricus, *id nequaquam verum esse, quandoquidem contritionem dicant esse etiam terrorem & dolorem de peccato & ira Dei: poenitentia verò alteram partem, esse fidem.* Sed vide obsecro, quomodo eadem res possit esse & agnitio peccati, & terror de peccato, & dolor de peccato, & de ira Dei: atque etiam fides pars esse poenitentia, hoc est, agnitionis peccati, doloris de peccato, & terroris ob iram Dei. Sic isti magistri sua autoritate res diversissimas confusissimè commiscent, vt quando descripserint poenitentiam seu contritionem, esse agnitionem morbi & peccati: postea, aliud quiddam præter agnitionem, imò plura alia esse, contritionem scilicet & poenitentiam, excipiant.

*Confusissimè
mixtas
doctrina Illyrici.*

Secun-

Secundò, reprehenderam quod scriptum erat in eodem capite: Christum sola fide apprehendi. Cùm manifestum sit, poenitentia & supplici oratione iustitiam impetrari. Nunc Illyricus dicit *me reprehendisse, quod sola fide proprie apprehendatur Christus, & nobis applicatur.* Quod verum non est, quia de propria vel impropria apprehensione nihil in meo scripto, neque in ipsa Confessione dictum est. Sed de fide apprehendente satis superius dictum est.

Postremò reprehenderam quod dicit Confessio: fidem apprehendentem beneficia Christi, esse fidem iustificantem. quam reprehensionem dicit esse non errorem, sed potius errorem. Verùm si recordetur lector, quid sit istis bonis magistris, apprehendere fide iustitiam, & beneficia Christi (nempe certò credere & statuere, quod beneficia, & iustitia Christi nostra sint, quodque per eam apprehensionem & acceptationem beneficiorum & iustitiæ Christi, nos simus verè coram Deo iustificati) intelliget non meam reprehensionem, errorem esse, sed ipsius cauillationem potius errorem & errorem esse: qua scripturas apertissimas peruertit & deprauat, quæ pronunciant, credentes per Christi obedientiam & iustitiam iustificari: sicut per inobedientiam Adq̄ posterius eius constituti sunt peccatores & iniusti. Sed de hoc superius suo loco satis prolixè.

At obijcit Illyricus: *Si fides apprehendens iustitiam Christi, non iustificat, igitur nec Christi iustitia iustificat.*

Sed

Sed superius ostendimus, Christi iustitiam ac obedientiam nō aliter iustificare, quā quomodo inobedientia Adæ filios peccatores & iniustos constituit, videlicet non formaliter & intrinsecè, sed solum meritorie & causaliter. Sed cauillationes has superius suo loco copiose tractauimus.

DE DISCRIMINE LEGIS

ET EVANGELII.

CAPVT. IX.



Aperte nono tractatur discrimen legis & euangelij. Cauillatur Illyricus vtrumque tetrè me corrupisse.

Cauilla-
tio.

Primum, inquit, legem corrumpit, non enim vult legem exactissimam obedientiam flagitare, cuius contrarium clarissimè Christus asserit, affirmans, legem flagitare exactissimam obedientiam, adeo vt etiam minimos cordis motus in cōtrarium condēner, & contrarias extenuationes patrum Iudaicorum damnans. item dum Christus inculcat, vt Deum diligamus ex toto corde, tota anima, intelligentia, & omnibus viribus. Quod etiam clarissimè docet illud Dei fulmen: Maledictus, qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis.

Math. 5.
Ibid. 22.
Luc. 10.
Deut. 27.
Galar. 3.

Respondeo primū, Illyricū suo more verba mea mendaciter peruertere. Non enim simpliciter dixi, Deum non flagitare exactissimam omnium mandatorum obedientiam: sed dixi: eum

eum non sic exactissimam requirere obedientiam mandatorum, vt tale etiam cor & imaginem exhiberi sibi præcipiat, qualem in initio hominem condidit. quod ijs verbis tradit Cōfessio. Non igitur negamus, quin Deus exigat exactam omnium mandatorum obedientiam, ad minimum vsque apicem legis: ac minimos quoque & intimos cordis prauos motus, quibus scilicet aliquis consensus adhibetur, (nam de talibus Iudaici doctores agebant, vt clarissimum est ex Christi doctrina apud Matthæum) damnamus, & peccata iudicamus. Sed affirmamus motus illos prauos, quos caro contra spiritum excitat, si modo nullus eis consensus adhibeatur, peccata non esse, nec Deum sub comminatione maledictionis iubere, vt in hac mortali vita eos non sentiamus, sicut initio primus homo rectus conditus eos non habuit. Et proinde falsum esse dicimus, quod Confessio habet, & Illyricus adhuc approbat, Deum seuerè exigere tam perfectam obedientiam, vt cor ei tale, & talem imaginem exhibeamus in corpore corruptibili, qualem in homine primo condiderat. quod superius copiose tum ex scripturis, tum ex Augustini doctrina demonstratū est.

De præcepto quoque illo: Diliges dominum Deum tuum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, & ex omnibus viribus: ostendimus Deum in eo præcepto non exigere sub comminatione maledictionis aliud, quā quod synccera & vera charitate illum diligamus, atque ex synce-

Math. 5.

Math. 22.
Luca 10.

syncera charitate ipsius mandatis obsequamur in hac fragili carne, quod ex ea conuicimus & demonstrauimus, quod scripturæ testatur quosdam toto corde Deum quæsiuisse, & dilexisse, in quibus fuit quidem syncera erga eum charitas, sed non ea perfectio, vt imaginem illam primam Deo exhiberent. Et disertè scriptura pronunciat, quod charitas syncera, scilicet de corde puro & fide non ficta, sit plenitudo, hoc est, adimpletio legis. Addidimus quoque eruditissimi Augustini de eo præcepto sententias & explicationes.

Rom. 13.
Galat. 5.

Postremò, quod ad fulmen illud Dei pertinet: Maledictus, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis: suprâ quoque demonstrauimus illud secundum Pauli interpretationem, ad eos pertinere, qui ex operibus sunt legis, hoc est, qui nondum sub fide & gratia, sed adhuc sub lege sunt constituti, nec legem obseruant, nisi fortè ex timore pœnæ, aut cupiditate terrenorum bonorum, non autem ex syncera iustitiæ dilectione in veritate legem præstant, sed præuaricatæ legis intus in corde rei sunt, & proinde tanquam transgressores legis, sub maledictione & condemnatione legis permanent, donec per fidem in Christum à maledictione liberentur. Quicumque, inquit Apostolus, ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt. Scriptum enim est: Maledictus est omnis, qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis, hoc est, ideo sub maledicto

Galat. 13.
Deut. 27.

ledicto sunt, quia secundum veritatem non præstant mandata legis in Dei conspectu. Qui verò ex fide sunt, & per gratiâ Christi, & per synceram charitatem legem præstant, per Christum, cuius gratia legem præstant, à maledicto liberati sunt. Et Moyfi quoque sententia de grauibus peccatis & criminibus manifestè scripta est, non de ijs, quæ iusti per corporis fragilitatè admittunt. Pleniorum huius loci interpretationem licet videre apud Augustinum de perfectione iustitiæ, & alibi. vbi docet, eum demum præuaricari & transgredi legem, qui synceram charitatem violat & abiicit.

Augus. de
perfect. iu
stitiæ libr.
1. retract.

Quod quoque Illyricus scribit, quod piorum obedientiam, qui non sunt propriè sub lege, tanquam mutilam Deus corrigat ac toleret per sanguinem Christi, & peccatorum remissionem, quodque proinde eorum obedientia non pertineat ad veram iustificationem, figmentum est Illyrici, blasphemum in spiritum sanctum: qui tam crebrò pronunciat, piorum obedientiam, sacrificium esse acceptissimum Deo, & optimè redolens coram conspectu eius. sicut suprâ ostendimus.

Ac perperam & calumniosè deprauat Illyricus dictum Augustini, etiam à nobis citatum: Iustitiam nostram magis in peccatorum remissione, quàm in virtutum perfectione consistere. quam sententiam sic ipse recitat: *Iustificatio nostra non in perfectione virtutum, sed in peccatorum remissione consistit, cum in Augustini sententia disertè*

Caillao
tio Illyr.
rici.

fertè ponatur aduerbium comparatiuum, magis. Ostendimus quoque suprà, Augustinum non dixisse, in virtutum studio non consistere iustitiam, sed in virtutum perfectione: qua scilicet perfectione absque peccato, semper virtutum studia homo colat. Itaque verissimè dixit, quod nostra iustitia, hoc est, nostræ vitæ iustitia, magis consistat in peccatorum remissione, quam in perfecto, assiduo, & absoluto, ac consummato virtutum studio. Rarus enim est, aut potius nullus omnino, qui perpetuò virtutem colit.

Secundò, dicit me euangelium quoque corrupisse, quod illud ad iustitiam traduxerim, nec in sola remissione peccatorum collocauerim, quæ ad Romanos 3. 4. & 10. & ad Galathas 1. describitur, quam renouatio tanquam diuersum beneficium consequatur.

Aduerius hanc blasphemam sententiam satis multa superius dicta sunt, & ex scripturis evidentissimis probatum, ab euangelica iustificatione haud quaquam pia opera exclusa esse: Factores legis iustificabuntur apud Deum. Abraham ex operibus iustificatus est. Factores legis in facto suo beati erunt. Item falsissimum est, quod in sola remissione peccatorum, iustitia vera sit posita.

Rom. 2.
Iacob. 1.3
Galat. 5.

DE

DE ECCLESIA.

CAPVT X.



N hoc decimo capite dicit falso Confessione obijci crimen, quod tantum bonos & oves Christi dicat pertinere ad Ecclesiam. *Cum enim dicit, illos tantum esse oves Christi, qui vocem eius audiunt, vult intelligere, inquit Illyricus, alios quidem verè ac sincerè audire, intelligere, & sequi: alios autem hypocriticè. sicut varij sunt agri, bonum verbi Dei semen excipientes, nec omnes perinde fructificantes.* Sed considera quæso lector verba Confessionis: De Ecclesia, inquit, tum olim, tum etiam nunc fuit ac est ingens certamè, quænam ea sit, dum omnes sectæ volunt videri populus Dei. Eam verò litem diremit filius Dei, docens eas tantum esse veras oves Christi, qui audiunt vocem eius, & ipsum à patre missum accipiunt, &c. An non hac descriptione manifestè insinuat, ecclesiam veram, quæ est populus Dei, esse oves tantum Christi, quæ audiunt & sequuntur vocem Christi? Reprehensio igitur, qua descriptionem illam reprehendèrã, tanquam complectentem solos bonos, vera est, & non calumniatoria. Quod verò dicit Illyricus, alios quidem verè ac sincerè audire verbū Dei & sequi, alios autem hypocriticè: verum quidem est in Ecclesia vera malos permisceri bonis, etiam in sacramentorum administratione, & ecclesiæ regimine ac gubernatione: sed

li non

non explicat Confessio: an mali permisti bonis in eodem cœtu pertineant, tanquã mēbra quædam aut partes, ad ecclesiæ corpus: sicut dicit scriptura: vos autē estis corpus Christi, & mēbra de membro (quod certissimum est pertinere ad omnem ecclesiã Corinthiacã, & non ad bonos tantũ, & eos qui in ea erant veræ oves Christi, sed etiã ad malos in ea fideles.) tantũ dicit, malos esse permistos bonis: quod fieri posset, etiã si ad cõpagem corporis mystici non pertinerent. Sub ea verò forma sermonis: Mali permisti sunt bonis in ecclesia: tegunt suum errorẽ, quo affirmant, diuinas promissiones ecclesiæ factas non pertinere ad ordinarios sacerdotes & pōtifices, Apostolorũ successores, si mali sunt: sed tantum ad eos sacerdotes & successores, qui tanquam Christi veræ oves, & veri filij Dei, Apostolorum vitam, exempla & vestigia sequuntur. nō quod promissiones de æterna salute ad alios, quàm ad pios, Dei quẽ filios pertineant: sed quia sunt & aliæ promissiones, quæ ad directionẽ & gubernationem ecclesiæ pertinent, item ad confirmationem populi fidelis in fidei sinceritate, & ad sanæ doctrinæ conseruationẽ perpetuam vsque ad consummationem sæculi, sicut etiam ad sacramentorum ritẽ administratorum perpetuam efficaciam. Sicut enim propter Christi institutionem firma sunt perpetuò & semper eius sacramenta, etiam à malis administrata: ita propter Christi promissiones, firma est & certa penes Petri cathedram & cœtum sacerdotum ecclesiæ

clesiẽ in sana & syncera doctrina gubernatio & directio. Quæ omnia Catholici significamus, quando dicimus, etiam malos, qui vestigia sanctimonix Apostolorũ non sequuntur, pertinere ad compagem ecclesiæ, & esse ecclesiæ veluti membra & partes, quamdiu ecclesiæ in vinculo pacis & vnitatis adhærent. quæ isti per formam sermonis, malos permistos esse in ecclesia cum bonis, exclusa intelligunt. Sed in Confutatione satis de hoc diximus.

Quod scripseram, certam & indubitatam notam veræ Christi ecclesiæ non rectè assignari verbum Dei, siue verum vsu verbi & sacramentorum, propterea quod de vero vsu verbi diuini, hoc est, de vera intelligentia seu interpretatione verbi diuini, & de recto vsu sacramentorum, inter partes contendentes quæstio est & controuersia. quarum vnaquæq; sibi titulum veræ Christi ecclesiæ vendicat & vsurpat.

Hanc sententiam acriter insectatur Illyricus, tanquã expresso verbo ac definitioni Christi contrariam. qua ipsemet ita clarissimè suã ecclesiam describat, inquit: *Oves meæ vocem meã audiunt. Inanem vero esse rationẽ, qua contra verbũ Dei opponitur. Quia inter partes controuertitur, quarum vtraque vult esse ecclesia: quancã sit vera verbi intelligentia, aut recta sacramentorũ administratio. Quia vt maximè controuertatur, non propterea desinet sententia Christi vera esse, quod illi sint ipsius oves, qui ipsum audiunt, non qui mandata & doctrinas hominũ, & multo minus qui verbum & doctrinam eius & auditores ipsius persequuntur.*

I i ij Respon-

De nota certa veræ Christi ecclesiæ.

Cauilla tio Illyrici.

Ioan. 10.

Respondeo, verissimam esse & indubitatum Christi sententiam: Eos demum esse veras Christi pastoris oves, quæ eius verbum non corporeis tantum auribus audiunt, sed etiam sincera devotione ac charitate amplectuntur, ac vita quoque expriment. Verum si de vero verbi eius sensu inter partes certamen exoriatur, obsecro te Illyrice, qua ratione litem contententium dirimere poteris? & qua nota, certa & indubitata ac manifesta discernere falsum sensum à vero, & verum sensum contententibus demonstrare? Certè Dei verbum frustra ad dirimendam litem proposueris, cum vtraque pars illud se amplecti integrè cum omnibus circumstantiis sententiarij profiteatur. Quærenda igitur alia erit certa ac manifesta nota, quæ litem dirimat inter contententes, videlicet quæ manifestissimum sit non sibi vtramque partem usurpare.

Interroganti igitur quænam sit vera Christi ecclesia: rectè responderetur, eam esse veram Christi ecclesiam, quæ verbum eius audit, tenet, & sequitur. Sed interroganti quisnam sit ille hominum cœtus, in quo proponitur, auditur, & docetur verum Dei verbum, non rectè responderis: Notam & signum indubitatum illius cœtus, esse verbum Dei. atque hoc est, de quo disceptatio est. Cum vtraque pars profiteatur veram Christi ecclesiam esse eam demum, quæ veram Christi doctrinam & verbum audit & sequitur, de eo contentio ac certamen est inter partes contententes, quæ sit illa ecclesia, hoc est, quæ

quæ sit illa fidelium hominum congregatio & cœtus, quæ verbum Dei verum habet, audit, & sequitur. Et quæritur certa, manifesta, & indubitata nota, qua cœtus tenens verbum Dei sincerum, discerni possit à cœtu qui falsum verbum, & non Dei verissimum verbum sequitur: seu qua vera ecclesia Christi, tenens verum & sincerum verbum Dei, dignoscatur ab ea ecclesia, quæ se iactat quidem tenere, docere, & sequi verum Dei verbum: sed non Dei verbum, sed satanæ seductoris falsum verbum amplectitur, & mordicus defendit. Hic certè ad dirimendam litem inter contententes non rectè responderis: Verum Dei verbum esse indubitatum notam veræ ecclesiæ, quia de illa ipsa nota inter partes lis est: sed certam aliam & manifestam notam adferre debes, quæ manifestè, certò, indubitanter & clarè discernat veram ecclesiam habentem verum Dei verbum, à falsa, quæ falsum verbum & mendax sequitur, tradit ac tenet. Itaque Christus, quæ sit vera ecclesia, & quæ veræ eius oves sint, descripsit quidem, quando dixit: Oves meæ sunt, quæ vocem meam audiunt: sed notam manifestam & certam in ea descriptione non voluit tradere, qua inter partes contrarias, quarum vtraque contendit se esse oves illas audientes vocem & verbum Christi, lis dirimi manifestè possit, & discerni, quæ sint oves secundum veritatem Dei vocem audientes: quæ verò non pastoris Christi, sed alieni & deceptoris vocem sequentes.

Alia igitur quærenda est nota, certa, manifesta, ac propria ecclesiæ, Christi pastoris vocem audientis. Eam autem notam, tanquam maxime illustrem inter reliquas, definierunt nō Tiletanus (vt cavillarur Illyricus) sed vetustissimi patres, & scriptores ecclesiastici legitimam sacerdotum & episcoporum, & præsertim in fide Romana, seu cathedra Petri successionem, ad sua vsq; tempora perpetuò cōtinuatam & deductam, Ireneus, Tertullianus, Origenes, Cyprianus, Hieronymus, Augustinus, Optatus. Ac quædam quidem horum patrum testimonia in Confirmatione adscripseram. de quibus silet Illyricus, nisi quod Augustini, & etiam Hieronymi testimonia quædā detorquere cōtra nos, imo contra ipsorum verissimam & manifestissimam sententiam nihil eum pudeat. Atq; huic sacerdotum & episcoporum seu pontificum legitimæ ac ordinariæ successioni perpetuam ac sempiternam vsq; ad sæculi consummationem, spiritus sancti præsentiam & assistentiam promissam esse, ex sacris literis patres isti constanter tradiderunt.

Ireneus
lib. 3. ca. 2.

Ireneus: Traditionem, ait, Apostolorum in toto mundo manifestam in ecclesia adest perspicere omnibus qui vera velint audire: & habemus annumerare eos, qui ab apostolis instituti episcopi in ecclesiis, & successores eorū vsq; ad nos. & post pauca: Maximæ & antiquissimæ, & omnibus cognitæ à duobus gloriosissimis apostolis Petro & Paulo, Romæ fundatæ & cōstitutæ

stitutæ ecclesiæ, eam quam habet ab Apostolis traditionē, per successiones episcoporum peruenientem vsq; ad nos, indicantes confundimus omnes, &c. & post pauca: Ad hanc ecclesiā propter potentiorē principalitatē necesse est omnē conuenire ecclesiā, in qua semper conseruata est ea, quæ est ab apostolis, traditio. Et deinde post enumeratos Romanæ ecclesiæ episcopos vsq; ad suam ætatē, subdit: Hac ordinatione & successionē, ea quæ est ab apostolis in ecclesia traditio, peruenit vsq; ad nos. Et est plenissima hæc ostensio, vnā & eandem viuificatricē fidem esse, quæ in ecclesia ab apostolis vsq; nunc conseruata & tradita in veritate. rursus alibi: Agnitio vera, hoc est, fides vera, est apostolorum doctrina in vniuerso mundo secūdam successiones episcoporū, quibus illi eam quæ in vnoquoq; loco est, ecclesiæ tradiderunt, quæ peruenit vsq; ad nos custodita. & rursus alibi iis tantū episcopis obedire iubet, qui successionē habent ab apostolis, qui cum successionē episcopatus, charisma veritatis verū acceperunt: reliquos verò, qui abstant à principali successionē, quocūq; loco colligantur, suspectos debere haberi.

Tertullianus quoq;: Ostendant mihi hæretici, ex qua autoritate prodierint: edant origines ecclesiarum suarum: euoluant ordinem episcoporum suorū, ita per successiones ab initio decurrentem, &c.

Cyprianus: Ecclesia, inquit, vna est, quæ vna, intus & foris esse non potest. Apud Cornelium

*Plenissima
ma ostensio seu nota vera ecclesiæ & vera fidei.*
Ireneus lib. 4. cap. 63.
Idem lib. 4. cap. 43
*Obserua
quæso
verba les
etor Chri
stianæ.*

*De præsc.
aduersus
hæreticos*

*Li. 1. episc.
& aliis
innumera
is locis.*

verò est, qui episcopo Fabiano legitima ordinatione successit.

Hieronymus ad Damasum.

Hieronymus ad Damasum: Cum successore piscatoris, & discipulo crucis loquor. Ego nulum primum nisi Christum sequens, beatitudinituæ, id est, cathedræ Petri cõmunione cõsocior. Super illam petram ædificatam ecclesiam scio. quicumq; extra hanc domum agnũ ederit, profanus est. Quicumq; tecũ non colligit, spargit, & Antichristi est. De alia eius sententia in lib. cont. Luciferian. quæ idẽ planè testatur, mox dicetur.

Aug. cõt. epist. Machabei. cap. 4.

Augustinus in locis penè innumeris: Multa sunt, quæ me in ecclesiæ gremio iustissimè tenet. atq; quibusdam enumeratis: Tenet me, inquit, ab ipsa sede Apostoli Petri, cui pascendas oves suas dominus post resurrectionem suam commendavit, usq; ad præsentem episcopatum sacerdotũ successio. vbi per sacerdotes, intelligit præsidēs Romanæ ecclesiæ. rursus alibi: Numerare, inquit, sacerdotes vel ab ipsa Petri sede, & in ordine illo patrũ quis cui successerit, videte. Ipsa est petra, quam non vincunt superbæ inferiorum portæ. sic alibi: Romanis episcopis inuicem sibi succedentibus enumeratis, in hoc ordine, inquit, successionis nullus Donatista episcopus inuenitur. Eum vide obsecro Christiane lector in libro de vtilitate credendi capite 17. Et 46. rursus in quæstionibus veteris & noui testamenti, quæstione 110. differentem de cathedra pestilentis hæreticorum.

August. in Dial. cõtra Donati partem. Attende lector Christiane.

August. epist. 165.

Optatus

Postremò: Optatus contra Parmenianum lib.

lib. 2. Scire eum dicit Petro, primo cathedram episcopalem esse collatam, in qua fedit omnium Apostolorum caput, Petrus: in quo vno, cathedræ vnitas ab omnibus seruaretur, vt iam schismaticus esset, qui contra singularem cathedram, alteram collocaret. Deinde enumeratis eius cathedræ præsidibus successoribus, vsque ad Siricium, qui tum in cathedra sedebat: Vestræ, inquit, cathedræ vos originem reddite, qui vobis vultis sanctam ecclesiam vindicare.

cõtra Parmenianũ, lib. 2.

Hæc Christiane frater aliquanto prolixius recitavi ex verustissimorum & sanctissimorum patrum, atque adeo religionis Christianæ illustrium columinum sententijs, vt perspicias quãti habita sit semper ab eis legitima, & ordinaria sacerdotum & episcoporum, idque præsertim in cathedra Petri, siue sede Romana, successio: vtpote quod per eam tanquam certissimam notam discreuerint semper Christianam ecclesiam ab Antichristiana: quòdque per eam, tanquam potentissimam machinam subuerterint semper falsas hæreticorum & schismaticorũ ecclesias, quod denique per eam charisma veritatis fideliter in ecclesia custoditum semper & conseruatum sit: tum etiam vt intelligas, summo studio detestandam & execrandam esse blasphemiam, qua & hoc loco, & plerisque alijs, in cathedræ Apostolicæ præsidem, tanquam hominem peccati, & filium illum perditionis olim à Paulo prædictum, furibundus Illyricus grassatur, Romanam cathedram, tanquam pestilentis

Attende lector.

2. Thef. 2.

cathedram, summo studio fugiendam esse, ubique inculcans: cum contra, sanctissimi illi patres eum qui communionem cathedræ Petri abijcit, profanum esse, & ad Antichristum pertinere, & tanquam extra arcam constitutum saluari non posse, & cum cathedra pestilentiæ communionem habere, libera voce testentur. Rursus ecclesiam Romanam, Petri cathedræ adhærentem, solam esse, ad quam nunquam accessum habuerit perfidia, in qua semper Apostolicæ cathedræ vigerit principatus. Romanam item fidem esse Catholicam fidem, & fidem Apostolico ore landatam.

Cypr. lib. 1. epist. 3. August. epist. 142. Hier. in epistola 1. ad Damascum. Idē lib. 2. cōtr. Rufinum. Ambr. in orat. funebri de obitu fratris. Aug. de utilitate credendi. cap. 17. & 46. Casilla. tie.

Hæc igitur cum ita sint, quid dubitamus, ut verbis utatur Augustini, nos eius ecclesiæ condere gremio, quæ ab Apostolica sede per successionem episcoporum, frustra hæreticis circumstantibus, culmē authoritatis semper obtinuit?

At contra hæc obijcit Illyricus: *Successionem ordinariam & legitimam sacerdotum & episcoporum, idque in Romana sede & cathedra non esse fidelem custodem & conservatricem Apostolicæ doctrinæ & traditionis, quandoquidem vana & palpabilis experientia contrarium testetur. Quantum enim ex actis & historijs Romanorum pontificum cognosci potest, vix iam in mille proximis annis fuisse aliquem Romanum episcopum, Apostolicam doctrinam præsertim in Christi officio intelligentem. Tam multi, inquit, Romani pontifices iam olim tum schismatici, tum hæretici fuerunt (quod ipsorum proprij historici testantur) an illis adhærentes fuerunt vera Christi ecclesia?*

Hæc

Hæc homo iste insano quodā odio erga præsidē cathedræ Petri percitus, sine vlla probatione euomit apud imperitos lectores. Sed nos illi respondemus cū sanctissimo illo pontifice, Leone primo, quod efficax Christi oratio hoc obtinuit, quod fides cathedræ Petri non defectura sit vsque in seculum. Qui enim ad annos quadringentos, & amplius, testibus Irenæo, Tertulliano, Cypriano, Hieronymo, & Augustino, eam seruaui illibatā, & à praua religionis doctrina immunem, non ipsorum sacerdotum ac pontificum merito, sed spiritus sancti peculiari præsentia & ducatu idem se facturum spondit vsque in consummationem sæculorum. Recensentur quidem à nonnullis historicis in cathedra Petri sedisse aliqui, qui in eius fidem non successerint, nec ab hæresi dicantur fuisse alieni: verum falsò hanc eis notam inustam esse, doctissimi quidam Catholici perspicuè & solidè demonstrant. quod & nos firmis probationibus tum ostendemus, quando ille iniuste suæ accusationis probationes attulerit. Nec verò de eo contendimus, an cathedræ Petri præses possit hæretico aliquo errore aliquando corrumpi & contaminari: sed hoc dicimus, quod etiam si verum esset, aliquando Romanū pontificem à recta fidei regula deuiasse, non tamen id protinus Petri cathedræ impingendum esse. de qua Christus dixit: Portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Ad Petri enim cathedram non pertinet continuò, quicquid sentit,

aut

aut docet, aut scribit etiam tanquam priuatus quispiam, cathedræ præsidens: sed id demum, quod tanquam pastor vniuersalis Ecclesiæ tenendum toti ecclesiæ præscribit legitime: vnde & illi ipsi historici, qui temerè pontifices eius cathedræ aliquos erroris notauerunt, ostendunt errores eorum statim in ipsa continua successione, per successores correctos & emendatos esse. Quare vt etiam concederetur aliquos pontifices Romanos priuato errore laborasse, semper tamen ipsa fidei veritas in successione, tanquam fidissima veritatis conseruatrice, permansisse verissimè diceretur, quando errorem prædecessoris succedens pontifex continèd emendasset.

At quod coniuratus Ecclesiæ Romanæ hostis & inimicus audet scribere, *vix iam in mille proximis annis fuisse aliquem episcopum Romanū, qui Apostolicam doctrinam præsertim in Christi officio intellexerit*, ipse sui putidissimi & contumeliosissimi mendacij & calumniæ graues pœnas, ni resipiscat, iudici Deo dabit. Cæterum quod eadem doctrina, quæ primis quingentis annis tradita est, in sacerdotum & pontificū successione non interrupta, mille sequentibus annis perdurauerit, & adhuc perseueret, promptissimum & facillimum foret perspicuè & solidè demonstrare, si hoc huius instituti ratio permetteret, & à doctissimis Catholicis ostensum est in ipsorum scriptis.

Non itaque, vt sceleratus cauillator scribit,
auda-

audacia aut blasphemia est, quod illam solam esse veram Christi ecclesiam scripseramus, quæ in continuata sacerdotum & episcoporum legitima & ordinaria successione perseuerat, atque in ea Christi pastoris, tanquam oues legitime & veræ, vocem audit.

Sed rursus obijcit ecclesiæ aduersarius, *Pontifices Hierosolymitani olim etiam expresso Dei verbo constituti, & quos Deus expressè audiri iusserat sub pœna supplicij capitalis, à prophetis ac Domino Christo repulsi sunt, qui & iusserunt cauere eorū fermentum, ac pronunciarunt eos sal infatuatum, ac præceperunt, inquires: Sinite, cœci sunt, & duces cæcorum.* & *Paulus inquit: Si quis aliud euangelium docuerit, anathema sit. nec Petrum, nec Tricoronatos illos, nec denique Angelos de cœlo excipiens.*

Respondemus calumnijs tuis ô bone, quod vbi conuiceris in legitima pontificum successione, fermentum aliquod Christianæ doctrinæ doceri & tradi, tum nos à tua conclusione non abhorrebimus. Sed neque quispiam tuorum sodalium, neque tu, hætenus tale aliquid in Romana & apostolica Ecclesia approbatum esse demonstratis, neque spiritu sancto eam gubernante in finem seculi, probabit vnquam.

Hætenus de manifesta & certa nota ecclesiæ, per quam cognosci certè & euidenter potest, quæ sit vera Christi ecclesia, audiens, tenēs, & sequens verum Dei verbum, & legitimum sacramentorum Christi vsum. Quam notam si applicemus ad præsentis tēporis ecclesias, Catholi-

Cauillatio.

*Deut. 17.
Matr. 16.
Marci 8.*

Galat. 1.

Dilutio.

Epiloga

tholicam & Lutheranam, siue (vt iam vocant) Martinianam, mox cognoscere poterimus, vtræcarum sit vera Christi ecclesia, & vtra Antichristiana. Constat enim, quod altera doctrinæ & traditioni, quæ in cõtinua episcoporum successione ad nos vsque perducta semper obseruata est, fideliter & studiosè adhæreat: altera vero successionem continuam & ordinariam sacerdotum & episcoporum ad hoc tempus perductam, vsque adeo sibi non vendicat, vt etiam potius reiiciat & contemnat.

Sed quia pro vera hac nota ecclesiæ, perspicua & solida patrũ quædam testimonia adduxeramus, citat & Illyricus pro sua nota, quam facit verbum Dei, quædam testimonia.

Aug. contra Periliani epist. cap. II.

Augustinus, inquit, contra Periliani epistolam scribit: Inter nos & Donatistas quæstio est, vbi sit ecclesia. Quid ergo faciemus? in verbis capituli nostri eam quaesituri sumus, an in verbis capituli sui domini nostri Iesu Christi? Puto quod in illius potius verbis eam quaerere debemus qui veritas est, & optimè nouit corpus suum. nouit enim Dominus qui sum eius. Vides, inquit, eum non dicere, esse notam ecclesiæ, audire bullas Papales, sed verbum Christi.

Respondemus tibi nefarie calumniator, nos bullas Papales non prædicare, sed vocem Christi, & synceram eius doctrinam, in successione continua & legitima sacerdotum & episcoporum, secundum Christi ordinationem & promissionem perpetuò in ecclesia sonantem: deinde veram Christi Ecclesiam prorsus dicimus in scriptu-

scripturis quaerendam, in quibus verissima Dei vox sonat. Sed quid ages, quando partes inter se contendunt de loquentis Dei verbo? dum vtraque verbum quidem Dei loquentis suscipit & veneratur, sed diuersam ex eodè verbo sententiam colligit: qua nota discernes & agnosces ecclesiam, verum & rectè intellectum Dei verbum tenentem, ab ea quæ falsum Dei verbum amplectitur? Si responderis, eam esse veram Christi ecclesiam, quæ verbum Dei ritè intellectum audit & sequitur, reliqua adhuc est quæstio: Qua nota agnosci possit ea ecclesia, quæ verbum Dei ritè intelligit, & discerni ab ea quæ Antichristiana est, quæq; verbũ Dei peruertit & corrumpit, præsertim cū inter magistros quoque bonos & prauos, de vero intellectu cõtingat esse certamen non paruum? Atque hæc sanè est nota, de qua hoc loco quæstio est, quam manifestissimum est non rectè dici esse Dei verbũ.

Similem sententiam habent alia duo testimonia, quæ ex eodem Augustini libro profert. Quare superiore explicatione satis ea exposita esse existimo.

Ibidè cap. 3. & 10.

Sed & Hieronymi dictum citat contra Luciferianos, quo (vt verè dicit) Catholici crebrò contra istos vti solent: Breuem, inquit, apertamque animi mei sententiam tibi proferam: In illa esse permanendum ecclesia, quæ ab Apostolis fundata, vsque in diem hanc durat, (porrò illam se intelligere, in epistola ad Damasum disertè dicit, quæ cathedræ Petri, quam

Hieron. cõtra Luciferianos

tum obtinebat Damasus Romanus pontifex, confociatur & coniungitur) Sicubi audieris eos qui dicuntur Christi, non à domino Iesu Christo, sed à quopiam alio nuncupari, vtputa Marcionitas, Valentinianos, Montenses, siue Campales (*adde Franciscanos, Dominicanos, Romanos, Petrimos, Benedictinos*) scito non esse ecclesiam Christi, sed Antichristi esse synagogam. Ex hoc enim ipso quod postea instituti sunt, eos se esse indicant, quos Apostolus futuros esse pronunciauit.

Audis lector, non hominem sanum, sed maledicum scurram testimonium Hieronymi disertè scriptum contra eos, qui deserta cathedra Petri, & ab eius communione separati, nouas ecclesias, nouaque dogmata postea instituunt, cuiusmodi reuera Lutherus cum suis sodalibus, atque etiam cum Illyrico est, sceleratè & blasphemè contra propriam conscientiam (nā sententiam veram Hieronymie non esse ignotam nihil dubito) detorquentem aduersus pontifices Romanos, cathedræ apostolicæ præfides, & contra celeberrimos Dei cultores, Deoque acceptissimos homines, Franciscum, Dominicum, & Benedictum, tanquam ad Antichristi synagogam. Non has blasphemias tibi suggerit infelix Illyrice, Christi sacer spiritus, sed impurus diaboli spiritus, qui sanctissimorum Dei amicorum gloriam & fructum, quem eorum sanctissima vita adhuc in terris Deo profert, sustinere non potest. Et tremendo simul & occultissimo suo

suo iudicio iustus Deus omnibus fidelibus palâ fieri prouidet, quo spiritu tua scripta & tua omnia consilia dirigantur: ne hypocriti tua & mendacijs iam probè omnibus patefactis, diutius infirmas Christi ouiculas possis seducere. Nam de Romanis pontificibus iam tori orbi notum est vestrum consilium: Vos ideo, sicut à Cypriano scriptum est, præpositum ecclesiæ infesto animo persequi, vt gubernatore sublato, atrocissimè atque violentius circa ecclesiæ naufragia grassari possitis. Sed si Romani pontifices tibi postea instituti videntur, & non à Christo, quid dices de Damaso in Petri cathedra sedente? de quo scribit Hieronymus: Si quis tuæ beatitudini, hoc est, cathedræ Petri, quam tu gubernas, communione non confociatur, Antichristi est. Quid de eius antecessoribus Romanis episcopis? quorum sanè, secundum Christi doctrinam, non maior fuit prærogatiua, quàm eorum, qui post eos ad hoc vsque tempus Petri cathedram tenet & gubernant. Comprimat te quæso Illyrice fulmen illud, & tonitruum doctissimi & sanctissimi viri D. Hieronymi: Qui Petri cathedræ seu eius præfidi, communione non confociatur, Antichristi est.

Scribit quoque, *iniuriam ipsis facere, si quis eos Lutheranos vocet, cum tali nomine ipsi se non iactent.*

Verum Illyrice, qua ratione nomen eius repudiare potestis, qui disertè scribitis in ipsa Confessione, vos agnoscere ingens ac prorsus ineffabile beneficium omnipotentis Dei, quod

Kk per

Cyprian.
lib. . epi-
stola 3.

Memora
bilis sen-
tentiæ Hiero-
n. hæreticis &
Rom. eccle-
siosorib:
attēre cō-
siderāda:

- ” Per vitimum Eliam Lutherum, veram religio-
 ” nem instauravit, & ab Antichristi tyrannide
 ” repurgavit & liberavit?

Quod postremò scribit, nos sp̄e salutis in homi-
 nes, duces ac patronos, eorumq; mediationem ac merita
 ponere: quodq; præsertim Papis credamus, non solum
 sine verbo Dei, sed etiam contra expressum verbum
 Dei, ac proinde iure optimo non pro Christi ecclesia,
 sed pro hominum servis ac sectatoribus haberi debeamus,
 non Christi verbum, sed Papæ dogmata sequen-
 tes. quæ vera nota est ecclesia Antichristiana: ice-
 leratæ sunt calumniæ, quas flagitiosus homo
 sine vlla probatione petulanter euomit. Neque
 enim dum sanctorum & Deo acceptissimorum
 ministrorum patrocínio apud Deum vimur,
 spem salutis magis in hominibus collocamus,
 quàm Paulus, dum suarum ecclesiarum preces
 & patrocínium pro se postulabat. Quòd verò
 pij homines perfectionis stadium amplexi, Be-
 nedictini, Franciscani, aut Dominicani appellā-
 tur, non aliò pertinet, quàm vt intelligatur, san-
 ctissimos illos viros in perfectioris vitæ stadio
 ad finem vsque vitæ exercitatos, & Deo ap-
 probatos, tanquàm duces & magistros alijs
 propositos esse. non quòd in illis ducibus spem
 salutis ponant eorū discipuli, sed quòd formam
 & exemplar vitæ eorum perpetuò in conspectu
 habere se profiteantur. Neque (quòd mendax
 homo calumniatur) successioni perpetuæ & le-
 gitimæ sacerdotum ac pontificum adhærentes,
 contra expressum verbū Dei aliquid recipimus:
 verum

verū regente & gubernante suā ecclesiā Christi
 spiritu, in ea successione doctrinæ veritatē nun-
 quā defuturā, suprā satis copiosè demonstrauimus.

Post cauillationes de vera & certa nota veræ
 Christi ecclesiæ, pergit Illyricus ad alia quæ-
 dam, eodem capite scripta, arrodenda.

Primum igitur dicit me scripsisse, quòd ecclesia
 habeat potestatem leges ferendi, quibus sub pœna peccati
 mortalis & gehennæ teneantur obedire omnes Chri-
 stiani. quòd verum non est. Scripseram ita: De-
 nique habet ecclesia potestatem leges præscri-
 bēdi, quæ ad ædificationē ecclesiæ, & charitatis
 lucrum conducunt (vt ait Bernardus) quibus
 fideles subditi obedientiā præstare propter con-
 scientiam astringuntur. Ad fingit mendax: sub
 pœna peccati mortalis & gehennæ: vt odiosas
 faciat ecclesiæ leges, tanquàm omnes sine delectu
 sub pœna peccati mortalis & gehennæ astrin-
 gerent subditos.

Porro rationes, quas ex scripturis college-
 ram, ad comprobendam eam ecclesiæ potesta-
 tem, confutare iam aggreditur.

Prima probatio fuit: Ea quæ constituerat
 Paulus in ecclesia Corinthiorum ad ordinem
 seruandum, audet dicere, domini mandata esse,
 ne quis ea tanquàm ab homine præscripta au-
 deret vel negligere, vel contemnere.

Obijcit Illyricus: ea quæ constituerat Paulus,
 non fuisse aliquas traditiones à Paulo excogitatas:
 Sed primum vt notis linguis doceant, & canant in
 ecclesia: deinde vt certo ordine, ac sine confusione,

Kk ij quo

*Defensio
 rationū,
 quibus
 statuitur
 potestas
 leges fe-
 rendi.
 1. Cor. 14.
 Cauilla-
 tio.*

quo omnes erudiantur & ædificentur, & scandala vitentur. Et sanè illa fuerunt mandata Christi, vt rectè ac vtiliter doceant ecclesias, & omnia scandala vitent. Quomodo enim potest quis ignota lingua doceri aut edificari? Quæ domini præcepta nefariè pontifex cum suis negligit, dum tum peregrinas linguas, tum etiam teterimam confusionem boatum, campanarum, & musicorum organorum, adhac infinitarum caremoniarum, rituum & actionum inuexit.

Dilutio. Respondeo: Christi quidem mandata esse, vt rectè & vtiliter Apostoli docerent ecclesias, & scandala vitarent. Sed quod ordine certo aliquo præscripto, cum alijs quoque modis idem fieri posset, ecclesiæ docerentur, & gubernarentur, id certè Christi mandatum non erat. Similiter quòd scandala infirmorum vitentur, iuris est diuini, & diuinum mandatum: sed quod hac certa ratione præscripta vitentur, cum alia quoq; ratione similiter vitari possent, id certè non est domini, sed gubernatoris & præpositi prudentis mandatum. Sic quoque, exempli gratia, intelligens ecclesia esse iuris & mandati diuini, quod fideles dignos fructus pœnitentiæ pro peccatis contra Deum admissis faciant, præscribit certa tempora, certosque modos, quibus id fiat: nempe tempus Quadragesimæ, adhibito ieiunio.

1. Cor. 14. Porro quod cauillatur Illyricus de peregrinis & ignotis linguis, per pontifices contra Pauli doctrinam inuectis in ecclesiam, Pauli ipsa sententia diligenter inspecta confutat. Significat enim

enim Paulus, in ecclesia Corinthiaca fuisse quosdam, qui dono linguarum præditi, in cœtum ecclesiasticum, qui conuenerat exhortationis & ædificationis gratia, ambitiosè venirent, & cœtui ecclesiastico congregato, ignotarum linguarum & peregrinarum gratia & dono se ostentaret: vel mytheria non intellecta loquentes, vel etiam Deum benedicentes, & gratias agentes. Atque hoc palam Paulus improbat, nisi adesset propheta, hoc est, interpres tam mytheriorum illorum, quàm gratiarum actionis aut benedictionis. sicut palam indicat, cum dicit: Si conueniat ecclesia vniuersa in vnum, & omnes linguis loquantur (nulla scilicet adhibita per prophetam interpretatione) nonne dicent, quod insanitis? Non igitur ordinat aut præscribit Paulus, quod semper in publicis ecclesiæ precibus, præsertim in quibus sacerdos, populi fidelis interpres cū Deo agit, preces populi Deo commendans, lingua adhibeatur populo nota: quin cõstat ex Lyturgijs Basilij & Chrysoptomi, quod cum lingua etiã populo nota mytheria diuina peragerentur, multæ preces fierent in silentio, populo orante, & quid ageret sacerdos ignorante: Paulus igitur agit de ijs quæ in cõuentu publico populi aguntur cum populo, ad exhortationem & ædificationem: non autem de ijs quæ pro salute populi aguntur cum Deo per antistites, populi apud Deum aduocatos. Quæ verò in ijs etiam mytherijs, quæ pro populi salute per antistites & aduocatos populi aguntur,

tur, ad ædificationem seu exhortationem pertinent, secundum Pauli ordinationem, per interpretes populo exponuntur: atque etiam quæ ad gratiarum actionem, quæ sit lingua populo ignota, pertinent, populo fideli non sunt penitus ignota. sicut ignotum erat, quid ambitiosi illi Corinthij vel in gratiarum actione, vel in mysteriorum prolocutione agerent. Sed adversus has Illyrici calumniatoris cauillationes, extant erudita Catholicorum scripta prolixiora. Porro quid de pia psalmodia iam olim scripserit Basilius, cognoscere licet ex epistola eius 63. ad clericos ecclesie Neocæsariensæ.

2. Probatio.
1. Tim. 3.
Cauillationio.

Secunda probatio fuit, quod Apostolus præcepit Timotheo, ne ordinaret neophytum & bigamum. de quorum neutro Domini extat mandatum. Respondet Illyricus, de posteriore falsissimum esse: cum tamen scripserit discretis verbis Paulus, non alium constituendum aut ordinandum episcopum, quam qui sit unius uxoris vir. hoc est, qui non sit digamus, hoc est, secundæ uxoris maritus. ut habent Ambrosij, Chrysostomi, & aliorum veterum commentariorum. Sed meditatur Illyricus fortasse aliquem novum commentarium, quem nondum voluit patefacere. De priore, inquit, verum est quod etiam monet, non tamen sub poena peccati mortalis. Nam & ipse iuvenes constituit episcopos, tum Timotheum, tum Titum.

Ambrosius in epistola ad Vercellenses.

Respondeo, fraudulenter Illyricum neophytum (qua voce usus est Paulus) interpretari iuvenem: cum manifestè significet nuper natum aut plantatum, siue recens Christo insitum per baptis-

baptisimum. Deinde sermonem Pauli, non monitionem tantum, sed etiam ordinationem & constitutionem continere, quam temerè & sine iusta causa negligere non liceret, Ambrosius ipse, qui neophytus ordinatus est, diligenter exponit in epistola ad Vercellensem, ostendens quod leges ecclesiasticæ ex causa aliqua rectè constitutæ, causa illa cessante, sine culpa possint non observari: Vbi causa, inquit, non hæret, vitium non imputatur. Neque nos sane diximus leges quælibet ab ecclesia ritè constitutas, nunquam pro re nata posse non observari sine peccari reatu non solum mortalis, sed etiam venialis. Habemus igitur hic clarissimam Pauli constitutionem, quæ à Domino mandata non reperitur.

Ambrosius in epistola ad Vercellenses. 10. epistolæ

Tertia probatio erat ex decreto apostolorum, quo constituerunt, ut gentiles conversi abstinerent ab escis, quæ erant simulachris siue idolis immolatæ, & suffocato & sanguine, & fornicatione.

Respondet Illyricus, scandali causa ordinasse Apostolos ad tempus abstinentiam ab illis rebus, at non adscripsisse in fine bullæ suæ illud: Si quis contrario ausu contra venire ausus fuerit, incurret in indignationem beatorum Apostolorum Petri & Pauli, &c.

Cauillationio.

Respondemus apostolos non ad solam scandalivitationem respexisse, sed etiam ad conciliationem & benevolentiam mutuam duorum populorum, alioquin inter se dissimilimorum, procurandam: & proinde quædam ordinasse & statuisse, quæ ad mutuam conciliationem conducibilia viderentur, quæ tamen per se ipsa omnino necessaria ex diuino præcepto

Dilutio.

non essent. Non enim apud Gentiles iam firmiores in fide, necessaria prorsus erat abstinentia à cibis, qui immolati erant idolis, neque apud Iudæos cordatiores abstinentia à suffocato: & tamen quia generaliter in illis erat aliquid offensionis, generalis ædita est ab Apostolis constitutio de abstinentia ab escis idolis immolatis, & ab suffocato & sanguine. In quo liquidò apparet potestas ferendi leges, ad ædificationem charitatis.

Act. 15.

Rom. 3.

Postrema probatio fuit: Quia ratio illa, qua ad Romanos scribens Paulus probat secularem potestatem habere auctoritatem leges ferendi, idem de ecclesiastica potestate conuincit, scilicet quia Dei ordinationi utrobique aut pareretur aut resistitur.

Cailla
tio.

Exclamat Illyricus. *O nefariam audaciam. Ipsemet filius Dei non sumpsit sibi ius faciendi aut dicendi quicquam in Ecclesia, nisi id quod pater sibi expresse mandauerat: & isti miseri, mendaces, peccatores tantam rem sibi arrogare non verentur. Magistratui est permessa potestas mandandi & ordinandi in rebus terrenis pro conditione rerum, temporum, ac locorum. At ministris Christi dictum est: Ite, & prædicate quæ docui vos.*

1. Petri 2.

Respondeo, Sicut de potestate seculari difertè scriptum est: Subiecti igitur estote omni humane creaturæ propter dominum, siue regi præcellenti, siue ducibus tanquam ab eo missis, ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum. item: Omnis anima sublimioribus potesta-

testatibus subdita sit. Ita de ecclesiastica quoque potestate æquè expresse scriptum est: Obedite præpositis vestris, & subiacete eis. ipsi enim peruiigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes. Sicut autem quod de obedientia potestatis præcellentibus & secularibus præstāda scriptū est, intelligitur non de mandatis Dei, sed de mandatis, quæ ipsi pro cōditione rerum, temporum ac locorū statuūt: ita quod de obedientia præpositis ecclesiasticis præstāda scriptū est, non de mandatis tantum Dei, quæ ipsi subditis suis annunciant, sed de mandatis quoque, quæ ipsi ad ædificationem & salutem subditorum, pro ratione personarum, & temporum ac locorum constituūt, intelligendum est. Alioqui sane obedientiam non præpositis præstādam, sed Deo, ac diuinis mādatis, spiritus sanctus per apostolū mandasset, cum Dei auctoritas, quàm præpositorum Dei voluntatem ac mandatum annunciantium, prædicantium, & docentium, plus momenti ad exhortationē habeat. Vanissimum igitur est, quod nefarius exclamator vociferatur: Ipsum filiū Dei non sibi sumpsisse auctoritatē aliquid statuendi in ecclesia, nisi quod pater sibi expresse mandauerat. Constat enim eum ad hoc missum à patre, ut apostolos constitueret, rectores ecclesiarum. quarum sanè gubernatio non minus pro conditione personarum & temporum ac rerum enatarum, sæpè salutaribus legibus opus habet, quàm administratio

Rom. 13.

Hebr. 13.

1. Cor. 11.
Aug. epist.
118. ad Ianu-
narium.

politica. Quod verissimum esse, ipse Paulus perspicue testatus est, dū ad Corinthios, apud quos multa cōstituerat quæ à domino Christo cōstituta nō erāt, scribit: Cetera cū venero, disponam. Et grauitè ac verè scripsit August. Quædā non mandasse Christum, sed apostolis, per quos ecclesias dispositurus erat, hoc officij seruasse: ac multa esse ab Apostolis tradita & constituta, aut à plenarijs concilijs, quorum est in ecclesia saluberrima authoritas, pro fidelis populi ædificatione, & commoda gubernatione, quibus nemo nisi insolentissimæ insanix contradicere aut contrauenire audeat. Quæ cū non sint expressè à Christo mandata, an non est perspicuū, à Christo Apostolis, cū instituerentur pastores & gubernatores ecclesiarum, datam esse potestatem, ea quæ ad salutarem gubernationem subditorum fidelium pertinerent, constituendi & præscribendi? Quæ cū ita sint, verissimè & rectissimè à me scriptum est, eam rationem, qua probat Paulus magistratus secularis legibus vtilibus parendum, conuincere, legibus quoque ecclesiasticis salutaribus parendum esse. Quod verò calumniator iacitat à Christo dictum esse: Ite, prædicare, & docete quæcunque mandauim, vel præcipi vobis: aduertere debebat non additam esse notā exclusiuam, qua significaret nihil aliud ab illis constituendum & ordinandū, quā quod illis expressè mandauerat aut præceperat. Satis repressam arbitror nefarij hominis arrogantem exclamationem, quin & veteris ecclesie cen-

centura, hæreseos quoque condemnatum se esse perspicit: quæ olim Aeriū ob hoc hæreseos notauit, quod præscripta & statuta ieiunia ac preces, prætextu libertatis euāgelicæ improbabat. sicut in Confutatione annotaueram.

Scripseram, supremum iudicium in ecclesia, esse non penes quamlibet particularem ecclesiam, sed penes cathedram & tribunal summi pastoris cum sacerdotibus à Christo in ecclesia institutum, sicut olim in synagoga summum iudicium fuit penes tribunal & cathedram, cui præfidebat summus pontifex cum sacerdotibus ac Leuitis: idque sanctorum patrum testimonijs probaueram, Irenei, Cypriani, Leonis, Bernardi.

Obijcit Illyricus. *At Christus, inquit, contra vult, in vnoquoque loco suos casus & controuersias dici eius loci ecclesie, dum ait: Vbiunque (non tantum Romæ) fuerint duo aut tres in meo nomine congregati, ibi in medio eorum sum ego. Et de quocunque verbo inter se conuenerint, erit ratum in celo.*

Respondeo Christi verba nō sic habere vt ab Illyrico citantur. Deinde ex verbis illis Christi haudquaquā posse colligi, apud vnamquāq; ecclesiam esse supremū iudicium casuum & controuersiarū omniū, quas in ea exoriri contingeret: sed hoc tantum affirmare Christum: Si frater de peccato aliquo semel & iterū correptus & admonitus, ac tandem ab ipsa quoq; ecclesia correptus non emendaretur, nec resipisceret, eū ab ecclesia præcidendū & abijciendū, hoc est, excō-

Sententia Illyrici hæreseos iam olim notata. August. de hæresibus hæresi 33.

Cauillatio.

Matth. 18.

Dilutio.

muni-

municandum, tanquã ethnicum & publicanũ. Et ne leuis & contẽnenda putaretur ea sentẽtia, & alligatio ecclesie, pronunciat Christus: Quod quẽcũq; alligata essent ab ecclesia, vel ab ecclesie p̄positis in terra, ea alligata forẽt & in cœlo. Ex quo sanẽ non potest colligi, penes ecclesiam quamlibet esse sup̄remã potestatem, & sup̄remũ iudiciũ in qualibet exorta controuersia. Quod verò Christus subiecit: Iterum dico vobis: quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcunque petierint, fiet illis à patre meo qui in cœlis est. vbi enim sunt duo vel tres cõgregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum: non eò pertinet, vt non solum ecclesia tota, sed etiam duo tantum vel tres inter se consentientes, possint de quacunque controuersia exorta iudicare, & sententiã ferre, quod opinor nec Illyricũ ipsum affirmaturum, qui nõ ignorat, beatũ martyrem Cyprianũ nec cum 80. quidẽ episcopis inter se consentiẽtibus, & vti confidebant, in nomine Christi cõgregatis, potuisse de rebaptizandis hominibus ratam sententiã pronunciare: Sed hoc docet Christus, quicquid contra peccantẽ fratrem & contumacem ecclesia quẽlibet concorditer in terra constituerit, vel alligãdo, vel soluẽdo, id haudquam contemnendum esse, sed ratum fore & in cœlo. Imo tantam esse vim & virtutem cõmunis consensus & concordie, vt si vel duo inter se consentientes, in nomine Christi conueniant, & petant quæ ad Christi gloriam & honorem

norem pertinent, id eos impetraturos à patre cœlesti. Sed sane diligẽter obseruandũ est, quod duo illi aut tres in Christi nomine conueniant, & petant: quod non faciunt ij, qui vel à Christi ecclesia se separant, vel ea petũt à patre cœlesti, quæ ab ecclesia à patre cœlesti iam edocta, siue per scripturas, siue per Apostolicas traditiones damnata sunt & reiecta. Vnaquæq; igitur ecclesia particularis suũ quoddam iudicium habet, sed à quo ad superiorem iudicem, si iustam causam in quibusdam controuersis subesse contingat, prouocatio fieri possit: ac vnaquæq; quoq; prouincia suum tribunal. Sed sup̄remum sanẽ in ecclesia iudicium, à quo prouocari non possit, nec penes quoslibet particulãres ecclesias, nec etiam penes quamlibet prouinciam est: sed penes cathedram generalem à Christo institutam, quæ est cathedra Petri, & successorum eius legitimorum. Scribit quidem Augustinus, plurimas hæreses, vbi extiterũt, illic improbatas ac damnatas esse, atq; inde per cæteras terras vt deuitarentur innotuisse, & patefactas esse: sed idem quoq; scribit, Africanos episcopos, postquã de canone Nicẽni concilij, cõstituentem, vt episcopis in cõcilio prouinciali grauatim liceret ad sedem apostolicã, hoc est, ad cathedrã Romanã prouocare, edocti essent, suas sententias, atq; adeo etiã sua cõcilia ac synodos Romano episcopo reuenter obtulisse approbãda. Sicut cõstat ex epistolis Carthaginẽsis cõcilij ad Innocentiũ Pontificẽ, & Innocẽtij ad ipsos Carthag. episcopos.

Aug. li. 4.
ad Bonifa
ciũ, cap. 12

Extant apud Aug.
epist. 90.
91. 92. 93.
94. 95. 96
Vide le-
stor Cyp.
tract. 3. de
vni. eccle.
tractatẽm
hæc verba
Christi,

DE

DE SACRAMENTIS.

CAPVT XI.



IN capite de Sacramentis in genere, primū quod ad eorum efficaciam attinet, scripsērā, requiri fidem, sed tamē nō illi soli effectū gratiæ tribuendum esse, sed multo magis ipsi efficacix signorū à Christo ad operationem gratiæ institutorum. Contrā cauillatur Illyricus, *Deo, efficaciam operandi gratiam per verbum & signa sua, tribuendam esse, non ipsis mortuis elementis per se. quam tamen efficaciam vult Deus vt fide accipiamus, quæ sola est nostra mendica manus.*

De sacramentorum efficaciam in genere

Respondemus, Nos omnem efficaciam operandi in sacramentis Christo, nec mortuis elementis per se, aliquid efficacix tribuere: sed tantum, quatenus Deus constituit signis certis à se institutis vt, ad operandam gratiam, secundum scripturarum sermonē. Ioannis 3. ad Ephesios 5. ad Titum 3. Dicimus quoq; Christū per signa à se instituta nō operari gratiæ effectum, nisi in iis qui fidem habent, qua & de sacramenti efficaciam rectē sentiant, & effectum gratiæ obtinere per ea suppliciter postulent. Verū operandi efficaciam negamus signa Christi accipere à fide, sed dicimus signis institutis ab ipso Christo institutore inesse, eo quod constituit, in iis qui fidē habent, per ea gratiæ effectum operari. Inter verbum

bum autem quo proponitur Christi promissio credentibus & suscipientibus sacramentum, & inter sacramentum, quorum tamen vtrumque sine fide profus inane est, multū interesse docemus. Quod verbum omnē fructum suum & utilitatem habet à fide, sacramētum autem præter concurrētem fidem, habet propriam institutionem Christi ad sanctificandum, & operandum gratiæ effectum. Fides igitur in sacramentorum susceptione non aliter effectū sacramenti & gratiæ operatur, quàm quia hominē de sacramento, sacramentiq; efficaciam rectē instituit, & docet effectū gratiæ postulandum & quærendum per sacramentum.

Porro de numero sacramentorum dicit: Patres quidē improprie loquentes, interdū quæuis mysteria vocare sacramenta. Verū sacramenta proprie dicta, vtpote quæ sint signa, habētia adiunctam gratiam aut remissionem peccatorum, tantum duo esse, baptismū & eucharistiam. idq; dicit D. Augustinum expresse testari, libro 3. de doctrina Christiana.

De numero sacramentorum.

Verū quantum ad Augustini sententiam cam attinet, abundē in Confutatione ostendimus in eo quidem loco duo eum sacramenta tantum enunciaffe, sed exempli gratia: verum alibi alia addidisse. Ostendimus quoque in ipsa Confutatione: Septem illa quæ Ecclesia agnoscit & enumerat sacramenta, esse non improprie tantum sacramenta, hoc est, mysteria quædam: sed esse signa, quibus ex Christi insti-

Vide Confutationē

instituzione adiuncta est gratia, & remissio peccatorum.

Confirmationem institutam esse à Christo, & ab apostolis vsurpatam probaueramus secundū patrum sententias ex capite in Actis 8. & 19. Cauillatur vero Illyricus contra patrum constantem doctrinam, *nullum ibi esse mandatum Dei, nec etiam alibi de hoc sacramento.*

Verum Illyrice, Augustino quàm tibi fidem potius adhibendam Catholici putamus, quem adduxi in Confutatione expressè dicentem: Sacramentum chrismatis in genere visibilem signaculorum sacrosanctum esse, sicut baptismū.

*Cauillas
tio.*

*Lib. 2. cō-
tra epist.
Pecilia. in
ca. 10 4. &
lib. 3. cōt.
Donati-
stas.*

*Gene. 2.
Match. 19*

*Auguf. de
bono con-
iugali, ca.
8. 15. 18. 24*

Cauillatur quoque de ordinatione, *quod nullam habet promissionem remissionis peccatorum*, quasi vero gratiæ effectus, quem per sacramenta operatur Deus, in sola remissione peccatorū positus sit. At in confutatione, & scripturis, & Augustini Catholici scriptoris doctrina, cauillationem hanc satis confutatam arbitror.

Rixatur quoque de coniugio. *Coniugium rem esse profus politicam.* At si profus politica res est, erit igitur eius coniunctio & vinculum in potestate humanarum voluntatum, ac sicut cæteri politici contractus ex communi contrahentiū consensu dissolui poterit, contra expressam vocem Christi: Quod Deus coniunxit, homo non separet. Habet igitur coniugium diuini quiddā, præter reliquos contractus, politicos & ciuiles.

Deinde respondet disertè ad cauillationem Illyrici Augustinus: Nuptias in ciuitate Dei non
firi

firi in monte sancto eius quoddam magnæ rei gerere. Non est igitur cōiugium in Dei ecclesia tantum politicus contractus, sed etiam sacramentum quoddā mysticè illius & diuinæ coniunctionis Christi & ecclesiæ, vt habet Paulus. Neque rationem sacramenti in coniugio colligimus, vt cauillatur aduersarius, ex voce sacramentum, quod scimus apud Paulum esse mysterium, ac designare illam spiritualem coniunctionem Christi cum ecclesia, non carnalem masculi & fœminæ. Sed rationē veri sacramenti ex eo manifestè colligimus, quod Paulus insinuat coniunctionem carnalē masculi & fœminæ, esse signum coniunctionis illius spiritualis Christi cum ecclesia, idque (vt inquit Augustinus) tantum in monte sancto Dei. Coniugiū itaq; in mōte Dei ecclesia contractum, dicimus esse, (non impropria & generali ratione, qua res quælibet sacræ vocantur sacramēta) sacramentum: sed propria ratione, quippe quod dignè illud suscipiētibus gratiā conferat, qua sciant coniuges vas suū possidere in sanctificatione, nō in passione desyderij, sicut gētes quæ Deū ignorāt.

Ephes. 5.

*1. Thef. 4.
Vide de
finitionē
concilij
Tridens
tini.*

Quod autē addit Illyricus, *Nos vocare coniugiū sacramentū, & tamen vt impurū genus vitæ accusare, eo quod ordāni ministrorū Dei id prohibet ecclesia*, impudens calūnia est. cum toti orbi notū sit, quod genus hoc vitæ non dānamus, sed tanquā à Deo institutum approbamus: quod tamen iuxta doctrinam Apostoli Pauli, impedimentum præstare cōitemur, quo minus qui coniuges sunt, toti

1. Cor. 7.

Deo corpore & spiritu seruire valeant. Atque ob id ad ecclesiastica ministeria obeunda ecclesia iure non admittit, nisi eos qui sponte sua illi generi vitæ renunciant.

*Cauilla-
tio Illy-
rici.*

Sed inquit adhuc Illyricus, *Ambrosiū in libris de sacramentis, vbi ex professō hanc materiam tractat, tantum duo sacramenta numerare. Et Augustinum epistola 119. pauca esse testari. nec etiam Dionysium, Haymonem, ac Rabanum, studio eandem rem agentes, vltra tria sacramenta ponere.*

Epist. 119.

Respōdeo: Quod ad Augustinum attinet, in ipsa confutatione ostendimus, Augustinū sacramentū confirmationis, sacramentū poenitentię, sacramentū ordinationis, sacramentū matrimonij, vltra sacramentū baptismi & eucharistię cōstituerē. Quare inanis est cauillatio Illyrici, de duobus tantū sacramentis, imo ex illa epistola, quā citat Illyricus, oppositū liquido pbauimus.

Quod ad Ambrosium attinet, constat clarissimē ex libris Ambrosij de poenitentia, quod vltra duo illa sacramenta, de quibus tractat in libris de sacramentis, agnouerit & sacramētum poenitentię. item in commētarijs in epistolam ad Timotheū: item ad Titum, quod agnouerit sacramētum ordinationis. Non igitur fuit ei institutū in illis libris generaliter de omnibus sacramentis scribere, sed tantum diuina mysteria duorum sacramentorum baptismi & eucharistię diligenter explicare.

Quod denique ad Dionysium Arcopagitam attinet, quem dicit matrimonium inter sacramenta,

menta, de quibus differit, non recensere, vel ipsa inscriptio libri beatissimi patris eius cauillationem satis confutat. Significat enim palam ipsa Hierarchiæ inscriptio, Dionysium ex instituto differere de sacris officijs, functionibus & actionibus principum siue sacerdotum ecclesię: quæ tum in baptismo, tum in sacra synaxi, tum in ordinū sacrorum collatione, tum in sacri olei consecratione, tū deniq; in monastica consummatione, atq; in quiescētibus, per sacros pontifices fieri consueuerunt. quarū actionū sacrarum significationes mysticas & diuinas diligenter & prolixè explicat. Cū itaq; in matrimonij etiā ecclesiastici & euāgelici cōiunctione nullæ mysticæ & sacre actiones per pontifices adhibeantur, nihil de sacramento matrimonij dicendum erat sacro Dionysio. sicut & de poenitentię sacramento ob eandē causam tacuisse conspicitur.

Quod autem obiter hic contra panis conuersionem in corpus Christi commemorat, de permanentia panis in sacramento copiosè scripsisse Ireneū & Theodoretū: sed alios tractasse eorum sentētias copiosius, apud quos eas liceat videre: Ego vicissim illi respōdeo, Irenei & Theodreti sententias illas studiosè & copiosè Catholicos aduersus vestras calumnias defendisse. ex quorum scriptis veram sententiarum illarum intelligentiam & explicationem petere liceat.

Caput XII. & XIII.

QVÆ in capite 12. quæ de cæremonijs, quæ
Ll ij iam

inde ab ipso ecclesie exordio in sacri baptismatis administratione adhiberi consueverunt, dicenda erant, reiecta sunt in caput de ceremonijs.

Quæ verò in cap. 13. de Infantum baptismo dicta sunt à nobis : quod infantum baptismus magis ex apostolica traditione, quàm ex manifestis & solidis scripturis in ecclesia obseruetur & approbetur: non potuit improbare Illyricus.

DE SACRAMENTO

G O E N A E.

C A P V T X I I I I.



IN hoc capite quatuor errores Confessionis notaueram, & confutaueram. Primus erat, quod in hoc sacramento maneat post consecrationem substantia panis & vini, realiter & verè cum corpore & sanguine Christi, similiter realiter verè, & substantialiter presentibus : quodq; commentitia sit conuersio panis & vini in corpus & sanguinem Christi. quam conuersionem, quia est substantiæ panis & vini in substantiam corporis & sanguinis Christi, transsubstantiationem siue transmutationem patres vocauerunt.

Defensio Hunc errorem confutaueram tum ex proprietate sermonis Christi : Hoc est corpus meum: *confutatio* tum ex testimonijs Augustini, Ambrosij, Damasceni, Gregorij, Emysseni, Theophylacti, qui *tionis primi erroris.* hanc conuersionem disertis verbis in verbis Christi

Christi contineri tradunt: tum denique ex condemnatione Berægarij hæretici, & autoritate multorum œcumenicorum conciliorum. quæ omnia in Cõfutatione lector perspicere potest, vnde superuacaneum fuerit hic repetere.

At iam audiamus, quas cauillationes contra manifestam veritatem hostis ecclesie obijciat.

Cauillatio Illyrici contra transsubstantiationem.
Nullo modo, inquit, illa locutio: Hoc est corpus meum: abolitionem panis efficit. Sicut si quis monstrato homine Iesu diceret, hoc est verbum æternum: non significaret, hominem esse transmutatum in Deum. Aut si cum euangelista dicit: verbum caro factum est: non affirmaret certè verbi esse mutatum in carnem, & planè annihilatum. Sicut si quis monstrata columba diceret: hoc est spiritus sanctus: non affirmaret ibi, creatam speciem columbæ esse transsubstantiatam in spiritum sanctum.

Respondemus absurdissimam esse hanc Illyrici cauillationem. Sermo iste, demonstrato homine Iesu, hoc est verbum æternum: non significat hominem esse mutatum in Deum. Igitur hic domini sermo: hoc est corpus meum: non significat panis mutationem in corpus Christi, sed tantum sacramentalem vnionem. Quia vnio duarum naturarum, scilicet diuinæ & humanæ in vnâ personam & hypostasin, facta in mysterio incarnationis, efficit, vt de vna eademque persona, vtraque natura in vocabulo concreto, hoc est, significante personam habentem naturam, possit verè dici. Verissimè enim dicitur, quod vna & eadem persona est verbum æternum, siue Deus, seu filius

Ll iij Dei

Dei, & homo. In ratione vero sacramenti constat non esse factam huiusmodi vnionem naturarum diuersarum, humanæ & panis simul cum diuinitate in vnâ aliquam personam, vt possit dici vna & eadem persona. nempe filius Dei æternus, esse Deus, homo, & panis. Quæ vnio etiam si facta esset (quam fides Catholica prorsus execratur) ne sic quidem vera esset locutio: panis est corpus Christi. sicut verum non est, persona quæ est Christus, est corpus Christi: sicut nec verum est, verbum Dei æternum, est corpus Christi. Ineptissima igitur & absurdissima est Illyrici commentitia collectio. Quod verò adfert de columba monstrata, si diceretur: hoc est spiritus sanctus: non posse colligi, quod creata species colubæ esset transubstantiata in spiritum sanctum, verè confirmat Caluini sententiam contra Lutherum, in hac quidem parte. Sicut enim impossibile est sermonem esse propriè verum: hoc, videlicet demonstrando columbam, est spiritus sanctus: ita impossibile est, demonstrato pane, hoc est corpus Christi, sermonem esse propriè verum. Sed eam sententiam, hoc est spiritus sanctus, non extare in scripturis, manifestissimum est. Stat igitur solida & immota Catholicæ ecclesiæ sententia, veram esse locutionem illam Christi: Hoc, quod iam post benedictionem in manibus teneo, non est iam panis, sed est corpus meum, virtute scilicet benedictionis meæ, quæ conuertit substantiam panis in corpus.

Quod

Quod autem adducit impius iste calumniator, Paulum perspicuè testari, 1. Cor. 10. & 11. manere panem: falsissimum est. Appellat quidem Paulus cibum eucharisticum, panem, sed non panem materiale aut pistorium, sed eximium quendam panem, vtens græco articulo, vt pote panem cœlestem. Sicut tractauerunt catholici scriptores copiose, quos Christianus lector videre potest. Nam prolixiorum & iustum de ea re tractatum præsens institutum non permittit.

Secundus error erat: Esse mandatum Christi, de communione sub vtraque specie.

Aduertius perspicuas & solidas confutationes huius erroris audiamus quid cauilletur Illyricus.

Audet, inquit, negare esse mandatū Christi de communione sub vtraque specie, cum expressissimè Christus præcipiat, dicens: Bibite ex eo omnes. item: Hoc facite. Sed ille dicit, posse ea verba adhortatiuè accipi. Sed nequaquam possunt ea mandata adhortatiuè accipi. Nec Christus ex mandato viuientis patris, ita verbum & sacramenta instituit, vt liberum hominibus reliquerit seruandi ac faciendi ea, vel non faciendi.

Scripteram bone calumniator, verba Christi: Bibite ex eo omnes: sicut testatur apertissimè Marcus, ad præsentem tantum apostolos pertinere. Scribit enim Marcus, factum esse quod volebat Dominus, dicens: Et biberunt ex eo omnes. deinde addideram: Si quis contentiosus prorsus contenderet, ea verba ad alios

Ll iij quoq;

*Defensio
confutationis
sententia
cundi
erroris.*

*1. Cauill.
Illyrici.*

Dilutio.

Marci 14.

August.
epist. 118.

quoque fideles absentes pertinere, posse habere significationem non mandantis aut præcipientis, sed inuitantis, vt ab omnibus sanguis quoque biberetur, donec ita ad reuerentiam sacramenti congruere præpositi ecclesiarum, quibus ea cura & dispensatio à Christo secundum Augustinum concredita est, iudicarent. Scripseram quoque, verbum Christi: hoc facite: cum ad calicem à Paulo accommodatum est, restrictum ab eo esse per particulam: quotiescunque bibetis: cum ad panem relatum generaliter sine astrictione positum sit. Nusquam autem scripsi: hoc facite, esse inuitantis tantum, & non præcipientis. Semper enim & sensi & scripsi, per ea verba mandatum esse, vt vsque ad aduentum Domini hoc quod Christus fecit, fieret in Ecclesia.

Aduersus hæc tu obijcis: *Non posse ea mandata Christi adhortatiue accipi.* At tu Illyrice nondum probasti mandata esse, & non adhortationes. Nam friuolum est quod subijcis, Christum ex mandato viuientis patris non ita verbum & sacramenta instituisse, vt liberum relinqueret hominibus ea facere vel non facere (sacramentum enim Eucharistiæ nemo negat sub duobus symbolis panis & vini institutum esse, & consecratum à Christo: atque ad eum modum in ecclesia Christi vsque ad eius aduentum exercendum & consecrandum) sed præceptum esse à Christo, vt semper sub utroque symbolo omnibus dispensaretur & communicaretur

tur vsque ad Christi aduentum. Id probare debebas, quod te nunquam facturum certissimò scimus.

Sed audi Christiane frater impudentissimum mendacium scelerati hominis, *Etiam Concilium Constantiense, inquit, expressè confitetur, Christum instituisse, vt communio fieret sub vtraque specie, quod quid est aliud, quam mandasse ita fieri? Certè quod Christus instituit, id fieri mandauit, ac seruo voluit.*

Cum toti orbi notissimum sit, Concilium Constantiense ex professo docere, mandatum à Christo non esse, vt communio fiat populi sub vtraque specie: audet tamen perfricta fronte impudens homo hæc scribere. Atque vt palpabile eius mendacium cernat lector, adscribam verba Concilij: Cum in nonnullis mundi partibus, inquit, quidam temerariè asserere præsumant, populum Christianum debere sacramentum Eucharistiæ sub vtraque panis & vini specie suscipere: & non solum sub specie panis, sed etiam sub specie vini, populum laicum passim communicent, & post cœnam, vel aliàs non ieiuni, & communicandum esse pertinaciter asserant, contra laudabilem ecclesiæ consuetudinem rationabiliter approbatam: Hinc est, quod hoc generale concilium declarat, decernit & definit contra hunc errorem: quod licet Christus post cœnam instituerit, & suis discipulis ministrauerit sub vtraque specie panis & vini hoc venerabile Sacramentum: tamen hoc non obstante, sacrorum canonum au-

Impuden
tiss. men
daciū
Illyrici.Concilij
Constantiense
sess. 13.

thoritas & approbata consuetudo ecclesiae ser-
uauit & seruat, quod huiusmodi sacramentum
nec conficiatur post cœnam, nec sumatur à non
ieiunis, nisi in casu infirmitatis, vel alterius ne-
cessitatis à iure vel ecclesia concessa & admissa.
Et similiter quod licet in primitiua ecclesia hoc
sacramentum reciperetur à fidelibus sub vtraq;
specie, tamen hæc consuetudo ad euitandum
aliqua pericula & scandala, est rationabiliter
introducenda, quod à conscientibus sub vtraque
specie, & à laicis tantummodo sub specie panis
suscipiatur: cum firmissimè credendum sit, &
nullatenus dubitandum, integrum Christi cor-
pus & sanguinè tam sub specie panis, quàm sub
specie vini veraciter contineri.

Vbi hic quæso Illyrice confitetur Conci-
lium (vt audes dicere expresse) Christum in-
stituisse, vt communio fieret sub vtraque specie?
Dicit quidem Concilium, Christum post cœ-
nam instituisse hoc sacramentum, & etiam post
cœnam suis discipulis sub vtraque specie admi-
nistrasse, de quorum vtroque nulla quæstio est.
Sed non hoc est dicere, Christum hoc instituisse,
hoc est, mandasse & præcepisse, vt commu-
nio fieret sub vtraque specie. Et verbis Augusti-
ni tibi dico: Si Christus hoc instituisset, vt vel
post cœnam, vel sub vtraque tantum specie cõ-
municaretur, nemo vnquam eam institutionem
mutare ausus fuisset. Sed tibi nihil pensi est quid
scribas aut mentiaris, modò possis imperito le-
ctori fumos istos offundere.

Hic

Hic tamen animaduertendum est, quod si-
cut consecratio vtriusque speciei est ex institu-
tione Christi, siue à Christo instituta: ita sum-
ptio vtriusque speciei est à Christo quidem in-
stituta, & quando in ecclesia obseruabatur, ex
Christi institutione, & secundum Christi in-
stitutionem obseruabatur: at non obseruaba-
tur ex Christi mandato & præcepto, quasi à
Christo eiusmodi vsus esset præceptus & man-
datus. Constat autem Illyricum institutionem
intelligere præceptiuam, & quæ includat man-
dati necessitatem.

Addit terriò Illyricus: *Gelasium Papam disertè testari, communionem sub vna specie esse grande sacrilegium. Cur id est? nempe quia Christus aliter instituit ac præcepit.*

Respondeo, Gelasium disertè causam suæ
constitutionis adscripsisse, nempe quod qui-
dam nescio qua superstitione astricti à sangui-
ne abstinerent. De qua superstitione Leo quo-
que Pontifex suam ecclesiam admonuit. sicut
à nostris copiose traditum est. Ex superstitione
igitur, & impio errore, quo existimatur
Christus corpus sine sanguine assumpsisse, ab-
stinere à sanguinis communionem, sacrilegum
est: & à Leone, ac Gelasio Leonis, paucis
interpositis Pontificibus, successore impro-
batum.

Aliã quoq; cauillationè subiicit: *Quod si Christus, inquit, nõ præcepit, vt sub vtraq; specie commu-
nicaret ecclesia, tum sacrilega fuit tota ecclesia, quæ vltra*

Cauilla-
tio alia.Dist. a. ca.
cõperim?
de Conse-
cracione.Leo serm.
4. de qua-
drages.Cauilla-
tio inanis-
sima.

1200. annos non iussa, nempe temerè, sub vtraque specie communicarit, sine expresso filij Dei mandato, suo nimirum arbitrio, humanoque consilio tantam rem agens. Sed agnouit nimirum, inquit, sponsa Christi sponsi sui vocem & mandatū, quantumvis Antichristi ministri contrarium fingant. Quapropter diabolica audacia in istis hominibus euidentissimè apparet, quod audent expressissimum verbum Dei viuentis, & perpetuam ecclesie fidem ac consuetudinem calumniari.

Dilutio.

1. Cor. 7.

Tam futilem & inanem cauillationem non memini apud vllum vel Lutheranum vel Caluiniſtam legiſſe. Non maior enim hic est conſequentiæ probabilitas, aut ſpecies, quàm ſi quis ratiocinaretur: Virginitas non eſt à domino præcepta & mandata (vt diſertè tradit Paulus ſcribens de virginibus: præceptum Domini non habeo) igitur quiſquis non iuſſus, ſuo nimirum arbitrio, virginitatem amplectitur, male facit, vel etiam ſacrilegium committit.

Reſpondeo igitur, Chriſtum ſuo exemplo ſatis docuiſſe eccleſiam, communionem ſub vtraque ſpecie diuino ſacramento congruere, & patri cœleſti placere, atque acceptam eſſe: tamenſi non præceperit, vt perpetuò communio ſub vtraque ſpecie fieret: videlicet ob iuſtas & grauiffimas cauſas, quæ ad reuerentiam tanti ſacramenti pertinerent, alterius tantum ſpeciei uſum pro fidelium vulgo, ſpiritu ſancto ſuggerente. Quapropter diabolica eſt Illyrice tua audacia, qua aduerſus ſpiritus ſancti vocè in eccleſia per œcumenica etiã concilia ſonantem, tam

blaf-

blafphemè calumniaris. Porro quam ratione ſacrificantes ſacerdotes præ cæteris fidelibus ad communionem, idq; ſub vtraque ſpecie aſtringantur, id à catholicis copioſè & diligenter explicatum eſt. Vide de conſecrat. diſt. 2. cap. relatatum eſt, quod deſumptum eſt ex concilio Toletano 12.

Calumniatur quoque, quod cùm ſcripſiſſem, hanc quoque calumniam, nempe de neceſſario uſu vtriuſque ſpeciei ac præcepto, certiffima & euidentiffima martyris Cypriani & Ambroſii teſtimonia palam conſutare: quæ docent tempore perfecutionis, aut periculoſæ alicuius peregrinationis ſuſcipiendæ, aut tempore neceſſariæ abſentiæ à publicis cōuentibus eccleſiæ, ſolitam eſſe ſacrâ Euchariftiam à fidelibus deſerri domum aſſeruandam, & in ægritudine aut periculo ſumendam. Non fuiſſe autè tunc ſacrum quoque ſanguinè eis traditum, quem domi ſeruarent, indubitatum videtur: Cauillatur, inquam, quod non ſcripſerim, indubitatum eſt: ſed indubitatum videtur: quaſi per verbum videtur, indicaré ipſe teſtimonia Cypriani & Ambroſii nō eſſe certiffima, & euidentiffima, cōtrà quàm probaturum me dixeram. *Et ſi tibi, inquit, ita videtur, at alijs non videtur, cùm tota vetuſtas aliam conſuetudinem habuerit.*

Reſpondemus tibi bone cauillator: vocem, videtur, non ſemper dubitationis aut diuinationis notam eſſe: ſed interdum ac crebrò manifeſtæ apparentiæ & lucis ſignificationè habere.

Sed

Cauilla
tio.

Dilutio.

Sed dic quæso, an tibi non apparet certissimum & prorsus indubitatum esse, quod si quis peregrinatione maritimam suscepturus, sacram eucharistiam secum detulisset, ut sine diuino viatico in naufragio non decederet, sanguinem non itidem secum attulerit: non puto te tam impudentem, ut id negare audeas. Certissime igitur & euentissime probatum est, quod indubitato probandum susceperam. Sed de istis certissimis testimonijs copiosius scripsi in posteriore editione confutationis.

Quod scribit, *Albertum Magnum in tractatu de officio Missæ, & Reinerum nescio quem testari, quod præceperit Dominus de calice bibere, tum refellemus, cum eorum testimonia produxerit. Neque aduersus antiquissimam consuetudinem ecclesiæ, atque etiam manifestas definitiones in concilijs œcumenicis repetitas, valere possent vnus aut alterius incircumspectæ sententiæ.*

Scelerat. mendaciū. Rursus nihil pudet hominem sceleratissime mentiri. Scribit enim: *Patres concilij Tridentini euidentissimo verbo Dei ab ipsis conuictos & expugnatos, contra suum sacrilegum decretum in Concilio Tridentino, communionem sub vtraque specie concessisse.*

Sess. 22. Et quamquam volumen conciliorum in manibus est, ut tamen putidissimum mendacium clarissime cernat lector (de quo & in confutatione eum coargueram) non grauabor decretum Concilij adscribere: Insuper cum eadem sexta synodus superiori sessione duos articulos aliàs

aliàs propositos, & tum nondum discussos, videlicet, An rationes, quibus sancta catholica ecclesia adducta fuit, ut communicaret laicos, atque etiam non celebrantes sacerdotes sub vna specie, ita sint retinendæ, ut nulla ratione calicis vsus cuiquam sit permittendus. & : An si honestis, & Christianæ charitati consentaneis rationibus, concedendus alicui vel nationi vel regno calicis vsus videatur, sub aliquibus conditionibus concedendus sit, & quænam illæ sint, in aliud tempus, oblata sibi occasione examinandos atque definiendos referuauerit: nunc eorum, pro quibus petitur, saluti optimè consultum volens, decreuit integrum negotium ad sanctissimum Dominum nostrum esse referendum, prout præsentis decreto refert: qui pro sua singulari prudentia id efficiat, quod vtile reipublicæ Christianæ, & salutare petentibus vsus calicis iudicauerit.

Decretū de petitione cōcessionis calicis.

Hic quæso Illyrice, vbi vel verbum vnum de concessione calicis per Concilium facta? idque à patribus euidentissimo verbo Dei à vobis conuictis, atque expugnatis? Sane si vel paucillum aliquid probæ indolis in te esset, tam putidi & manifesti mendacij, de quo semel admonitus eras, puderet te ac poeniteret.

Postremò, dicit *me fingere quod scripseram: Plerosque Lutheranos sentire: Licere in casibus quibusdam sub vna tantum specie communicare.*

Cauillatio.

Audi Cauillator Ioannem Brentium, vnum pro

Dilutio.

pro multis, & plurimorum magistrum, in apo-
 logia Confessionis VVirtembergensis, pericope
 2. Non quæritur, inquit, num in casu necessita-
 tis, si quis exempli gratia abstemius non pos-
 set uti vino, illicitum sit, alteram tantum par-
 tem sacramenti in cœna dominica sumere. Ma-
 nifestum est enim, quod sua sit in cæremonia-
 libus, qualia sunt sacramenta, œconomia. &c.
 & post pauca interposita: Quare si quis natura
 à potu vini abhorreat, aut etiam præ morbi
 magnitudine non possit vesci pane, & utatur
 vino (quod exemplum extat apud Eusebium
 lib.6.cap.34. In quo exemplo gravissimè fallit-
 ur Brentius, quia dicit Eusebius, quod parum
 eucharistiæ porrectum est seni, sed infusum) &
 tamen interim ecclesia utatur in cœna domini
 integro sacramento, tunc exempla paucorum
 personalia generali Christi institutioni nihil de-
 rogant. Copiosius de hoc scripsi in posteriore
 æditione Confutationis. De alijs quoque casu-
 bus vide Georgij Cassandri librum de restituenda
 integra communione.

3. Error. Tertius error in Confutatione notatus erat:
 Quod ex sacramento idolum adorandum, cir-
 cumgestandum, & includendum seu reseruan-
 dum faciunt.

Cauilla- Adorationem corporis Christi in sacramen-
 tio. to enervare conatur hoc sophismate: Ille, inquit,
 per suam quandam concomitantiam ex suo cerebro a-
 struere conatur adorationem sacramenti. Quia si cor-
 pus Christi ibi est, etiam totus Christus adest, atque ita
 etiam

etiam Deus. Sed respondeo, inquit, Nos verbū Christi
 sequimur, qui dixit: Hoc est corpus meum: non, hoc
 est divinitas mea.

Hanc ineptissimam cauillationem confuta-
 vit ipse Ioannes Brétius: Confitemur, inquit,
 Christum filium Dei verum Deum, & verum
 hominem, semper & vbique, siue in cœlo, siue
 in terra, siue in eucharistia, siue extra eucharis-
 tiam, adorandum esse. In præsentia autem non
 loquimur de adoratione Christi, sed de adora-
 tione eucharistiæ, hoc est, panis, siue speciei pa-
 nis. Hic enim apertè & ingenuè profiteor, quod
 etsi Christus semper & vbique sit adorandus,
 tamè nec panis nec species sunt adoranda: Non
 est, inquit, existimandū, quod cum Deus sit ado-
 randus, idcirco omnia, in quibus est Deus, sint
 adoranda. Corpus quoq; Christi propter con-
 iunctionem & vnitatē personæ cum Deo sem-
 per est adorandum. & postea: Christus, inquit,
 filius Dei adorandus est ad panem cœnæ domi-
 nicæ, quia ibi promisit se distributurum corpus
 suum: non autem adorandus est panis ipse. Quia
 etsi ibi est corpus Christi, tamen hoc non as-
 sumpsit panem in vnitatem personæ, sicut filius
 Dei assumpsit hominem. Vides Illyrice, difer-
 tissimè à Brétio tuam cauillationē confutatam:
 Quia Christus in vnitatem personæ suæ assum-
 psit corpus, ideo corpus etiā in eucharistia ado-
 randum esse: verum panem, quem fingit ipse
 quoque tecum, ibi adesse cum corpore Christi,
 non esse adorandum, quia non est assumptus in

M m vni-

Dilutio.
 In apolo-
 gia con-
 fess. VVir-
 temberg.
 pericop. 2

vnitatem personæ Christi, sicut humana natura. Sed catholica Christi ecclesia negat ibi esse panis substantiam, & proinde in adoratione eucharistiæ, atque etiam corporis Christi, nullam fieri panis alicuius adorationem, neque etiam specierum panis remanentium: nisi quæadmodum adorato rege, dicunt Basilius & Damascenus, atque etiam Augustinus, diadema regium adorari. Quamuis igitur Christus non dixerit, hoc est diuinitas mea: in eo quod dixit: hoc est corpus meum, meæ personæ diuinæ vnitatem perspicuè insinuauit, corpus suum ibi existens, ibi quoque adorandum. sicut rectissimè contra tuam cauillationem affirmauit Brentius.

Pugna
Luthera
norū in
ter se in
uicem in
substantia
religios
nis.

Vides lector, quàm pulchrè inter se consentiant isti noui euangelij magistri, non in scripturæ alicuius obscurioris diuersa explicatione (quod aliquando inter Catholicos, salua fidei regula, contingit) sed in ipsa substantia religionis: dum alter negat corpus Christi in eucharistia adorandum, quia non dixerit Christus, hoc est diuinitas mea. alter verò aperte & ingenuè profiteretur, corpus Christi ibi adorandum.

Cauilla
tio inep
cissima.

Sed audi obsecro Christiane lector, quam ratione improbat Illyricus ipsam adorationem: Dixit etiam Christus, inquit, de eo quod iam in actu ipso erat, vt comederetur: Hoc est corpus meum. In ipso igitur usu est corpus Christi, non in adoratione idololatrarum, institutionem ipsius Christi peruertentium.

Vides hic quoque Illyricum Brentio prorsus contrarium. Contendit ergo Illyricus, Corpus Christi

Christi non esse præsens, nisi in ipsa manducatione: & proinde adorationem, quæ præcedit actum manducationis; esse idololatriam, peruertentem institutionem Christi.

At hanc sententiam manifestè cõstat falsam esse, quia non in ipso comestitionis actu facta est confectio & consecratio sacramenti: sed sacramentum iam confectum & consecratum Apostolis distribuit Christus. Sicut & verba Christi non habent: hoc erit corpus meum: quando videlicet sumetis, sed iam est corpus meum, ad quod edendum ego vos inuito, & quod vobis iam distribuo. Et magnus ille Cyrillus in epistola ad Calosyrium vocat eam sententiam, insaniam. Et ex testimonijs Iustini Martyris, Irenei Martyris, Diui Hieronymi, item Augustini, & aliorum patrum demonstrauerã, extra actionem sacramentalem, corpus & sanguinem permanere. Augustini certè expressa est sententia: Nemo carnem illam prius manducat, quàm illam adorauerit. Denique & Dionysij Areopagitæ extat clarissimum testimonium, quod sacrosancta mysteria antè conficit sacerdos, & postea in conspectum agens, ea sine signis populo ostendit, tum demum populum inuitans ad communionem. Antecedit ergo confectio sacramenti ipsam communionem, & calicis dispensatio hanc absurdissimam sententiam clarissimè euertit.

Illud quoq;, quod Dionysius Areopagita scripsit: Quod sacer pōtifex veneradissima mysteria

M m ij con-

Cyrl. in
epist. ad
Calosyriũ

Auguf. in
Plal. 98.

consummata & laudata oculis subijcit, seu in conspectū agit, in signis sanctè propositis (quod in confutatione retuleram ad reuerentem adorationem) grauiter infectatur Illyricus, tāquam splendidum mendaciū. Sed quid obsecro aliud vult insinuare, quàm venerabundam adorationem? quando in eodem capite scripsit: Pontifex cū diuina munera laude profecutus fuerit, sacrosancta & augustissima mysteria conficit: & quæ antè laudauerat, venerandis operta atque abdita signis, in conspectum agit, diuinaque munera reuerenter ostendit, ad sacram illorum communionem & ipsè conuertitur, & reliquos vt communicent hortatur. Offensio hæc antecedens exhortationem populi ad communionem, eaq; reuerenter facta, an non inuitat populum ad venerabundam adorationē & reuerentiam? Sicut & Basilius in libro de spiritu sancto, ostensionis sacramenti huius, tanquam sine scripto ab Apostolis traditæ, disertè meminit.

Postremò, *admonet obseruandum in Dionysio Areopagita, quod perpetuo vocet panem, & symbola etiam, nullam autem oblationis aut inuocationis mentionem faciat.*

At hoc splendidum mendacium est. Nam sepius vocat veneranda mysteria, sacra mysteria, & augustissima mysteria, in signis aut symbolis celebrata, item Sacramenta sanctè confecta in signis sanctis. Quando verò panem vocat, non materialē panē intelligit, sed diuinū & cœlestē, videlicet post sacrametorum sacrā confectionē.

DE

DE MISSA.

GAP. XV.



Hristiane frater, retras & horrendas blasphemias in sacrosanctum & tremendum Missæ sacrificium in hoc capite audire compelleris. At hoc persuasissimū habere debes, quod sacrosanctā illam institutionem, iustissimus, potentissimus & sapientissimus dominus nunquam passurus esset, eiusmodi execrandis & sacrilegis blasphemijs & abominationibus aspergi, nisi vsque adeo esset omnipotens & bonus, vt de tanto malo etiam benefaceret, & id quod hostis ille salutis electorum, in perniciem eorum machinatur, in adiutorium salutis eorum cōuertere posset & vellet. Sane hoc mihi non exiguum bonum videtur, quod ex ista infernali blasphemiarum intemperie, vel minimis Christi membris constare lucidissime potest, blasphemos istos ecclesiæ Christi hostes spiritu satanico agitari, eiusque cestro percitostam petulanter in Christū, Christi que sponsam grassari. Ac proinde tanquam extremas salutis fideiū pestes, esse eos summo studio deuitandos atque detestandos. Oremus filium Dei Iesum, vt cōtumaces istos & immanes hostes aut misericorditer conuertat, aut si ea misericordia per contumacē rebellionē prorsus indigni facti sunt, eos potenti virtute sua comprimat, nec diu in ecclesiā suā grassari permittat.

M m iij Pri-

Primum igitur super verba Christi : hoc facite in mei memoriam: sacrificium Missæ, dixi rectè & solidè à Catholicis extractum esse, quia verborum Christi sensus sit : hoc quod ego feci, deinceps vos meo exemplo facite, idque in mei commemorationem. Sicut igitur Christus consecrauit panem in corpus suum, & vinum in suum sanguinem, idque in oblationem & sacrificium incruentum, Deo acceptissimum: ita & ipsi panem & vinum consecrarent in oblationem nouam & incruentam, idque in recordationem Christi, hoc est, in oblationem commemoratiuam, & representatiuam oblationis in cruce peragenda.

Hic iam cauillatur Illyricus : *Vnde, inquit, hoc probas mi Tiletane ? aut quis tandem euangelista id affirmat ? Noui fortasse euangelista Iebusita id docent. quibus credendum est, quia spiritus eis iam reuelauit.*

Respondeo, mi Illyrice, nos Catholicos à Dionysio Areopagita, à Iuliano Martyre, ab Ireneo, à Cypriano, ab Augustino, ab Hieronymo, Chrylostomo, ac alijs innumeris scriptoribus ecclesiasticis duo quædam didicisse: nempe quod verba, hoc facite, eum sensum habeant, vt mandet Christus Apostolis suis, vt quod ipse fecit, id ipsi faciant : nempe vt conficiant diuina sacramenta, ac confecta populo dispensent: Non autem, vt tu contendis, ad solam communionem esse referenda. Alterum, quod consecratio panis & vini in corpus & sanguinem,

sanguinem, fuerit vera oblatio, & sacrificium corporis & sanguinis.

Ac Dionysii & Iustini sententiæ postea recitandæ erunt. Interim luce meridiana clarius est, quod vterque scribat, sacerdotem profiteri, se non temerè atque audacter ad conficienda sacramenta accedere : sed fiducia & autoritate mandati eius, dum dixit: Hoc facite in mei commemorationem. De oblatione & sacrificio, an sit ab eis asserta, nondum hic ago : sed hoc dico, euidentissimè esse, eos exponere verba, hoc facite, non de sola communionem, sed de tota actione Christi.

Irenei sunt clarissima verba: Noui testamenti Christus nouam docuit oblationem, quam ecclesia ab apostolis accipiens, in vniuerso mundo offert Deo, ei qui alimenta nobis præstat, primitias suorum munerum in nouo testamento. de quo in duodecim prophetis Malachias.

Irene⁹ aduersus hæref. Valen. li. 4. ca. 32.

Sunt & æquè clara Cypriani verba : Si Iesus Christus, dominus & noster Deus, ipse est summus sacerdos Dei patris, & sacrificium Deo patri primus ipse obtulit, & hoc fieri in sui commemorationem præcepit, vtique ille sacerdos, verè vice Christi fungitur, qui id quod Christus fecit, imitatur. Et sacrificium verè & plenè tunc offert in ecclesia Deo patri, si sic incipiat offerre, secundum quod ipsum Christum videat obtulisse.

Cypr. epist. 3. li. 2.

Augustini quoque testimonia sunt innumera. Vnicum tantum adscribā tribus verbis: Christiani, inquit, peracti iam eiusdem sacrificij memo-

Aug. cōtra Faustum li. 20. ca. 12

riam celebrant sacrosancta oblatione & participatione corporis & sanguinis Christi. Reliqua eiusdem patris, ac aliorum testimonia, quandoquidem obuia omnibus sunt & nota, adscribere non existimo necessarium.

Responso.

Igitur horum patrum Apostolica (vt Ireneus disertè dicit) doctrina edoctus mi Illyrice, dum non reperio alibi vnquam Christum consecrasse panem in corpus, & vinum in sanguinem, diuinaque sacramenta confecisse, quàm in extrema illa cum Apostolis sacrosancta cœna: nec vnquã aliàs functum esse sacerdotio secundum ordinem & ritum Melchisedech, hoc est, obtulisse patri panem & vinum in mysterio. Verissimum quoque esse, cum sit à patre constitutus sacerdos secundum ordinem Melchisedech, quod aliquando eo sacerdotio sit functus, & panem & vinum Deo obtulerit & sacrificauerit (de cauillationibus tuis de sacerdotio secundum ordinem Melchisedech mox tibi respondebimus) ad probationem adsumpsi euangelistã Lucam. Cum enim ille duplicem cœnam describat, nempe duplicem calicem, ac veteris agni Paschalis disertè mentionem faciat, qui ad veterem cœnam pertinebat, visus est mihi Christus in altera cœna noui scilicet testamenti, nouum agnum, ac noui agni oblationem, tanquam sacerdos secundum ordinem Melchisedech instituisse: quem vice eius (vt ait Cyprianus) ministri eius sacerdotes in ipsius memoriã vsq; ad eius aduentum Deo patri offerrent. Sicque perpetua perseveraret

Lucæ 22.

ret mortis Christi & beneficiorum eius memoria, non solum prædicationibus sacerdotum, inquit Dionysius, sed etiam celebrationibus sacramentorum. Atque hæc est expressa diui Hieronymi in Matthæum sententia: postquam typicum Pascha fuerat impletum, & agni carnes cum Apostolis comederat, assumit panem, qui cor hominis confirmat, & ad verum Paschæ transgreditur sacramentum: vt quomodo in præfiguratione eius, Melchisedech summi Dei sacerdos panem & vinum offerens fecerat, ipse quoque veritatem sui corporis & sanguinis representaret.

Haud ignoramus Illyrice, mundum agnū per veterem illum Paschalem figuratū, esse Christum dominum in cruce immolatum, quod nos docere studes ex sententia Pauli 1. Cor. 5. & ex euangelistæ Ioan. cap. 19. atque in ea cruenta immolatione impletam esse figuram agni Paschalis. Sed hoc nos cum Augustino sentimus. sicut esus agni veteris Paschalis præfigurauit manducationem agni noui illius in cruce immolati: ita etiam præfiguratam esse, agni in cruce cruentè oblato, nouam & perpetuam oblationem in mysterio spirituali, & mysticæ manducationi congruentem. Sic dicit Augustinus: quod sacrificij ecclesiæ vmbra fuerunt, omnia priorum genera sacrificiorum. Certe sacrificium Melchisedech huius mysticæ non solum manducationis, sed etiam immolationis & oblationis figura fuit. Ex hac collatione figuræ cum re

Aug cōtra
aduers. Ie-
gis & pro-
pher. lib. 1.
cap. 18. 19.
& 20. &
Iustinus
in dialogo

M m v signi-

cōt. Iudæ-
os idē ex-
pressissi-
me dicit.

significata ratiocinatus sum : Sicut agnus vetus non solum comesus est, sed etiam oblatus : ita agnus novus mysticus, non solum mysticē comeditur, sed etiam in mysterio, seu mysticē offertur. Figura itaque vetus tum demum plenē adimpleta est in regno Dei, quando simul immolatio mystica cum mystica manducatione instituta est, & incruenta immolatio exhibita. Hanc probationem tot testibus approbatam, in euangelistæ Lucæ historicam narrationem de cœnâ domini duplici, non verissimē competere, tu nunquam probabis ô bone.

Verba in-
ferius cita
ta sunt.

Quia tamen videbam cauillatorē posse certius testimoniū requirere, satis indicavi, roqum robur probationis in euangelistæ Lucæ historia positū non esse, dum adscripti: Quod si cuiquam fortasse videatur non satis dilucidē constare, quod post completum veterem agnum Paschalem, Christus tanquā pontifex novi testamenti, instituerit novi agni oblationem, alia sunt in scripturis testimonia perspicua & certissima.

Obiectio
Illyrici.

Sed obijcit Illyricus: *Euangelistæ non tantum de oblatione nihil dicunt, sed etiam eam evidentissimē sua recitatione excludunt ac negant. Quando enim eam sacrificasset dominus? num ante dicta verba, hoc est corpus meū, an post ea? Postea, panē offerre non potuit, quia ea dixit, iam dando apostolis panē, vt eū amplius sacrificare non quiverit. Scriptum est enim: dedit, dicens, id est, inter dandū aut distribuendū dixit illa consecrationis verba. Quod si antea ea obtulit, tum vel non consecratum obtulit, vel antea, altera vice, alijsq; verbis consecrauerat.*

Ad

Ad hoc sophisma respondeo, Quod Christus accipiens panem in manus, tanquam sacerdos secundum ordinem Melchisedech, & consecrās illum in suum corpus, tanquam sacerdotio secundum ordinem Melchisedech fungens, tunc obtulit, quando panem in manus acceptum consecrauit in suum sanguinem. Atque ipsa consecratio, à sacerdote, cuius est hostias Deo offerre & sacrificia, facta, vera fuit oblatio: sicut primum creaturarum panis & vini, ita etiam corporis Christi, sub speciebus panis: & sanguinis, sub speciebus vini. Quemadmodū enim ipsa Christi passio in cruce, oblationis rationem habuit, ex eo quod sicut Paulus dicit: Ipse obtulit semetipsum immaculatum Deo: & non ex sola mortis perpeffione, (patiebantur enim & latrones, quorum passiones non fuerunt oblationes) ita & consecratio panis in corpus Christi, ex intentione ipsius sacerdotis secundum ordinem Melchisedech sacerdotio fungentis, & Deo hostiam offerentis, perspicua & perfecta est oblatio & sacrificium. Expresse istud docuit Ireneus, gloriosus Christi martyr, quando scripsit: Christus, inquit, suis discipulis dans consilium primitias Deo offerre ex suis creaturis, non quasi indigenti, sed vt ipsi nec infructuosi, nec ingrati sint, eum qui ex creatura panis est, accepit, & gratias egit, dicens: Hoc est corpus meū. Et calicem similiter, qui est ex ea creatura, quæ est secundum nos, suum sanguinem confessus est, & novi testamenti nouā docuit oblationem.

Quando
Christus
obtulerit
corpus
suum &
sanguinē

Hebr. 9.

Ireneus
lib. 4. cōt.
hæret. Va-
lencini ca-
32. & 34.

Vides

Vides lector, sanctissimum illum & vetustissimum scriptorem disertè dicere: quod in eo fuerit Christi oblatio noua, quod panem acceptum in manus, & Deo oblatum consecrauerit in corpus suum, & vinum in sanguinem, tanquam sacerdotio secundū ordinem Melchisedech fungens, qui mox esset sacrificandus & offerendus in crucis ara, secundum ritum sacerdotij Aaronici. Nec igitur ante verba, hoc est corpus meū, nec postea obtulit: sed ipsa consecratio creaturarum panis & vini, facta à sacerdote, secundum ordinem Melchisedech sacerdotio perfungente, verissima est, & propriissima oblatio, quam instituit tum Christus, docens suos apostolos noui testamenti nouam oblationem.

Canillas
110.
Verba Lucae, dedit eis dicens exponuntur Lu. 22

Matth. 26

Thomas 3. parte. quæst. 78. articulo 1.

Porro quod hic Illyricus verba illa euangelistæ Lucæ: dedit eis, dicens: exponit, Christum verba hæc, hoc est corpus meum, dixisse interdandum aut distribuendū, hoc est, in ipso actu distributionis, ipse de suo cerebro addit aliquid verbo Dei. Non enim habet euangelista Lucas, dedit eis, dicens: scilicet interdandum dicens: sed generaliter, dedit eis, dicens. pro quo Matthæus scripsit: dedit discipulis suis, & ait. Quoniam igitur non expresse disertè euangelistæ & præcise ac determinatè, quando ea verba Christus dixerit, licet ea referre ad tempus totius actionis Christi, quemadmodum docet D. Thomas in quæstionibus tertiæ partis, sic scribens: Intelligendum est, ordinem rei gestæ ab euangelistis seruatum non esse, quod frequens esse

esse apud euangelistas, Augustinus testatur in libris de consensu euangelistarum. Posse autem eam sic exprimi: Accipiens panem, benedixit, dicens: hoc est corpus meum. & deinde fregit, & dedit discipulis suis: licet idē sensus esse possit in verbis euangelij non mutatis. Nam hoc participium, dicēs, concomitantiam quandam importat verborum prolatorum, ad ea quæ præcedunt. Non autem oportet, quod hæc concomitantia intelligatur solum, respectu verbi ultimè prolati, quasi Christus tunc illa verba protulerit, quando dedit discipulis: sed potest intelligi cōcomitantia respectu totius præcedentis. vt sit sensus: dum benediceret, & frangeret, & daret discipulis suis, hæc verba dixit: accipite & comedite. Ex ipso quoque Marco euidentissimè licet cognoscere, quod ordo narrationis non sit ab euangelistis exactè obseruatus, & determinatè positus: qui verba consecratoria sanguinis refert, postquam biberunt ex eo omnes Apostoli. Et accepto calice, inquit, gratias agens, dedit eis, & biberunt ex illo omnes. Et ait illis: hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur. Ad hæc, probatissimi interpretes sentiunt, Christū panem fractum non suis manibus apostolorum ori imposuisse: sed sicut calicem vnum distribuit omnibus, vt omnes ex eo biberent: ita partes panis duodecim imposuisse pateræ, vnde quisque sumeret. quod significatū esse volunt, dum dicitur Christus dixisse: Accipite, & comedite.

Marci 14.

Quod

Quod postremò cauillatur Illyricus, Contendere Catholicos inter se de verbis, quibus fiat consecratio & confectio sacramenti: omnem contentionem & litem finijt œcumenicum concilium Florentinum, ita scribens: Forma huius sacramenti sũnt verba saluatoris, quibus hoc conficitur sacramentum. Nam ipsorum verborum virtute, substantia panis in corpus Christi, & substantia vini in sanguinem conuertuntur. Porro ea verba Christi hic intelligi: hoc est corpus meum: mihi quidem indubitatum est. Quod verò scribunt euangelistæ, Christum benedixisse, hoc Lucas interpretari videtur, ponens pro benedixit, gratias egit: benedictionem laudis, & gratiarum actionis intelligens, non benedictionem aut consecrationem panis. Et similiter Paulus, quemadmodum annotauit Caietanus in Cõmentarijs in Mattheũ. Vnde admiror Illyricum inter contententes, aut dubitantes de forma verborũ consecrationis, referre Caietanum, idque (vt habet marginalis annotatio) in expositione euangeliorum: præsertim cùm in eisdem cõmentarijs expressissimè doceat, per hæc verba Christi, tanquam verè operatoria, fieri veram conuersionem panis in corpus Christi, & vini in sanguinem, atq; ecclesiam ex ipsis Christi verbis rectè confiteri transsubstantiationem.

Similiter quod dissensionem catholicorũ in hoc dogmate imperito lectori offundere studet, inanis cauillatio est. Non enim dissentiunt Catholici

1. Cor. 11.
Caietanus
in cõmen.
in 26. cap.
Marth.

tholici in ipsius dogmatis substãtia, scilicet Christum verè sacrificasse, & obtulisse corpus suum sub speciebus panis in cœna dominica, quin potius eam constanter confitentur & approbant: sed in explicatione tanti mysterij, & eius defensione, varijs rationibus & explicationibus vsi deprehenduntur, donec post multam inquisitionem certi aliquid, & eliquati, vt ait diuus Augustinus, definitum, in generali præsertim concilio, comperiant. Ac regula fidei semper salua, variæ explicationes fenestram aperuerunt ad certum aliquid tandem & definitum constituendum.

Secundum eius sophisma est, Testimonium quod adduxeram ex Genesi, de sacrificio panis & vini à Melchisedech oblato, & ex Psalmo pariter & Apostolo ad Hebræos, quod Christus sit à patre constitutus sacerdos secundum ordinem Melchisedech: Sic Illyricus eludere conatur.

Secundũ
Sophisma
Gene. 14.
Psal. 109.
Hebr. 7.

Respondeo, inquit, quod Melchisedech obtulerit panem & vinum Deo, probari non potest vllò modo. Nam locus Genesis tantũ de pane Abrahamo & mitibus exhibito loquitur, & nihil amplius.

Cauillat.
Illyrici.

Huic cauillationi obijcio testimonium Diui Hieronymi, scriptoris Catholici, & Hebraicæ linguæ peritissimi. Qui libro quæstionum Hebraicarũ in Genesim, sic de Melchisedech scripsit: Melchisedech, Apostolus ad Hebræos, sine patre & matre cõmemorans ad Christũ refert, & per Christum ad gentium ecclesiam: Omnis enim

Dilutio.
Hiero. de
Hebraicis
quæstion.

enim capitis gloria, refertur ad mēbra, eo quod præputium habens, Abrahæ benedixerit circumciso : & in Abraham, Levi : & per Levi, Aaron . de quo postea sacerdotium . Ex quo colligi vult, sacerdotium ecclesiæ habētis præputium, benedixisse circumciso sacerdotio synagogæ . Quod autem dixit : Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech : mysterium nostrum in verbo ordinis significatur : nequaquam per Aaron, irrationabilibus victimis immolandis, sed oblato pane & vino, id est, corpore & sanguine Domini Iesu.

Vides Lector, quid sentiat Hieronymus de pane & vino, siue prolatis, siue oblati à Melchisedech. Rursus quo pacto accipiat illud psalmi : secundum ordinem Melchisedech. & rursus alibi : Verti me, inquit, ad Hypolytum, Ireneum, Eusebium Cæsariensem, & Emissenum, Apollinarium quoq; nostrum, & Eustachium, qui primus Antiochenæ ecclesiæ cōtra Arrium clarissima tuba bellicum cecinit: & deprehendi horum omnium opiniones diuersis argumentationibus ac diuerticulis ad vnum compitum peruenisse, vt dicerent: Melchisedech hominem fuisse Cananæum, regem vrbs Hierusalem. & post pauca interiecta: Ordinem autē eius multis modis interpretantur, quod solus & rex fuerit & sacerdos, neque carnis & sanguinis victimas immolauerit, & brutorū sanguinem, eorū animalium extra, id est, quicquid super escam est, susceperit : sed pane & vino, simplici puroque facti-

Epist. ad
Euagriū.

sacrificio Christi dedicauerit sacramentum. Sic Cyprianus, sic Ireneus: sic Græci, Photius, Theophilactus, Oecumenius, Chrysofostomus, & innumeri alij: quorum testimonia copiose Catholici scriptores recitant in suis scriptis. Hos igitur Illyrice tuæ corruptelæ opponimus, quorum authoritatem libenter, te cum tuis reiecto, sequimur. quod & Christianum lectorem mecum facturum prorsus confido.

Sed obijcit Illyricus: *Quoniam ratione Melchisedech cum Christo conuenerit, copiose agit epistola ad Hebræos: nec tamen vllam penitus sacrificij missæ, aut panarij, vinarijq; mentionem facit.* *Obiectio Illyrici.*

Respondeo, Apostolum, cum ex instituto cōferret Christum cum Mose, eas tantum qualitates & condiciones sacerdotis Melchisedech disertè exequi, quæ ad dignitatem personæ eius faciunt: Melchisedech, inquit, sacerdos Dei altissimi, primum quidem, qui interpretatur rex iustitiæ, deinde rex Salem, quod est, rex pacis: sine patre, & sine matre, sine genealogia, neque finem vitæ habens: assimilatus autem Deo manet sacerdos in perpetuum. Ex his igitur qualitatibus Christi dignitatem insinuatam & figuratam esse dicit. nempe quod sit sacerdos Dei altissimi, sed verè æternus: cum Melchisedech non nisi secundū scripturæ quendam modum, neque initium dierum, neque finem vitæ habeat: Deinde rex iustitiæ, rex pacis, cuius sacerdotium sit verè æternum secundum Prophetam: Tu es sacerdos in æternum.

N n Hæc

Cypr. lib.
2. epist. 3.
Ireneus
lib. 4. cap.
32. 34.

Hæc disertè executus, quæ ad dignitatem personæ pertinent, addit, quod est sacerdos secundum ordinem Melchisedech, & non secundum ordinem Aaron, hoc est, secundum ritum sacerdotij Melchisedech, & non secundum formam Aaronici sacrificij, quo animalia offerebantur. In quo verò consisteret ratio, ordo, & mysterium sacrificij Melchisedech, scribens Hebræis, quibus quale fuerit sacerdotium Melchisedech, ex libro Geneleos non ignotum erat, non disertè executus est, eò quod rudibus adhuc fidelibus Iudæis; Christi dignitas, Christi-que in cruce effusus sanguis cõmendandus potius erat: de quo nondum plenam & perfectam fidem habebant, sanguinem hircorum & vitulorum magnificentes. Tantū igitur dicit, quod Christus est à patre constitutus sacerdos non secundum ordinem Aaron, sed secundum ordinem Melchisedech. Quod sacri interpretes vniuersi ab exordio ecclesiæ copiose & disertè explanauerunt de mystica panis & vini oblatione: sicut modò audiuius aliquot clara & perspicua testimonia.

Cauillatio Illyrici.

Rursus cauillatur Illyricus: *Quod si omnino istorum ratiocinatio valeret, sequeretur, Christum tantum panem ac vinum in sua illa missa, non etiam corpus & sanguinem obtulisse: idemq; etiam sacrificios nunc facere debere, sicut & reuera faciunt, nihil aliud præter purum panem habentes. Quod si Christus corpus suū obtulit, non igitur fuit sacerdos secundū ordinem Melchisedech, secundum istorū intellectuū. quia ille nunquā idem fecit.*

Respon-

Respondeo, ineptissimā hanc esse cauillationē, quoniam ex eo contrarium potius colligitur. Si enim sacrificium Melchisedech in pane & vino, fuerit præfiguratio, vt ait Hieronymus, sacrificij Christi: consequitur quod fuerit sacrificium corporis & sanguinis sub pane & vino. Figura enim semper à veritate rei præfigurata deficit, alioqui rei ipsius veritas esset, & non figura aut similitudo. Nec sanè inanissima hæc cauillatio commouit sacros scriptores, quin de sacrificio Christi præfigurato per sacrificium Melchisedech, asseueranter & cõstanter scriberent: sacrificium Christi esse oblationem corporis & sanguinis Christi, sub symbolis panis & vini, admiranda Christi virtute & potentia conuersis in corpus & sanguinem Christi: cū in sacrificio Melchisedech tantum panis & vinum in præfiguratione oblatum sit. Vanissimæ igitur & imperitissimæ sunt hæc cauillationes: Si Christus corpus suum obtulit, non igitur fuit sacerdos secundum ordinem Melchisedech, quia ille nunquam idem fecit.

Audi cauillator Hieronymum in epistola ad Marcellum: Recurre ad Genesim, & Melchisedech regem Salem huius principem inuenies ciuitatis, qui iam tunc in typo Christi panem & vinum obtulit, & mysterium Christianorum in saluatoris sanguine & corpore dedicauit. Audi & Augustinum: Christus de corpore & sanguine suo instituit sacrificium secundum ordinem Melchisedech.

August. in
Psalm. 32.
cõcione 2.

N n ij Quod

*Cauilla
tio.*

Quod denique cauillator audet scribere, *Catholicos nihil aliud præter purum panem habere*: id nos in illum, eiusque cateruam merito & verissimè regerere possumus, verbis yentes Athanasij, qui, cum Macharius eius presbyter Ischyram Arrianum, hominem profanum, sacris operantem obrurbasset, mensam sacram euertisset, calicem confregisset, defendit ritè id factum esse: quia Ischyras legitimus ecclesiæ minister non erat, quia legitimè ordinatus non erat, nec ecclesiastica manuum impositione consecratus.

Athanasij

Itaque etiam negat Athanasius, in illius sacris fuisse mysterium corporis & sanguinis domini. Quò pertinet etiam quod Epiphanius scribit aduersus quendam Zachæum. Cum igitur vestri ministri, qui sacram cœnam vobis instruunt, non sint legitimè per manuum impositionem more ecclesiastico ordinati, verissimum est & certissimum vos purum panem habere, & frustra de vera præsentia corporis Christi in sacramento cœnæ cum Calvinistis contendere, & infelicem populum sceleratissimè decipere.

Epiphanius.

*3. Sophisma.
1. Cor. 10.*

Tertio studet eludere probationem clarissimam & solidissimam, quam ex sententia Pauli confeceram: qua inter victimas Israël, & immolata dæmonijs, recenset panem & poculum eucharisticum, & inter altare Israël, & mensam dæmoniorum, mensam Domini: & inter edentes victimas altaris Israël, & edentes immolata dæmonijs, edentes de mensa domini. Ex qua collatione concludit, quod Corinthij non pos-

possint simul eorum quæ immolata sunt dæmonijs, & eorum quæ immolata sunt Deo, participes esse.

Respondet Illyricus: *In eo tantum comparationem fieri, quod sicut conuiuantes in idolo de Idolothytis, faciebant se socios dæmoniorum: ita etiam conuiuantes in sacra cœna, domino se addicant. quod vnus homo facere nequeat, quia vnumquemque oporteat esse aut diabolo aut Christo addictum.*

*Cauilla
tio.*

Dilutio.

Respondemus, Non solū collationem edentium siue conuiuantium ibi fieri, sed etiam immolarum hostiarum: dum comparat hostias legis & ethnicorum cum eucharistia, & non tantum conuiuantes. Deinde cum disertè mentionem faciat altaris & mensæ, ac mensam idolorum, quæ est haud dubiè altare, in quo sacrificatum est idolis, comparet cum mensa domini, perspicuum prorsus est, quod eucharistiæ cibum participandum à fidelibus, insinuet esse prius Deo oblatum: sicut hostia quæ edenda proponebatur in lege, aut apud gentes, prius immolari consuevit, quàm proponeretur edenda. Firma igitur prorsus & immota est ratio cinatio, quæ ex collatione altaris cum altari siue mensa, & hostiarum legis vel gentium cum eucharistia, extructa est. Atque ad hunc modum explanat hunc Apostoli locum diuus Augustinus libro 1. contra aduersarium legis & prophetarum: vbi prolixè & disertè comparat sacrificia idolothyta, & sacrificia legis cum sacrificio ecclesiæ, & Israël spiritualis.

*Aug. lib. 1.
cap. 19. &
20.*

Non iii quod

quod est quidem sacrificium gratiarum actionis, sed in pane & vino oblatum, vti mox dicetur.

4. So-
pbisma.

Quartò citaueram testimonium Malachiæ ex cap. 1. de oblatione munda, quæ in omni loco nomini domini offerenda & sacrificanda, ab ortu solis vsque ad occasum in gentibus, prophético spiritu prædicta est. Quod vaticinium iam inde ab exordio ecclesiæ acceptum semper fuisse de sacrificio & oblatione eucharistica in pane & vino secundum ordinem Melchisedech, probaueram ex sententijs antiquissimorum, & adeò temporibus Apostolorum proximorum, Dionysij Arcopagitæ, & Iustini martyris, præterea Irenæi martyris, cui adiunxi testimonia plurima diui Augustini.

Cauilla-
tio.

Malach. 1.

Aduersus has clarissimas probationes, varia sophilmata, cauillationes, & elusiones comminiscitur aduersarius. Primum, inquit, ille Malachia locus intelligendus est de sacrificio gratiarum actionis aut laudis. nam hoc sibi retinuit Deus, cum sacrificia Iudeorum abijceret. sicut videre est Psalmo 49.

Psal. 49.

vbi Propheta sub sermone illius canit, dicens: Sacrificans laudem honorat me.

Dilatatio.

Respondemus Illyrice, sacrificium laudis & gratiarum actionis, verum quidem esse sacrificium, & Deo gratum & acceptum, quando fit ex sincero corde, & Deum timente. quemadmodum declarat Psalmus 49. & eruditus commentarius Augustini in eundem Psalmum: estq; sacrificium omnibus pijs commune. Sed negamus

August. in
commen.
Psal. 49.

mus de quolibet laudis sacrificio locutum esse Malachiam, affirmamus autem eum propriè locutum de sacrificio quodam peculiari laudis & gratiarum actionis, quod est sacrificium in pane & vino secundum ordinem Melchisedech, quod proprium est sacrificium noui testamenti, quod per omnem locum in gentibus offerunt sacerdotes soli, qui secundum ordinem Melchisedech à Christo instituti sunt. Quod ex eo manifestum est, quòd verba Malachiæ pertinent ad sacerdotes: Ad vos, inquit, o sacerdotes, qui despicitis nomen meum: quis in vobis qui claudat ostia, & incendat altare meum gratuitò? Non est mihi voluntas in vobis, nec vltra suscipiã munus aut sacrificia de manibus vestris, quoniam non tantum in vno hoc populo Israel, cui seruebat sacerdotium illud verus, sed in omnibus gentibus, à solis ortu vsque ad occasum magnus erit nomen meum. Neq; ex vna hac familia Aaron, sed ex omnibus gentibus, ab ortu solis vsq; ad occasum novos mihi sacerdotes deligam, nouo ordine, veteri abrogato. Nec vetera illa, & in vno loco consueta offerri præscripta sacrificia suscipiã amplius de manu vestra: sed in omni orbis loco sacrificabitur & offeretur nomini meo oblatio munda. Ex quibus manifestum est, quod novos sacerdotes, ac nouam oblationem & sacrificium, abolitis veteribus Aaronicis sacerdotibus & sacrificijs, Propheta toto orbe terrarum instituendum vaticinatus sit: vtpote quod per vetera sacrificia significatum, per novos sacerdotes

Malach. 1.

Aug. lib. i.
cōr. aduer-
sarium le-
gis & pro-
phet. ca. 18
29. 30.

secundum ordinem Melchisedech in toto orbe offerendum esset, quod verissimum est sacrificium laudis & gratiarum actionis, sed in pane & vino sacrificatum. Quam sententiam expressissime confirmat Augustinus lib. 1. contra aduersarium legis & prophetarum: Quod est, inquit, sacratius laudis sacrificium, quam in actione gratiarum? Et vnde maiores agendæ sunt Deo gratiæ, quam pro ipsius gratia per Iesum Christum dominum nostrum? Quod rotum fideles in ecclesiæ sacrificio sciunt, cuius vmbra fuerunt omnia priorum genera sacrificiorum. Et quod non intelligat sacrificium crucis, quod etiam alioqui in vno tantum loco oblatum esse constat, non in omnibus gentibus, nec in omni loco, ab exortu solis vsque ad occasum, in capite 20. scribit: Ecclesia, inquit, quæ est Israel secundum spiritum: à quo distinguitur Israel, qui est secundum carnem, qui seruiebat in vmbra sacrificiorum, quibus significabatur singulare sacrificium, quod nunc offert Israel secundum spiritum. & post pauca: Nouerunt qui legunt, quid protulerit Melchisedech, & benedixit Abrahæ, & iam sunt participes eius: vident tale sacrificium nunc offerri Deo toto orbe terrarum: Dei autem iuratio, qua scilicet iuravit: Tu es sacerdos secundum ordinem Melchisedech: incredulorum est increpatio. Et quod Deum non poenitebit, significatio est, quia hoc sacerdotium non mutabit. Mutauit quippe sacerdotium secundum ordinem Aaron. Vnde alius pro-

propheta dicit ad eum qui carnaliter est Israel: Non est mihi voluntas in vobis, dicit dominus omnipotens, & hostiam non accipiam de manibus vestris. Ecce quod est secundum ordinem Aaron. Cur autem hoc non accipiat, addit, & dicit: Quia ab ortu solis vsque ad occasum glorificatum est nomen meum in gentibus, & in omni loco incensum offertur nomini meo, & hostia pura, quia magnum est nomen meum in gentibus. Ecce quod est secundum ordinem Melchisedech. Vides lector eruditissimum Augustinum sententiam prophetæ interpretantem quidem de sacrificio laudis & gratiarum actionis: sed eo proprie, quod est secundum ordinem Melchisedech, quodque offertur à nouis sacerdotibus, non secundum ordinem Aaron, sed secundum ordinem Melchisedech. idque in æternum, hoc est, in finem vsque seculorum. Non igitur sacrificium illud laudis, quod commune est, & fuit semper, omni tempore, tam ante legem, quam sub lege, quam tempore euangelicæ gratiæ, prædixit offerendum propheta, abiecto veteri Aaronico sacrificio. Sed sacrificium aliquod peculiare nouo testamento, quod est sacrificium laudis & gratiarum actionis, offerendum per sacerdotes novos, constituendos secundum ordinem Melchisedech in pane & vino. Quod verissimum est laudis & gratiarum actionis sacrificium, quia non celebratur, nisi in memoriam & recordationem gratiæ fidelibus factæ in Christi cruento sacrificio.

N n v Hæc

Deprauator Illy. expressa August. sententiā.

Hæc cum ita sint, audet tamen impudens deprauator sententiam Augustini modè prolixè recitatam adducere pro sua sententia: qua contendit, prophetam tantum esse vaticinatum de sacrificio laudis generali, quod est omnibus Christianis commune: non autem de sacrificio aliquo sacerdotibus nouis proprio.

Aug. sententia in epi. ad Honoratum 120 deprauat.

Eadem impudentia audet pro suo errore adducere sententiam Augustini in lib. ad Honoratum: Filij promissionis, filij sunt beneficij. hæc est gratia, quæ gratis datur: non meritis operantis, sed miseratione donantis. Hinc gratias agimus domino in sacrificio noui testamèti, quod ubi, & quâdo, & quomodo offeratur, cum fueris baptizatus, inuenies. Sanè sciebat Honoratus nondum baptizatus, Christi sacrificium in cruce oblatum, & etiam sacrificium gratiarum actionis pro illa gratia: sed antequàm baptismum peteret, nondum erat de eucharistico sacrificio secundum ordinem Melchisedech, edoctus & catechizatus.

August. in serm. cõt. Iudæos cap. 9.

Cauillatur & de alio loco Augustini in sermone contra Iudæos, in quo celebrem quidem mentionem facit sacrificij laudis, & opponit illud sacrificio Aaronico: sed expressissimè & disertissimè significat se loqui de sacrificio quod est secundum ordinem Melchisedech, quod toto orbe terrarum, vsque ad Hierusalem populus Christianus Deo offert, per sacerdotes nouos, secundum ordinem Melchisedech, & non secundum ordinem Aaron, institutos.

Rursus

Rursus cauillatur de sententiâ Augustini alia, in qua tractat non Malachiæ sententiã, vti vult deprauator: sed illam, à solis ortu vsq; ad occasum laudatur nomè Domini. quæ est Psal. 112. vbi rectè dicit Augustinus: Vium sacrificium esse, laudare nomen domini: idq; nõ in Aphrica tantum, sed per vniuersum orbem terre, ab exortu solis vsq; ad occasum. De quo dictum est in alio Psal. Immola Deo sacrificium laudis. vbi de sacrificio illo secundum ordinem Melchisedech nihil disertè dicendum erat. Quanquam tamen & de illo rectissimè contra Donatistas accipi posset vtriusque psalmi locus.

Aug. lib. 2 contra lit. Petil. c. 86

Psal. 49.

Postremò adducit Tertulliani sententiam in libro contra Iudæos, in calce libri, in qua interpretatur Malachiæ sententiam de sacrificijs spiritualibus, cordis contriti, & laudis seu gratiarum actionis. Sed supra satis responsum est ex verbis Augustini, sacrificium quodlibet contriti cordis & laudis, seu gratiarum actionis, esse sacrificium Deo acceptum: sed nullum esse sacratius laudis & gratiarum actionis sacrificium, quàm illud ecclesiæ sacrificium, (cuius vmbra fuerunt omnia vetera sacrificia) quod est secundum ordinem Melchisedech. Et quoniam agebat Tertullianus cõt. Iudæos crassos & carnales, qui terrena tantum sacrificia nouerant, satis habuit ex scripturis illos informare de spiritualibus sacrificijs, cõt. cordis & laudis. De quibus ipsorum scripturæ tam crebrò mentionem faciunt, prædicentes quoq; quod carnalia sacrificia eorum auferenda essent

Tertull. cõt. Iudæos.

tan-

tanquam Deo ingrata . Nihil autem opus erat de mystico illo & stupendo ecclesiæ sacrificio, quod est secundum ordinem Melchisedech, differere . Quod sacrificium Tertullianum probè agnouisse cõstat ex eius libro de cultu fœminarum : item ad Scapulam . Et admirandum sane est, homines istos interpretari hostiam illã puram & mundam , quam in omnibus gentibus per totum orbem terrarum offerendam vaticinatus est Malachias, hostiam laudis, precum, & gratiarum actionis: cum, iuxta ipsorum doctrinam , omnis omnino quamlibet iustorum hominum iustitia & operatio sit immunda, & tanquam pannus mulieris menstruatae .

Testimonia Iustini et Dionysii Areopagite excutiantur.

Inter testimonia sanctissimorum patrum & vetustissimorum, Irenei, Cypriani, Hieronymi, Augustini, citaueram etiam in Confutatione testimonia Iustini martyris & Dionysij Areopagitæ. quibus euidentissimè & solidissimè ostendi, in ecclesia semper agnitum fuisse, & religiose obseruatum sacerdotium Christi secundum ordinem Melchisedech in pane & vino. Ac de eo sacrificio acceptum semper fuisse vaticiniũ illud Malachiæ , de quo iam satis multa diximus. Quoniam verò horum sanctissimorum martyrum , & temporibus Apostolorum vicinorum testimonijs sentit Illyricus potèntissimè euersum esse & conuultum suum sacrilegum dogma contra tremendum missæ mysterium , studiosè & peruersè molitur deprauare eas Dionysij & Iustini sententias: ad reliquas mutus , quia non habebat

habebat, quod ad tam disertas & expressas sententias obstreperet. Duorum igitur illorum ecclesiæ Christi veluti columinum sententias aduersus eius peruersas calumnias tueamur.

Citaueram Iustini sententiã ex dialogo cum Triphone aduersus Iudæos: Neque verò à quocquam Deus hostias accipit, nisi à suis sacerdotibus. Itaque omnia sacrificia, quæ suo nomine faciendã Iesus Christus tradidit, id est, in eucharistia panis & poculi, quæ omni in loco à Christianis fiunt , præoccupatiõne vsus Deus , sibi grata esse testatur. Quæ autem à vobis, vestrisq; illis sacerdotibus fiunt, improbat his verbis: Sacrificiaque vestra è manibus vestris non accipiam, quod ab oriente sole ad occidentem nomen meum gloria affectum est , (ait) in gentibus, vos autem illud detestamini. In qua sententia sacerdotij noui & sacrificij in pane & poculo Deo accepti , repudiato veteri sacerdotio & sacrificio, disertè fit mentio. quod etiam disertissimis verbis semel & iterum in eodem dialogo ante hæc verba appellauit sacrificium ordinis Melchisedechini. Fit quoque disertè mentio sacerdotum, sacrificia & hostias offerentium in Christi nomine , mandato , & traditione. Denique hæc omnia prædicta dicit esse per prophetam postremum ex duodecim, qui est Malachias.

Audi iam obsecro Christiane lector calumniam Illyrici. Reperit sententiam Iustini paulò alius , & versionem longe diuersam pro sua

Testimonium Iustini ex dialogo cum triphone.

Malach. 1.

Cauillatio Illyrici.

autho-

authoritate inducit. Ad eundem modum nos quoque omnes, quotquot censemur Iesu Christi nomine, quasi vnus homo in Deo conditore huius vniuersitatis, per nomen illius primogeniti filij fordidis vestibus, hoc est, peccatis exuti, ignitiq̄ue per verbum vocationis eius, verè pōtīfices Dei reddimur. sicut ipse Deus testatur, dicens: Quod vbiq̄ue gentium offerentur ei puræ gratæque victimæ. A nemine autem Deus victimas, nisi per sacerdotes suos, accipit. Vnde certò cōstat, quod huius nominis sacrificia, quæ Iesus Christus tradidit, hoc est, eucharistiam panis & poculi, vbiq̄ue terrarum apud Christianos fiant, Deus accipiat, & grata sibi esse testetur: vestra verò, & à vestris sacerdotibus oblata recusat, dicens: Victimæ vestras non accipiam de manibus vestris, quoniam ab ortu solis vsque ad occasum nomen meum inclaruit in gentibus: vos autē profanastis illud. Nunc etiam contendere pergitis, dicentes: Cessare quidem Hierosolymis victimas Israelitarum, & fastidiri à Deo, sed disperforum passim eius gētis hominum præces gratas sibi fateri, & has vocari sacrificia. Equidem & preces, & gratiarum actiones, si per homines dignos fiant, solas pro perfectis & Deo gratis haberi. Hęc enim sola sacra Christiani facienda acceperūt, vt alimento sicco atq; humido admonerentur corū, quæ propter ipsos Deus Dei filius perpeffus esse narratur.

En, inquit Illyricus, hic clarè cernis non de Missæ oblatione, agi, sed de omnium piorum communionem: quos dicit

dicit omnes perinde esse constitutos pontifices, eorumq̄ sacrificium Deo acceptum esse, nempe communionem, preces, & gratiarum actiones, vt ipsemet exponit.

Respondeo tibi ô cauillator, dic quæso quid sibi velint hęc verba: A nemine Deus victimas, nisi per suos sacerdotes, accipit. Si de quibusuis precibus, & gratiarum actione loquitur, an pius quisque non potest precum & gratiarum actionis sacrificia Deo offerre, nisi per sacerdotes? Deinde quid sibi quæso vult, quod disertè exponit, de quibus sacrificijs loquatur: Sacrificia, inquit, quæ Iesus Christus tradidit, hoc est, eucharistiam panis & poculi, si de quibuslibet precibus pijs agit? Rursus, quid sibi vult, quod dicit: Iesum Christum hæc sacrificia facienda instituisse, repudiatis veteribus sacerdotum sacrificijs? an ideo constitutus est Christus à patre sacerdos secundum ordinem Melchisedech, vt commendaret fidelibus suis sacrificia precum & laudum? Denique quid sibi vult, quod dicit: Vestra verò, & à vestris sacerdotibus oblata recusat? Nōne insinuat, quod Christianorum, & à Christianorum sacerdotibus oblata sacrificia, sint Deo accepta? Ex his sanè perspicuum omnibus esse credo, quod non de communibus Christianorum precibus loquatur Iustinus: sed de ijs precibus, quæ Christianorum omnium nomine, in sacrificio eucharistiæ panis & poculi, per sacerdotes nouos Deo oblato, sunt in cœtu ecclesiæ. Cōstabit enim clarissimè ex altero Iustini testimonio, quod in ecclesiæ cœtu

*Sententia
Iustini
clarissima.*

cœtu sacerdos post exhortationem & preces, nomine totius cœtus offerre sacrificium in pane & vino sit solitus. Sed ut omnes fumi, quos hic lectoris oculis offundere studet Illyricus, dispellantur, audi lector sententiam expressam Iustini in eodem libro contra Iudæos, aliquanto post initium libri: Hinc de ijs hostijs, quas tum immolabatis, Deus per Malachiam, vn̄ ex duodecim, (ut antè dixi) loquitur hoc modo: Non est in vobis voluntas mea, ait dominus, nec sacrificia vestra ex manibus vestris accipiã, quod nomen meum ab ortu solis vsque ad occasum in gloria fuit in gentibus, in omniq̄ loco odores incensi nomini meo offeruntur, mundumq̄; sacrificium, quod magnum est in nationibus nomen meum: vos autem illud inquinatis & polluitis. De hostijs, quæ ipsi à nobis gentibus offeruntur, id est, de pane eucharistiæ, & poculo similiter eucharistiæ, tum prædicit, cum ait: à nobis nomen suum gloria affici, à vobis autem pollui.

*Obserua
quasi
Christiana
ne lector.*

En hic clarè vides Christiane lector, Iustinum hostijs veteribus opponere hostiam nouã, quæ à gentibus offertur Deo, de eaq̄ locutum esse prophetam Malachiam: eam vero esse hostiam in pane eucharistiæ, & poculo similiter eucharistiæ. Perspicuum igitur est, quod non de communionem tantum precum & gratiarum actionis, sed etiam de oblatione panis & poculi locutus sit Iustinus: quæ est oblatio missæ secundum ordinem Melchisedech. Ac veteres quidem nomi-

nomine sacrificij, & oblationis eucharistiæ, vsos esse vides, pro tota actione, qua cœtus ecclesiæ congregatus Deo per sacerdotem panem & vinum in mysterio obtulit, orauit, gratias egit, verbum Dei de Christo, eiusque pro se facta morte audiit, & simul communicauit.

Quod verò Iustinus hostiam nouam & euāgelicam, appellat hostiam panis & vini, item alimentum siccum & humidum, non excludit transmutationem panis & vini in corpus & sanguinem Christi: quia in altero testimonio, quod mox tractabimus, videbimus non de pane cōmuni, sed de pane sanctificato & consecrato sermonem esse.

Sed dices, quid sibi velit, quod dicit Iustinus: nos omnes quotquot censemur Iesu Christi nomine, quasi vnus homo in Deo conditore huius vniuersitatis, per nomen filij Dei peccatis exuti, tanquam sordidis vestibus, ignitque per verbum vocationis eius, verè pontifices Dei reddamur: sicut ipse Deus testatur, dicens: Quod vbique gentium offerentur ei puræ, gratæque victimæ. *Obiectia.*

Respondeo, Primum nostram translationem habere: Pontificium, sacerdotaleque verum genus sumus. quo non significatur aliud, quàm quod dicit beatus Petrus: Vos autem estis genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. & paulò superius: Ad quem accedentes lapidè viuum, ab hominibus quidem reprobatur, à Deo autem electum, &

O o hono-

Apoc. 5.

honorificatum, & ipsi tanquam lapides viui superædificamini, domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerentes spirituales hostias, acceptabiles Deo per Iesum Christum dominum nostrum. Et Ioanes in Apocalypsi: Fecisti nos Deo nostro regnum & sacerdotes. Quibus verbis significant patres & Ioannes, eos qui credunt in Christum, & superædificati sunt super Christum, factos tanquam spirituales reges & sacerdotes: qui possunt offerre Deo spirituales hostias, elemosynas, orationes, ieiunia, corporum & contritum: & denique hostiam panis & vini, sed non nisi per sacerdotes, peculiari, & non laico, ut ait Hieronymus, sacerdotio, quod est omnibus Christianis commune. Nam hoc est, quod Iustinus subiecit: A nemine Deus victimas, scilicet eucharistici panis & vini, accipit, nisi per sacerdotes suos. Vbi apertissime significatur, non quemlibet pium, esse sacerdotem, qui hostias panis & vini offerre possit: sed constitutos esse à Christo certi generis sacerdotes, qui eius vice patri tales hostias offerant, & per quos pij Christiani eiusmodi hostias offerant. Sunt ergo omnes quotquot Christi nomine censentur, pontifices quidam facti, ut offerant Deo laudes, preces, & gratiarum actiones: sed eucharistiæ hostias per sacerdotes novi testamenti, surrogatos in locum veterum sacerdotum Aaronicorum. Et hunc sensum manifestè insinuavit Iustinus, dum dixit: Nam & populus, & ecclesia, cum multi sint

ti sint homines numero, ut si res vna essent, vno nomine vocantur & appellantur. Sicut etiam præclare à Cypriano scriptum est: Ecclesia esse plebem adunatam cum sacerdote. Quo dicto insinuat, preces & hostias, quas offerri sacerdos, plebis quoque preces & hostias esse: & plebem offerre hostias Deo patri per Iesum Christum Dominum nostrum, quando vnà cum sacerdote, & per sacerdotem offerunt.

Cyprianus

Porro quomodo piorum preces & gratiarum actiones sunt Deo gratæ hostiæ, & sacrificia, superius satis dictum est: & quomodo per sacerdotem plebs preces peculiare in hostia aridi & humidi cibi in memoriam mortis, quam filius Dei pro nobis perpeffus est, Deo patri offert. Quæ oblatio, quia populi totius nomine fit à sacerdote, rectè populi hostia & sacrificium appellatur. Hæc de priore testimonio Iustini. Nunc vindicemus & alterum à calumnia & deprauatione.

Alterum testimonium Iustini ex sine secundæ apologiæ pro Christianis ad Ant. Pium Imperatorem, citaueram: in quo abundè descriptam esse dixeram formam lyurgiæ & missæ, quæ hodiè per Romanâ ecclesiam vsurpatur & obseruatur. Inducit autem & hic nouam translationem, in qua studiosè quædam taceri & supprimiti, quædam callidè commutari videntur. Citat igitur hæc verba: Nos verò sic absolutum & institutum ad fratres quos vocant, Oo ij adduci-

Alterum
testimonium
Iustini
ex-
cutitur.

*Obserua
lector,
per manus
datorum
obserua
tionem,
aeternam
salutem
obtinere.*

*Nota
presulis,
sive eius
qui prae
est.
Dionysio
diserte
tradidit
sacerdos
talis hoc
esse officio
eius.*

adducimus, vbi coetus fiunt, vt tam pro nobis, quam pro recens illustrato fiant (quod iam additur, omnibusque alijs, qui vbiq; sunt, ipse omittit) quo inueniamur per veram doctrinam, & bona opera digni obseruatores mandatorum, custodesque, & vt aeternam salutem assequamur (hic callide interponit particulam, &, vt salutis assecutionem distrahat a meritis honorum operum, siue obedientiae mandatorum, & referat ad communem orationem ecclesiae) post precationem nos salutamus osculo mutuo, deinde adfertur praecipuo fratri panis & calix aqua dilutus (versio antiqua habet: ei qui praepositus est fratribus. quo nomine haud dubie intelligit sacerdotem, presbyterum aut episcopum, sicuti Paulus loquitur) quibus acceptis laudem & gratiarum actionem patri omnium offert per nomen filij, sanctique spiritus: atq; ita gratiarum actionem aliquamdiu celebrat (pericopen sequentem totam omittit: quod ab eo his dignus sit habitus: quae a Dionysio disertè ponitur) post preces & eucharistiam totus coetus accinit, Amen. Ea vox Hebraica lingua significat idem quod fiat. Absoluta gratiarum actione praesulis, & oratione totius plebis, diaconi, quos vocamus, dant singulis presentibus partem panis & calicis diluti, super quos facta est gratiarum actio (antiqua translatio habet: quae cum gratiarum actione consecrata sunt) atque etiam deferri sinunt absentibus. (pro deferri sinunt: antiquus interpres habet: perferunt) hoc autem alimen-

alimentum, apud nos vocatur eucharistia. Ad quod nemo admittitur, nisi qui credit veram esse nostram doctrinam, ablutus regenerationis lauacro in remissionem peccatorum, & sic viuens vt Christus docuit. Non enim vt vulgarem panem & vulgare poculum hoc sumimus, sed quemadmodum per verbum Dei, caro factus seruator noster Iesus Christus, carnem & sanguinem pro salute nostra habuit: sic etiam per verbum precationis, & gratiarum actionis sacratam ab ipso alimoniam, quae mutata nutritet nostras carnes & sanguinem, illius incarnati Iesu carnem & sanguinem esse didicimus (nostra translatio habet: Sic etiam cibum, qui per preces sermonis, quae ab eo accepimus, consecratus est, & quo sanguis, carnesque nostrae comunione aluntur, Iesu Christi, eius qui homo factus est, & carnem esse & sanguinem accepimus.) Quae quantum differant a sensu Illyricanae versionis, perspicuum est: & ea quae mox subiiciuntur, satis ostendunt nostram lectionem synceram esse, quae non de verbo precum & gratiarum actionis, sed de sermone, & verbis certis a Christo institutis & acceptis agit: neque de alimonia ab ipso Christo sacrata, sed de cibo verbis a Christo traditis, ab ipso praesule coetus consecrato. quod ex subiunctis patet. Nam Apostoli in suis scriptis, quae vocantur euangelia, sic sibi mandasse Iesum tradiderunt: eum sumpto pane, actisque gratis, dixisse: Hoc facite in mei memoriam. hoc est corpus meum.

O o iij Simi-

Similiterq; sumpto poculo, actisq; gratijs dixisse: Hic est sanguis meus. Hactenus Iustinus.

Hic iam vociferatur aduersarius, *vehementissime se mirari, ausum me fuisse hanc ipsam Iustini descriptionē pro missa citare, cum nec vnica syllaba indicet tunc fuisse vllam missam, eamve habitam fuisse pro sacrificio propitiatorio.*

Audi bone Illyrice, efficiam vt iure mirari definas. Est enim & hoc Iustini testimoniū potentissimum aduersus tuas calumnias. Confiteri itaq; cogeris, in ista Iustini descriptione omnia conuenire cum lyurgia & missa nostri temporis, præter oblationem & sacrificium panis & poculi eucharistici. In quo rectè intelligis definitionem missæ potissimum positam esse. Nam nihil excipis aliud. Sed iam quæso te, dic quidnam sibi velint illa verba: panē & vinum aqua dilutum, cum gratiarum actione cōsecrata esse? (quæ verba tu quidem non sic reddis, sed verè sic scripta esse interpres antiquus declarat) deinde & illa: cibum per preces sermonis, hoc est, verborum, quæ à verbo Dei, homine Iesu Christo accepimus, consecratum videlicet ab eo, qui conuentui fidelium præsidet (quæ etiam verba tu prorsus deprauas.) sed subiuncta narratio de mandato Apostolis dato à Christo, vt sic facerent, suâ scilicet vice & exemplo, vt loquitur Cyprianus, ita legendum esse planè conuincit.

Rursus quid sibi vult quod dicit Iustinus: Apostolos in cōmentarijs suis euangelicis tradidisse, Christū accepto pane cum gratias egisset, dixisse;

dixisse: hoc facite in meam cōmemorationem. hoc est corpus meum. Similiter dixisse, accepto poculo, cū gratias egisset: hic est sanguis meus?

Iterum quid sibi vult quod dicit: Cibum, qui per sermonem à Christo traditū consecratus est, Iesu Christi, qui homo factus est, carnem & sanguinem esse, secundum traditionē apostolorum?

Postremò quod dicit: vinum adferri, & aqua vinum dilui, atque hunc cibum cum gratiarum actione consecratum, eucharistiam nominari: non autem, vt tu vis, eucharistiam esse, preces, & gratiarum actionem. An non in hac descriptione tota nostræ missæ substantia consistit? Nam de perceptione & distributione consecratæ eucharistiæ, simulque de doctrina & precibus ante consecrationem, nulla inter nos controuersia est. Sed dicis, *nullam in tota descriptione fieri mentionem oblationis aut sacrificij.* At Illyrice, iam iam clarissimè tibi ostendi, oblationē & sacrificium, hostiam & victimam à Iustino sub consecratione, verbis Christi & eius præcepto facta (quod ijs verbis continetur: hoc facite in mei memoriam) comprehensam esse, dum sic scripsit: De hostijs, quæ à nobis gentibus Deo vbique offeruntur, id est, de pane eucharistiæ, & poculo similiter eucharistiæ, tum prædicit, cum ait: A nobis nomen suum gloria affici, à vobis autem pollui. Et paulo superius: Atque etiam vacca, quæ pro ijs qui elephantia expiarentur, immolari iussa est, figura erat, & quoddam simulacrum panis Eucharistiæ,

O o iij quem

*In dialogo
quod cū triphone
aduersus latinos.*

quem mortis suæ recolendæ causa faciendum tradidit, vt Deo gratias agamus. ac rursus : Sacrificia , quæ suo nomine facienda Iesus Christus tradidit, id est, in eucharistia panis & poculi, in omni loco à Christianis sunt. Vides Illyrice, hostiam quoque, de qua Malachias prophetauit, non esse hostiam laudis & gratiarum actionis, sed esse hostiam & oblationem eucharistiæ in pane & vino institutam , vt per eam Deo gratias agamus .

Postremo disertissimè tradit Iustinus in dialogo cõtra Iudæos, Sacrificium eucharistiæ panis & poculi, Christum patri obtulisse, tanquam sacerdotem æternum ordinis Melchisedecini, & tradidisse, vt suo nomine idem facerent apostoli, ipsi quoq; ab eo constituti sacerdotes vice eius secundum ordinem eundem.

HÆC cùm ita se habeant , desinis confido admirari, quod descriptionē Lyturgiæ à Iustino in Apologia 2. pro Christianis extantem , pro missa producere fuerim ausus. quæ tam diserte congruit cum actione Missæ nostræ (quam tu tam scurriliter & blasphemè insectaris) vt nisi malitia te excæcarer, agnito peccato tuo , Deo gloriam dares , & ad veritatis doctrinam te conuerteres .

Quod autem cauillaris de oblatione Missæ pro peccato, aut de sacrificio propitiatorio: non iam agimus de sacrificio propitiatorio , aut pro peccatis. Sufficit impresentiarum demonstrasse perspicuè & solidè, quod Iustinus Apostolis vi-

cinis-

cinissimus testetur & doceat, sacrificium eucharistiæ panis & vini, eius ætate fuisse habitum pro vero sacrificio , veraque oblatione hostiæ Deo gratissimæ: atque vnicum hoc sacrificium in locum veterum & Aaronicorum sacrificiorum surrogatum esse, atque hoc sacrificium esse secundum sacerdotium ordinis Melchisedech, à Malachia prædictum.

Stat ergo vtrumque testimonium Iustini firmum & immotum pro Missæ sacrificio contra calumnias Illyrici : atque adeo factum est vtrumque multo illustrius, dum per Illyrici cauillationes atteri visum est . Quare obsecro te Christiane frater per æternam salutem , vt in doctrina de Missæ sacrificio , quam in Ecclesia didicisti , firmus semper & stabilis persistas, atque omni studio blasphemos istos hæreticos deuites .

Restat iam defendenda Dionysij Areopagitæ sententia aduersus oppugnationem inanem Illyrici.

Citaueram quoque sententiam Dionysij Areopagitæ Pauli discipuli, ex lib. de ecclesiastica hierarchia. Post sacras verò diuinorum operum laudes, quod hostiã salutarem, quæ super ipsum est, litet, se excusat, ad ipsum primum reuenter exclamans: Tu dixisti, Hoc facite in meam commemorationem .

Hic rursus cauillatur, *hunc locum studio deprauatum esse*. Reijcit itaque & refecat verba illa duo, hostiam litare, hoc est, hostiam immolare & sa-

O o v cxiij.

Dion. Areop. sententia excutitur & defenditur.

crificare. quod sane ei faciendum fuit (nam luculentissimè oblationem & sacrificium significant) quando semel constituit cor suum obdurare aduersus veritatis testimonia. Afferit autem sic vertendum fuisse: Quocirca reuerenter simul & ex officio, post sacras diuinorum operum laudes, de sacra actione, quæ supra eius dignitatem est, se excusans, ad ipsum primò decenter exclamat: Tu dixisti: Hoc facite in mei memoriam.

Respondeo, tibi quidem videri ita vertendum fuisse: at secus visum est catholicis interpretibus, qui ante vestram hæresin exortam constanter verterunt, hostiam litare, id quod tu vertis, sacram actionem: tanquam exprimentes, quam sacram actionem sanctus martyr intelligeret.

Ego sane cùm perquirerem de versione sententiam Græcæ literaturæ peritissimum virum, D. Theodoricū Langium, publicū professorē in nostra Academia: ab eo intellexi, veteres interpretes verissimum sensum Dionysii reddidisse, quid sibi vellet Græca vox *λειτουργία*, per circuitionem declarantes, ac sic ad verbum vertendum esse. Quapropter reuerenter pariter, & vt hierarcham decet, post sacros diuinorum munerum hymnos, de ipsa hostia, quæ pro ipsis scilicet offertur, se excusat. Græcè enim legi, non quæ super ipsum, sed super vel pro ipsis. Sed vt de versione non contendamus, ipsam sacram actionem, quam intelligit Dionysius

nysius, ipsam oblationem, ipsumque sacrificium comprehendere constat: quia sacra actio, de qua agitur, posita est in sacris mysterijs conficiendis & celebrandis, in visibilibus signis, idque ex traditione diuina, & in memoriâ mortis atque aliorum beneficiorum Christi. vt ex iis quæ mox subiicit Dionysius, videre licet. Deinde tanto ministerio, inquit, dignus fieri postulat, & similis ipsi Christo pro viribus euadere, vt & sacramenta sancta conficiat, & castè distribuat. Porrò commemorationem beneficiorum Christi, mortisque eius pro nobis exhibitæ, duobus modis fieri iugiter & innouari dicit, videlicet sacerdotalibus prædicationibus, atque etiam sacris mysterijs. Palam itaque insinuat sacram actionem consistere in consecutione & consecratione mysterii: quæ sit veluti prædicatio quædam, renouatio, & representatio mortis & oblationis Christi in cruce. Ex quo manifestum est, quod secundum Dionysium diuina & veneranda mysterii consecutio & consecratio, sit quoddam sacrificium, & quædam oblatio mystica, secundum ordinem sacerdotij Melchisedech, incruentè & mysticè representans cruentam illam in cruce oblationem. Nisi enim consecratio illa oblationem comprehenderet, certè oblationem & sacrificiū Christi non representaret ac renouaret, tanquam quædam prædicatio opere mysterii, quod sacerdotalis prædicatio opere vocis facit. Et sanè cùm disertè dicat Dionysius, quod venerandus

anti-

antistes diuina mysteria consecrat, ob diuinum illud mandatum : hoc facite : id est, consecrate mei vice, & meo exemplo, diuina mysteria : satis significat antistitem consecrare & conficere sacra mysteria, tanquam sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, & sacrificium offerre Deo gratum, in eucharistia panis & vini. vti semper loquitur Iustinus. Ex quo constat, Dionysium sub consecratione mysteriorum, vice & exemplo Christi facta, comprehendere veram rationem sacrificij & oblationis. Quod palam significat vetus Catholicorum versio, quæ hostiæ litandæ, hoc est, immolandæ & sacrificandæ diserte mentionem facit.

Quoniam verò satis animaduertit, lectorem Christianum non statim fidem habiturum ipsius propriis versionibus, pugnantibus cum receptissimis catholicorum translationibus, ad vetus illud & hæreticis familiare asyllum confugit: videlicet, *Libros illos diuinos plane & caelestes non esse Dionysii illius Areopagitæ, Pauli discipuli: sed recentioris alicuius, cuius auctoritatem contemnere possit.*

Verum aduersus hanc foedam calumniam extant catholicorum scripta, in quibus firmissimis rationibus asserunt hos libros Dionysio Areopagitæ, & Illyrici ac aliorum cauillationes & friuolas coniecturas confutant. Neque de ea re digladiari hic permittit nostrum institutum. Satis enim intelligit Christianus Lector, reuera opprimi aduersarium tanti viri auctoritate, quando

quando cernit ineptissimam illam cauillationem tanquam in causa deplorata adhiberi: librum, vnde propositum est testimonium, non esse authenticum, sed supposititium, aut certe falsum nomen præferre.

Cernis iam satis Illyrice luculentum mendacium tuum, quod hic scribis, me ipsum confiteri, Dionysium & Iustinum describere & testari, apud ipsos nihil in vtu fuisse quam communionem. Iam enim solide demonstrauimus & perspicue, vtrumque eorum sub consecratione diuinorum mysteriorum (facta scilicet à sacerdotibus secundum ordinem Melchisedech) comprehendere veram sacrificij & oblationis rationem.

Postremò quod hic iterum intempestiue cauillaris, quod *Dionysius & Iustinus nihil dicant de sacrificio pro peccatis totius mundi, pro redemptione animarum ex purgatorio, pro viuis & mortuis, & denique pro omnibus necessitatibus, & rebus impetrandis, supra respondimus, impresentiarum satis esse nobis, quod per testimonia vetustissimorum scriptorum & martyrum euicerimus: Actionem missæ, esse verum sacrificium. De virtute autem & efficacia istius sacrificij alibi dicendum est. Stat igitur & Dionysij testimonium firmum, stabile & immotum, potenter prosternens mendacia, blasphemias, & calumnias Illyrici.*

Postremo loco, ad statuendum missæ sacrificij & oblationis, protuli testimonia ex concilijs celeberrimis, Nicæno & Ephesino. In quibus

Defendum
tur testi-
monia cō-
ciliorū, Ni-
cæni & E-
phesini.

quibus disertissime asseritur, incruentum ecclesiae sacrificium, dum dicitur, quod non diaconi, sed presbyteri soli habent potestatem offerendi, quod de qua oblatione dictum sit, mox disertè explicatur, dum mox subiicitur: Presbyteri offerunt corpus Christi (vides cuius rei oblationem asserant Nicæni patres) diaconi autem offerunt, seu porrigunt corpus Christi populo. Et rursus: Fide intelligamus, situm in sacra illa mensa, agnum illum Dei, tollentem peccata mundi, incruentè à sacerdotibus immolatum. Et in concilio Ephesino Cyrillus inquit: Incruentam celebramus in ecclesijs sacrificij seruitutem, & ad mysticas benedictiones accedimus, & sanctificamur, participes sancti corporis & pretiosi sanguinis. Obsecro te per tuam salutem Christiane lector, an possit clarius, expressius, disertius, & euidentius incruentum missae sacrificium astrui & confirmari? Sed quid? An his potentissimis & patentissimis testimoniorum tonitruis & fulminibus superatus, cedit veritati Illyricus? Minime gentium. Sed satanae haud dubiè suggestione argutias & cauillationes sceleratè excogitat, quibus non hæc tantum luculentissima conciliorum œcumenicorum testimonia, sed omnia omnino patrum testimonia eludat, quæcunque veritati patrocinari, & suo blasphemio errori aduersari viderit.

Cauillat. scelerata Illyrici. Non est, inquit, inter nos & Papiſtas certamen, An vlllo ſenſu veteres vocauerunt ſacram communionem, oblationem & ſacrificium: ſed an habuerunt opus quoddam

quoddam à ſacra communionem planè diuerſum, quod ſacrificij ſeparatim, ac pro ſe ſoliti ſunt Deo offerre. Quin etiam ipſe aduerſarius ſuprà recitauit definitionem ſacrificij ex Auguſtino, quod videlicet ſit omne opus, quod agatur, vt ſancta ſocietate Deo inhaereamus: ſecundum quam definitionem certiffimum eſt ſacram communionem eſſe veriſſimum ſacrificium. Talia verò testimonia nobis tum ex vetuſtate patrum, tum ex ſcriptura proferant, ſi ſua miſſam obtinere volunt. Si quis igitur vult, inquit, deuſitare Papiſtarum impoſturas, citantium patres de ſacrificio & oblatione loquentes, diligenter obſeruet, eos longe in alio uſu hiſce vocibus uſos, quam nunc Papiſta eis abutantur. Quin etiam, inquit, in ipſo nouo teſtamento tales plurimæ catachreſes harum vocum ſunt, vt cum Paulus ſe ſacrificare euangelio ſcribit, & cum iubet vt ſinguli ſua corpora offerant in hoſtias rationales, & alias ſepiſſimè.

Ad ſceleratas has, & plane ſatanicas argutias *Dilutio.* & cauillationes diuinæ doctrinæ, Reſpondemus: Nos non de communionem ſacra, qua poſt preces & gratiarum actionem participant fideles de menſa Domini, ſed de ipſa veri corporis & ſanguinis Chriſti oblationem & ſacrificio, antequam ad participationem vel ſacerdos, vel populus accedat, agere. Atque hanc nos dicimus eſſe veriſſimum & ſanctiſſimum miſſæ ſacrificium à Chriſto inſtitutum, & apoſtolis traditum atque mandatum, & per ipſos eccleſiæ uſque ad Domini aduentum, iuxta clariffima Pauli verba: Mortem domini annuntiabitis, donec veniam. Hæc autem clariffimis testimonijs comprobauimus. Presby.

Presbyteri offerunt corpus & sanguinem Christi. A sacerdote, agnus ille immaculatus, tollens peccata mundi, incruentè in mensa illa sacra immolatur. item: Incruentam in ecclesijs celebravimus sacrificij seruitutem. item: Melchisedech in typo Christi, panem & vinum obtulit, & mysterium Christianum in saluatoris sanguine & corpore dedicavit. rursus: Christus ipse de corpore suo & sanguine suo instituit sacrificium secundum ordinem Melchisedech. rursus: Antè agnus offerebatur, offerebatur vitulus nunc Christus offertur, & offert se ipse, quasi sacerdos. rursus: Mediator ipse novi testamenti, mensam exhibet secundum ordinem Melchisedech, de corpore & sanguine suo. Id enim sacrificium successit omnibus veteribus illis sacrificijs, &c. item: Christus eum, qui ex creatura panis est, accepit, & gratias egit, dicens: Hoc est corpus meum: & novi testamenti novam docuit oblationem, scilicet in qua corpus eius & sanguis sub symbolis panis & vini offertur. item: Dominus noster Iesus Christus sacrificium Deo patri obtulit, & obtulit hoc idem quod Melchisedech, id est, panem & vinum, suum scilicet corpus & sanguinem, & hoc fieri in sui commemorationem præcepit. rursus: Cùm sacrificium commutaret, pro brutorum cæde, se ipsum offerendum præcepit. item: Quemadmodum Melchisedech, qui sacerdos gentium erat, nusquam videtur sacrificijs corporalibus functus, sed vino solo & pane: ita sanè primus ipse

1. Cor. 11.

In Conci. Niceno. In concil. Ephesino. Hiero. ad Marcellū. August. in Psalm. 33. conc. 2.

Ambr. li. 1. offi. ca. 4. August. de ciuita. Dei li. 17. c. 20. Ireneus. Cypr. li. 2. epist. 3. Chrysost. in 1. ad Corin. ca. 10.

Euseb. li. 2. demonst. euang. c. 3.

Aug. epist. 23. ad Bonifacium.

August. de ciuita. Dei li. 22. ca. 8.

ipse saluator ac dominus noster, deinde qui ab ipso profecti sunt sacerdotes, in omnibus gentibus, spirituale sacerdotij munus obeuntes vino & pane, & corporis illius & sanguinis mysteria repræsentant. rursus: Nonne semel immolatus est Christus in seipso? & tamen in sacramento non solum per omnes Paschæ solennitates, sed omni die populis immolatur. rursus: Perrexit vnus ex presbyteris, obtulit ibi sacrificium corporis Christi. item: Sacerdos immolat Christū, & sacrificat. Et innumera sunt sanctorum patrum testimonia, quibus astruunt disertissimis verbis, non solum communionem sacræ cœnæ, sed etiam oblationem, immolationem & sacrificium corporis & sanguinis domini, sub pane & vino, hoc est, sub panis & vini symbolis, idq; per sacerdotium secundum ordinem Melchisedech. In quibus testimonijs quo sensu vsi sint vocibus, sacrificij & sacrificare, euidentissimum quoque est: & similiter cuius rei oblationem intelligant, disertissimè explicant: nempe ipsius Christi, ipsius corporis & sanguinis. Apage sis igitur nefarie cauillator cum tuis cataphresibus & metaphoris, quæ vbi locum habere possint, ex ipsis circumstantijs distorum satis colligi & intelligi potest. Porro luce meridiana clarius patet, quod nullum habeant locum in hac causa, & in istis testimonijs, nec in vllis, vbi disertè mentio fit sacrificij, secundum ordinem Melchisedech, in eucharistia panis & vini, item oblationis panis & vini, in

Theophylact. in ca. 5. Lucæ.

Ambr. in fine 4. lib. de sacramentis.

sacramentum corporis & sanguinis Christi, vt ait Ambrosius, transformandi, etiam si fortasse in aliquibus sententijs abutantur voce, sacrificare, authores, pro sacram actionem precum aut communionis exercere.

Porrò non possum non vehementissimè admirari, quod non vereatur Illyricus sententias clarissimas beati martyris Cypriani ad confirmationem suæ commentitiæ catachreseos citare, idque eas, in quibus non posset magis proprijs verbis, proprius verbi vsus notari. Nam in epistola 3. lib.2. quam citat, & quam nos quoque citaueramus, plus decies proprijsimè ponitur verbum sacrificandi vel offerendi.

In lib. 2.
epist. epistol. 3.
Cypriani.
decies &
quinquies
repetitur
vox oblationis &
sacrificii
proprio
significatu.

1. In calice offerendo dominica traditio feruetur. 2. Calix, qui in commemorationem offeretur. 3. Mixtus vino offeratur. 4. In sacerdote Melchisedech sacrificij dominici sacramentum præfiguratum videmus. 5. Sacerdotium secundum ordinem Melchisedech. De sacrificio Melchisedech. 6. Christus sacrificium Deo patri obtulit, idem quod Melchisedech obtulerat, id est, panem & vinum. suum scilicet corpus & sanguinem. 7. Præcedit antè imago sacrificij, in pane & vino scilicet cõstituta. 8. Quam rem perficiens & adimplens dominus, panem & calicem mixtum vino obrulit, & veritatem præfiguratæ imaginis adimpleuit. 9. Inuenimus calicem mixtum fuisse, quem dominus obtulit: & vinum fuisse, quod sanguinem suum dixit. Vbi disertissimè dicit, quod calicem, quem

quem in coena gratijs actis benedixit, obtulit. 10. In sacrificio, quod Christus ipse est, non nisi Christus sequendus est: & faciendum est quod Christus fecit, & quod faciendum esse mandauit. 11. Iesus Christus, ipse est summus sacerdos Dei patris, & sacrificium Deo patri ipse primus obtulit, & hoc fieri in sui commemorationem præcepit. 12. Sacrificium verum & plenum tunc offert sacerdos in ecclesia Deo patri, si sic incipiat offerre, secundum quod Christum ipsum viderit obtulisse. 13. Post cœnam, mixtum calicem obtulit dominus. 14. Mixtum calicem & nos offeramus. 15. Christum offerre oportebat circa vesperam diei.

Has luculentissimas Cypriani sententias eludere se posse putat impius homo, & peruertere per suam catachresin, (si dijs placet) ex vnica sententia, quæ in eadem epistola posita est: Passio est domini, sacrificium quod offerimus: cum sui dicti intelligentiam Cyprianus clarè expresserit. quia scilicet passionis eius mentionem in sacrificijs omnibus facimus.

Non igitur passio Christi, est ipsum sacrificium: sed quia passionis commemoratio in sacrificio fit, ideo vocatur sacrificium. & sanè Christus ipse, vt passus est, ipsissimum est sacrificium. Vnde ritè dicere potuit Cyprianus: Passionem Christi, esse sacrificium quod offerimus. Et verissimum est, quod eucharistiam celebrare, & communionem corporis &

sanguinis domini dispensare, vocat offerre calicem, & offerre panem, quia eucharistiæ confectio & celebratio verè consistit in oblatione panis & calicis transformandi, vt ait Ambrosius, in corpus & sanguinem domini, & postea populo distribuendi.

Cypr. lib.
3. epist.
epist. 14.

Quod postremò dicit, Cyprianum libro 3. cap. 14. indicare, sacrificandi vocabulum generaliter apud veteres acceptum fuisse pro sacrum offerre, & reprehendere quosdam, qui pro lapsis sacrificabant ac offerebant: *Hoc est, inquit, qui apostatis communionem corporis & sanguinis dabant, & eucharistiam illis celebrabant*: non comperiet lector in ea epistola aliquid dici de celebratione eucharistiæ: sed tantum quod lapsi intempestiuè ante legitimam satisfactionem, ius communicationis acciperent, & illis eucharistia daretur. Sed sanè eucharistia, quæ illis dabatur, sacerdotis ministerio consecratur, & offerebatur, aut prius oblata erat. Et extat insignis epistola Cypriani libro 1. epist. 9. in qua cõstituitur, vel potius quod constitutum fuerat obseruari mandatur, vt non offeratur sacrificium pro eius dormitione, qui ausus fuisset clericum, actorem vel gestorem suarum rerum scribere & constituere. vbi apertissimè mentio fit sacrificij & oblationis altaris pro dormientibus.

Euseb. sen-
tentia in
libris de
præparat.
Euag. g.

Simili fronte audet & Eusebij sententias proferre, quasi ille quoq; vocabulo sacrificij generaliter tantum vtatur, pro sacras preces, aut sacras

sacras actiones Deo offerre. Sed si placeat lectori legere Eusebij libri 1. demonstrationis euangelicæ cap. 10. item caput vltimum eiusdem libri. item lib. 5. cap. 3. item lib. 8. cap. 2. comperiet & cernet clarissimè, Eusebium disertissimè de vero & proprio sacrificio panis & vini secundum ordinem Melchisedech in præfigurationem veri sacrificij Christi in corpore & sanguine, sub pane & vino transmutatis, locutum esse.

Quod rursus scribit, *meipsum supra recitasse generalem definitionem sacrificij ex Augustino, per quam omne opus bonum in gloriam Dei factum, sacrificium est, quasi per eam defendere vellem, eucharistiæ celebrationem & confectioem sacrificium esse, generali tantum significatione sacrificij*: luculentum mendacium est. Nam in Confutatione sic scripseramus: Ipsam consecrationem corporis & sanguinis ex pane & vino, ob Dei cultum & reuerentiam factam, habere sacrificij rationem, secundum definitionem illam Augustini, qua generaliter est sacrificium, omne opus quod agitur, vt sancta societate Deo adhæreamus, vrgere nolumus: sed ex euangelista Luca aliam rationem colligere studebimus. Quod ideo scripsi, quod non ignorarem Lutherum cum suis discipulis, & cum Illyrico de generali ista acceptione sacrificij valde gloriari, & per eam patrum sententias eludere & cauillari.

Quæ denique de sacrificio propitiatorio cauillatur, hoc loco refellenda non duximus.

FILIVS Dei hostes suos horribiliter tremendum altaris sacrificium profanâtes & conculcantes, inexhausta & incomprehensibili bonitate ac clementia sua compellat, vel rebelles ad agnitionem veritatis, & legitimam pœnitentiam: aut si secundum secretum & tremendum iudiciû iustitiæ suæ dati sunt in reprobum sensum, potenti virtute sua eos reprimat, & ab eis liberet ecclesiam suam. Amen.

Confutatio defensionum, quibus Illyrius defendit probationem ne ipsius confessio vis cõtra Catholicas confutationes.

HISCE ineptissimis sophismatibus & cavillationibus, quæ contra missam produxit aduersarius, confutatis, nunc ad defensiones rationum & arguuntorum ipsius Confessionis à nobis confutatarum excutiendas & confutandas progrediamur.

Prima probatio erat: Omnis cultus carens mandato Dei, est impius. Certum verò est, Missam carere mandato Dei. Nam qui contendunt Christum in illis verbis: hoc facite in mei memoriam: instituisse sacrificium Missæ, manifestè pugnant cum ipso textu, &c.

Hic ego primum ostendi, quàm vanû & falsum sit hoc paradoxon: Omnè cultum carètem mandato Dei, esse impium: tum per sacrificium Abelis, tum per votû Iacob, per Dauidè volentem sine vilo mandato ædificare templum, per Rechabiras, per Mardocheum & Machabæos, per Annâ Prophetissam, per Ioannè Baptistâ, per Magdalenam. sicut videre licet in Cõfutatione.

Audi iam lector Illyrici cauillationes: *Contrà*, inquit, *profert sacrificium Abel, & votum Iacob.*

cob. de quibus illi mandatum nullum habuerunt. Verum nec probat, nec probare unquam poterit, nullum plane mandatum tunc temporis fuisse à Deo datum de tabulis culcibus.

Respondeo Illyrice: A te iure exigi probationem eius quod affirmas, & constituis. Cùm igitur dicas: omnem cultum non habentè mandatum Dei, esse impium: porro Abelis & Iacobi cultus confitearis non fuisse impios, sed Deo acceptos, nisi id probes, quod mandatum Dei habuerint, falsitatis conuincitur tuum illud paradoxon. At verò vnde probare possis, quando de mandato Dei patriarchis illis facto nihil tradit scriptura? Rectius ergo ego statuo, non habuisse eos mandatum à Deo, ex scripturæ de ea re silentio. Per has igitur exceptiones duas elisa est veritas tuæ vniuersalis propositionis, donec è cœlo probationem mandati adferas.

Sic etiam, inquit Illyricus, falsissimum est, nullum fuisse mandatum de templo ædificando. nam certe in libris Mose aliquoties prædicitur, vt sit etiam Deuteronomij 17. Deum sibi stabilem quendam locum cultus in terra promissionis electurum.

Respondeo, in Deuteronomio non aliud scribi, quàm quod locum electurus esset, in quo constitueret cathedram iudicij supremam: ne verbum autem vnum scribitur de templo aliquo ædificando, in quod arca domini inferretur. Sane 2. Regum cap. 7. apertè significat, nihil Mosen de ædificando aliquo tẽplo scripsisse. Nunquid loquès locutus sum, inquit Dominus

Pp iiij per

Dilutio.

2. Cauillatio.

per Nathan ad David, ad vnam de tribubus Israel, cui præcepi vt pasceret populum meum Israel, dicens: **Quare non ædificastis mihi domum cedrinam?**

2. Reg. 7.

3 *Cauilla*
latio.

Sed aliam solutionem adfert, cum vtramque superiorum sciret inanem esse. *Sed & illud, inquit, discrimen diligenter obseruandum est, quod sapissimè dicit Moyses Deuteron. 12. alias non eandem fore licentiam agendi, quod cuique bonum in oculis suis videtur, postquam plenè constituta fuerit religio sicut antea, sicut postea per apostolos, plenissimè sacra doctrina est tradita.*

Dilutio.

Concedit ergo Illyricus, ante tempora saltem apostolorum, à quibus plenè constituta est religio, licuisse aliquos cultus non mandatos obseruare. At hoc discrimen euertunt exempla cultuum sine mandato, ex euangelicis literis desumpta. de quibus mox dicetur.

Cauilla
2.º.

Addit adhuc Illyricus: *Postremò vt maximè illi tanti patriarchæ & prophetæ, quibus Deus multa interius in corde eorum reuelabat, aliquid sine expressissimo mandato fecissent, an propterea mox idem alijs longè minoribus homuncionibus concedendum esset?*

Dilutio.

Respondeo, internam reuelationem expresse eis factam esse de cultibus, de quibus agitur, probare debes, si vis tuam vniuersalem sententiam veram esse. quod nunquam te facturum esse ipse tu non dubitas.

1.º. *1.º.*

2.º.

3.º.

Quod ad Rechabitarum formam viuendi pertinet, Respondeo, earum politiam fuisse merè externam quandam ordinationem, & nequaquam propriè ad cultum Dei directam. Quo tamen eorum vitæ exemplo abusus est

est Deus ad exprobandum suo populo negligentiam suarum ordinationum. Sicut & villici iniquitatis exemplum proposuit, non tamen simpliciter, sed solum respectu quodam probauit.

Audire ne tibi videris Christianè lector Iouinianum quendam, qui olim docebat: Nihil prodesse ciborum abstinentiam ad pietatem: nec inter abstinentem à cibo, & inter vrentem discrimen esse? Nam iste quoque palam affirmat, abstinentiam à vino, item fugam secularium tumultuum, amoremque solitudinis, propriè ad pietatem & Dei cultum non pertinere, quando etiam ob Dei cultum commodiorem, expeditiorem & liberiorem fiunt. Nam ea externa exercitia, tanquam instrumenta quædam ad sanctius, perfectius & expeditius Deo seruiendum amplexos esse Rechabitas, liber Regum quartus satis testatur. vbi zelum Iehu regis describens, ipsius quoque Ionadab filij Rechab zelum depinxit. Et de Rechabitarum origine sic scribunt Hebræi: Familia Rechabitarum secundum Hebræos descendit à Ietro socero Moysis. Qui quidem de filijs Israel non erant, cultores tamen vnius veri Dei erant, non fixo aliquo loco consistentes, sed ex animalium pastura victitantes more veterum, tentoria habitantes facile transmutabilia, paucis contenti, & luxum, fastumque mundi nihili habentes. Zelosi & fideles cultores Dei veri, idolorum & Baalam culturæ hostes non segnes. Non parvæ autoritatis & existimationis erant apud Iu-

Responso.

4. Reg 10
Pellicanus de Rechabitarum origine.

dæos, vt patet 4. Reg. cap. 10. Vides lector falsissimum esse, Rechabitarum institutū, fuisse ordinationem merè externā, & politicā, & propriè ad Dei cultū non spectantem. Audis enim, hoc institutū factum esse propriè & directè ad liberiorē & expeditiorē Dei seruitutem. Quod & Ieremias quoq; satis testatur, dū in fine capitis, quo de Rechabitis agit, pro cultu Dei secūdum illud institutū, prēmium promittit & constituit: Propter hoc, inquit Propheta, dicit Dominus exercitū Deus Israel, non deficiet vir de stirpe Ionadab filij Rechab, stans in cōspectu meo cūctis diebus. Impiè igitur cauillator institutū Rechabitarū, quod expresso Dei mandato caruisse certū est, & tamē Deo perplacuisse, extenuat & suggillat, vt bellū suū paradoxon confirmet: Omnē cultū carentē Dei mandato, impiū esse.

De Anna prophetissa, quæ scribitur seruisse Deo in ieiunijs & obsecrationibus die ac nocte: Et de Magdalena, quæ scribitur vnxisse pedes domini, & lachrymis rigasse, & capillis terfisse, de quibus mandatum nullum eis factum extat: Respondet, *Annam habuisse mandatū colendi Deum precibus, cū nihil magis à Deo exigatur, quàm vt eum perpetu innocemus & celebremus. Magdalenam quoque habuisse mandatū vnguendi pedes domino, cū id fuerit opus charitatis.*

Nos Illyricè ab Augustino didicimus, Præceptum suè mandatū hoc esse, cui non obedire peccatū sit. Consilium verò, quo si vti nolueris, minus boni adipisceris, nen mali aliquid per-

perpetrabis. rursus: Præcepto quisquis non obteperat, reū esse, & debitorē pœnæ. Cū igitur clarè cōstet, neq; Annā peccati alicuius ream futuram esse, si inuocasset quidem Deū, nō tamen in ieiunijs, neq; per diem & noctem. Similiter neq; Magdalenam, etiā si tanta humilitate, tantaq; lachrymarū profusione Christi pedes non rigasset, neq; crinibus terfisset, euentissimum est, eis hæc officia nō fuisse mandata & præcepta. Est igitur falsum, & ex hac exceptione paradoxon Illyricanū: Omnē cultū impiū esse, qui caret expresso mandato & præcepto Dei.

Postremò quod adduxeram de Ioanne Baptista, eum quodā instituto seuerissimo vitæ coluisse Deum in solitudine, semotum à populo (vt olim Rechabitæ semoti ab vrbibus habitabant in tabernaculis) sine vllō expresso mādato. Audi quæso quid cauillatur, aut potius mētitur: *Negat, inquit, Baptista fuisse datum mandatū: cū expresse contrarium initio tertij capitis Lucæ legatur: nempe factum esse verbum domini ad Ioannem.*

Considera quæso lector impostoris huius studiosam malitiā. Cū nō ignoret de mādato agi, quo præceptū foret Ioāni secedere in desertū, & austerā illā viuēdi formā assumere, quā describūt euangelistæ: ipse producit nobis (si dijs placet) verbū Domini, quod factū est ad Ioannē in deserto: videlicet vt inchoaret prædicandi officiū, iuxta quod mandatū ipse cōtinuo exijt in omnē regionē Iordanis, prædicās baptismū pœnitentiæ.

Constat igitur clarissimè, sine vllō mandato Dei,

August. de
sancta vir-
ginitate, c.
14. & 15.

Matth. 3.
De institu-
tū Ioā-
nis Bapt.

Cauilla-
tio.

Dilutio.

Jerem. 35.

Cauillat.
de Anna
& Mag-
dalena.

Dilutio.

Dei, Baptistam feuerioris vitæ formam ample-
xum fuisse, per quam purè & syncerè Deum co-
luerit. Quare ex hac quoque omnium euiden-
tissima exceptione bellum illud paradoxon e-
uertitur, ac falsum conuincitur: Omnem cul-
tum, qui Dei mandato, eoq̄ue etiam expresso
caret, esse impium.

Hester 9.
1. Mach. 7

Proposueram quoque, solennitates publicas
ad Dei cultum instituisse Mardocheum & Ma-
chabæum, sine vlllo expresso mandato. Ad eas
cùm non haberet quod responderet, callidè eas
præterit. nisi fortè pro authenticis non habet,
quæ in libro Hester, & in libris Machabeorum
scripta sunt. Sed nobis sanè satis, quod solen-
nitatem enceniorum à Machabæo institutâ ob-
seruare & approbare Christus ipse dignatus sit.

Ioan. 10.

HÆC cùm ita sint, audi quæso lector im-
pudentissimam conclusionem Illyrici.

*Negando igitur, inquit, hæc tam manifesta, nihil
aliud facit, quam vt studium tuendi pessimam causam
contra conscientiam omnibus declaret.*

At multo rectius & verius concluderim ego:
Cùm manifestissimū sit ex propositis exceptio-
nibus, firmissimis & euidētissimis, cultus va-
rios carentes Dei mandato & præcepto, tan-
quam pios cultus Deo placuisse: nihil aliud fa-
cit Illyricus, paradoxon contrarium asserendo,
quàm vt pertinax studium cōtra conscientiam
tuendæ falsitatis omnibus declaret.

Cauillationem de verbis: hoc facite: puta-
mus in ipsa Confutatione abundè confutatam,
sed

sed quia eam rem tractandam reijcit in alium
locum, nos quoque ibi eius cauillationes excu-
tiemus, & confutabimus.

Secunda probatio Confessionis fuit, quod ista
iteratio sacrificij propitiatorij ac oblationis pro
peccato, testetur Christum nondum plenè &
perfectè sacrificasse, obtulisse, & perlitasse, secun-
dum doctrinam epistolæ ad Hebræos, cap. 10.

2. ratio
nis discus-
sio.

Responderam ex epistola ipsa ad Hebræos,
& epistola ad Romanos, clarissimè posse con-
futari hanc probationem. Scriptum enim esse
in illis epistolis, Christum post peractum crucis
sacrificium, introisse in ipsum coelum, vt appa-
reat nunc vultui Dei pro nobis, appareat autem
per hostiam suam, Christum quoque, eo quod
maneat in æternum, sempiternum habere sa-
cerdotium: vnde & saluare in æternum possit
accedentes per ipsum ad Deum, semper viuens
ad interpellandum pro nobis: denique Christi-
um esse ad dexteram Dei, ibique interpellare
pro nobis. Ex quibus scripturarum testimonijs
collegi, quod sicut oblatio illa, qua Christus se-
metipsum tanquam hostiam in coelo offert pa-
tri pro nobis, intercedens & interpellans, non
derogat sacrificio illi cruento crucis, nec arguit
impotentiam aut insufficientiã eius ad saluan-
dum electos: ita nec incruentum Missæ sacrifi-
cium, quo Christi hostia patri offertur in Missa,
quicquam derogat virtuti & efficaciz sacrificij
crucis, nec testetur aut coarguat inefficax illud
fuisse ad saluandum.

Hebr. 7.
& 10.
Rom. 8.

Hanc

Caullatio.

Hanc firmissimam rationē & responzionem audi quæso quomodo oppugnet, & eludere atque euertere studeat bonus Illyricus: *Verum est, inquit, dicitur quidem Christus perpetuo intercedere, sed nõ dicitur perpetuo offerre pro peccatis totius mundi, aut sacrificium propitiatorium iterare. Quare ingens discrimen est, quod Christus, noster perpetuus mediator, perpetuo pro accedentibus se fide, oret. quod licet etiam minimo Christiano in hac vita pro alio facere. Aliud verò est, sacrificium propitiatorum pro peccatis demò offerre. Nihil ergo prorsus valet illud sophística ad palliandum blasphemias Missæ, volentis tollere peccatum suo merito.*

Dilutio.
Ambr. li. 1
off. ca. 48.

Respondeo, discrimen quod confingit hic Illyricus inter intercessionem seu interpellationem Christi in cœlis pro nobis, & inter oblationem sacrificij propitiatorij Christi, ab ipso Apostolo Paulo manifestè reijcitur & evertitur, dum disertis verbis scribit: Christum introisse in ipsum cœlum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis: appareat autem per hostiam scilicet propriij sanguinis, cum qua semel introiuit in sancta. Dic iam, quæso te, Illyrice, quid apparere nunc vultui Dei pro nobis Christum, aliud est, quàm Christum offerre vultui Dei Patris hostiam illam crucis, & sanguinem illum in cruce effusum, hoc est, sacrificium ipsum crucis: omnemque eius in cœlis intercessionem & interpellationem fieri per oblationem sacrificij crucis? Cùm igitur mystica illa in cœlis oblatio Christi, qua semet-

metipsum tanquam sacerdos æternus hostiam iteratò patri offert, quam in cruce semel cruentè obtulerat, pulchrè consistat cum sacrificio crucis: sitque sacrificij crucis veluti applicatio quædam ad salutem electorum, cur non & incruenta oblatio, & mystica iteratio oblationis illius cruentæ, in cruce semel tantum peractæ, pulcherrimè consistat cum sacrificio crucis semel peractò? Et si attentius lector hanc ex Apostolo desumptam rationem consideret, perspiciet potentissimè subuersas esse calumnias vniuersas, quæ contra sacrosanctam missam ex iterationis inani fumo & caullatione obijciuntur. Si enim Christi in cœlis oblatio, qua haud dubiè hostiam illam crucis vultui Patris exhibet & offert, non repugnat virtuti, potentiæ, & sufficientiæ sacrificij crucis, sed magis valet ad fructum sacrificij crucis nobis communicandum & applicandum: quis nisi vel amens, vel impius sentire vel scribere audeat, quòd mysticum sacrificium Ecclesiæ, & oblatio, qua Christum in cruce oblatum iteratò, sed mysticè offert, derogat sacrificio crucis, & non valeat ad fructum sacrificij illius potentissimi in nos transfundendum? Ex quo etiam perspicuè intelligi potest, quod quemadmodum oblatio hostiæ Christi in cœlis, verè est expiatoria & propitiatoria, vtpote ea ipsa plane, quæ est in cruce oblata: ita etiam mystica, & commemoratiua Ecclesiæ oblatio, qua

qua secundum ordinem Melchisedech sub panis & vini symbolis, offert eam ipsam hostiam crucis, sit verissime hostia propitiatoria & expiatoria. Per hoc enim verè & propriè peccata expiantur, quod hostia crucis ad ea expianda applicatur.

Argutatio mea

Sed argutatur nefarius impostor: *Nos dicere, sacrificium Missæ, esse sacrificium commemorativum & representativum. Item esse sacrificium gratiarum actionis: & proinde nos profiteri, sacrificium Missæ non esse expiativum peccatorum, aut propitiatorium divina maiestatis.*

Responsio.

Respondeo, ex eo ipso quod sacrificiū missæ est sacrificium commemorativum & representativum sacrificij crucis, contrarium potius inferri, & concludi. Si enim est representativum illius potentissimi crucis sacrificij, exhibet illud, & offert illud Deo patri: quod quia valet ad remissionem peccatorum, & expiationem, & propitiationem, fieri non potest, quin sacrificium illud representans & exhibens, per illud quoq; valeat ad expiationem & propitiationem. Semper enim memori mente retinendum & considerandum est, quod vnica tantum est hostia, & oblationis quæ in cruce peracta est, & eius quæ fit in missa. Sed de hoc mox copiosius dicetur.

De iteratione sacrificij.

Dissolvens obiectionem, quam ex Paulo ad Hebræos 10. de iteratione, tanquam indice inefficaciæ primæ oblationis, confecerat Cōfessio, scripsi Paulum respicere propriè ad sacrificia pecudum: & ostendi Pauli ratiocinationem in ijs sacri-

sacrificijs valere. Hoc quidem probat Illyricus, sed addit: *Et tamen simul cogitur fateri eandem sententiam de iterationis vi, etiam in passione Domini.* Vbi quæso Illyrice? Inquit enim Fileranus: *Cum per crucis sacrificium facta sit remissio peccatorum, non est opus alio aliquo sacrificio, quo eadem impetretur. Alioqui prioris sacrificij insufficientia rectè cōvinceretur (hic nota lector dictum esse, alio aliquo sacrificio) atq; hoc verissimum esse constat ex Apostoli illa sententia: vbi est remissio peccatorum, iam non est oblatio pro peccato. Iam subjicit impostor: Neque rursus opus est, vt idem Christus, qui in cruce oblatus est semel, iterum, alio tamen ritu sacrificandi, offeratur. Et hic sententiam meam absoluit, & concludit: Obserua, inquiens, lector, quod ipsemet confitetur, non esse opus, vt idem Christus alio ritu sacrificandi offeratur. Exclamans, hem hoc ipsum est quod volumus, ac dicimus, nempe istam iterationem perpetuam, testari insufficientiam passionis Christi. Volens ergo nolens cogitur confiteri, Missam esse contumeliosam in passionem Christi.*

Cauillatio sceleratissima

Hebr. 10.

Dilutio.

Obstupui, fateor Christiane lector, cum sententiā meam recitatā audissem, veritus ne quid mihi per incogitantiam excidisset. Itaque mox Confutationem in manus cepi, & ilico recreatus sum, perspecta sceleratissima nefarij impostoris nequitia, qua sententiā meam, pendentem penitus ab subiecta declaratione amputauit, & declarationem omisit. Sic enim a me scriptum est: Cum per crucis sacrificium facta sit

Quæ remissio

remissio peccatorū, scilicet secundum sufficientiam, aut (vt loquitur Augustinus) secundum potentiam & vim pretij oblatis, non est opus alio aliquo sacrificio, quo eadem impetraretur, hoc est, quo eadem remissio secundum potentiam & sufficientiam iterum fieret: alioqui prioris sacrificij insufficientia rectè conuinceretur. Neq; rursus est opus, vt idem Christus, qui in cruce oblatus est semel, iterum, alio tamen ritu sacrificandi, offeratur: ad eum videlicet affectum impetrandum, quem crucis sacrificium semel operatum est, hoc est, ad exhibendum patri pretium sufficiens & valens potenter, ad expiandum peccata. Hic bonus Illyricus, Illyricana fide, absolutam sententiam ponit, cum ea sit per restrictionem manifestissimam posita, & rectè posita. Nam ad sistendum in oculis patris pretium sufficiens pro peccatis totius mundi, quod semel in cruce factum fuit, non est opus nec alio & diuerso sacrificio, quo idem fieret: nec etiam nouo ritu sacrificandi, qui, quod iam cruento ritu sacrificij factum erat, iteraretur.

HÆC cum ita sint, perspicit lector, quod quemadmodum iteratio illa cœlestis, qua Christus semetipsum patri cœlesti offert in cœlis, qui seipsum semel cruento obtulerat in cruce, nihil derogat efficaciam & potentiam sacrificij crucis, idque propterea, quia idem est Christus ipse qui offertur, eademque hostia: ita iteratio sacrificij crucis sub nouo ritu sacrificandi, in sacrosan-

*Aperitur
scelerata
fraudulē
tia Illy
rici.*

rosancta missa, non coarguat insufficientiam ipsum crucis sacrificium, quia in vtroque ritu sacrificandi idem est sacrificium, & eadem oblatio, quantum ad hostiam immolatam, & rem sacrificatam: nempe Christus ipse, Christi-que passio. Sic tradidit Diuus Chrysostomus: Nōne, inquit, per singulos dies offerimus? offerimus quidem, sed recordationem facientes mortis eius. Et vna est hæc hostia, non multa. Nec nunc quidem alium agnum, crastina alium, sed semper idipsum. Proinde vnum est hoc sacrificium. Sic Ambrosius, sic Augustinus. Quoniam verò eadem semper est hostia, illa ipsa scilicet, quæ in cruce oblata est: necessariò consequens est, quòd sacrificium missæ, in quo hostia crucis offertur mysticè & incruentè, sit verè expiatorium, & propitiatorium: sicut sacrificium Christi in cœlis verè est expiatorium & propitiatorium. Sicut autem oblatio Christi in cœlis, ed potissimum valet, vt electi fructum sacrificij crucis consequantur, dum eis per eam oblationem virtus sacrificij crucis applicatur, & applicata salutem operatur: ita sacrificium Missæ à Christo institutum est, vt per illud virtus hostiæ crucis fidelibus applicata, eis salutem operetur. Grauitè & eruditè scripsit siue Augustinus, siue Prosper: Redemptionem à peccatis, siue liberationem, siue remissionem peccatorum, factam esse scilicet in cruce, per mortem Christi, secundum potentiam, magnitudinē, & virtutem pretij,

1 Cor. 10.
hom. 24.

*Sacrificiū
missæ
est propi-
tiationis
& expia-
torium,
propter
identitatem
hostiæ
cū sacrifi-
cio cruce.
Aug. contra
artic.
falso sibi
impositos*

Q 9 ij &

& secundum remediū efficaciam, sed non secundum remissionis, liberationis, & saluationis effectum. Christi mors, inquit, non ita est impensa humano generi, vt ad redemptionem eius, etiam qui regenerandi non erant, pertinerent: sed ita vt quod per vnicū exemplum gestum est pro vniuersis, per singulare sacramentum celebraretur in singulis. Poculum quippe immortalitatis, quod confectum est de infirmitate nostra, & virtute diuina, habet quidem in se vt omnibus proficit: sed si non bibitur, non proficit. Virtuti itaque infinitæ hostiæ crucis non magis derogat sacramentum sacrificij eucharistici in Missa, quàm regenerationis sacramentum: sed quod pro omnibus gestum est in cruce, per singulare sacrificium celebratur, & geritur in singulis, inquit Augustinus.

Quod postremò calumniatur me dicere: *Missam tantum petere applicationem beneficiorum, passionem domini partorum: non autem id agere, vt simpliciter expiet peccata*: luculentum mendacium est. Nusquam enim scripsi: Missam non expiare peccata. Sed hoc tantum scripsi: In sacrificio Missæ, remissionis illius, quæ secundum virtutem, & potentiam, & magnitudinem sacrificij crucis iam parata est omnibus credètibz, effectum & fructum eis applicari. An hoc Illyrice tibi perinde viderur, atque dicere, missam simpliciter non expiare peccata? Imò verò clarissimè insinuat hoc dictum, per missam verè expiari

expiari peccata. Non enim est aliud expiare peccata, quàm effectum & fructum remissionis operari: Sicut remissionem peccatorum in cruce partam, scilicet secundum potentiam, & pretij magnitudinem applicari secundum effectum in baptismo, est baptismum verè expiare, & remittere peccata. Liberè igitur & ingenuè profiteor contra tuum mendacium: Sacrosanctum Missæ sacrificium, esse sacrificium expiatorium & propitiatorium. Cum enim sit idem, & non diuersum à sacrificio crucis, quantum ad rem oblatam, quæ est ad expiandum peccatum potentissima, non potest non esse propitiatorium & expiatorium.

In confutatione tertij partis ostenderam euidentissimis testimonijs Thomæ scriptis, potissimum in tertia parte Summæ, falsissimum esse, quod Confessio D. Thomæ adscribebat: quod Christi satisfactio tantum pro peccato originali, & peccatis ante baptismum commissis valeret, at non pro peccatis postea commissis. Hoc mendacium luculentum nunc quoque tuetur Illyricus. Thomam, inquit, interdum in eum modum loqui certum est: sicut illud eius dictum libro de officio altaris notum ac celebre est. quod ita habet. *Secunda causa institutionis sacrificij altaris est cõtra quandam quotidianam delictorū nostrorum rapinam, vt sicut corpus domini semel oblatū est in cruce pro debito originali, sic offeratur iugiter pro nostris quotidianis delictis in altari, & habeat ecclesia munus ad placandū sibi Deū super omnia legis sacrificia pretiosum & acceptū.*

Qq iij Respon-

3. Probationis discussio.

Cauillas tio.

Nota, inter dum. Thomas lib. 1. de verberab. sacramentis altaris.

Dilutio. Respondeo, celeberrimū doctorem D. Thomam suam sententiam in locis illis ex tertia parte à nobis citatis expressisse: neque illi sententiæ contrarium esse, quod citat Illyricus ex libris de sacramento altaris. Corpus domini semel oblatum est in cruce pro debito originali, & peccatis ante baptismum commissis: offerri autem iugiter, non aliud, sed idem corpus pro quotidianis peccatis in altari. Primum enim cernis lector, corpus esse Christi, cui satisfactio & expiatio peccati tribuitur, tam originalis in baptismo, quàm peccatorum postea admissorum. Ex quo perspicuum est, quod falsissimum sit, quod expiatio peccati, aut satisfactio pro peccato alteri tribuitur, quàm sacrificio crucis, hoc est, hostiæ in cruce oblate. quæ est ipsum Christi corpus, non exangue. Deinde discrimē, quod Thomas constituit inter peccatum originale, cum peccatis præcedentibus baptismū, & peccata post baptismum commissa, tradidit & docuit Paulus duobus locis in epistola ad Hebræos. Nam capite 6. sic scribit: Impossibile est enim, eos qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cœlestē, & participes facti sunt spiritus sancti, gustauerunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesq; seculi venturi, & prolapsi sunt: rursus renouari ad pœnitentiam, rursus crucifigentes sibi metipsis filium Dei, & ostentui habentes. In capite quoque 10. sic: Voluntariè enim peccantibus nobis, post acceptam notitiã veritatis, iam non relinquitur pro peccatis

q. 49. eius
de 3. par-
tis.

Hebr. 6.

Hebr. 10.

peccatis hostia: terribilis autem quædam expectatio iudicij, & ignis æmulatio, quæ consumptura est aduersarios. In his sanè locis secūdam probatissimos interpretes docet Paulus, hostiam illam crucis, qua prorsus abolentur & expiantur peccata, tam secūdam reatum omnem, quàm secūdam culpam, semel tantum, utpote in baptismo, valere posse hominibus credentibus. Non quod post eam semel applicatam non sit amplius spes veniæ & salutis, sed quod salutem per aliam rationem quærere oporteat, quàm per hostiam crucis iterum in baptismo applicandam. quod Hebræi quidam malè instituti sibi promittebant. Rectè igitur & verissimè dixit Thomas: Corpus Christi, quod semel in cruce oblatum est pro plenissima expiatione peccati originalis, & in singulis pro salute singulorum, dum baptizantur, offertur, non posse amplius sic offerri: sed ex Christi institutione, posse mystico ritu, pro quotidianis peccatis, quæ admittunt per infirmitatem qui illuminati sunt, hoc est, qui baptizati sunt. Quod tamen corpus illud ipsum est, quod in cruce semel cruento ritu oblatum est.

Ad quartam probationem, quæ desumpta erat ex Pauli sententijs, quibus vnicum, æternumque sacerdotem noui testamenti secūdam ordinem Melchisedech, abrogato veteri sacerdotio Aaronico, à Deo constitutum esse docet, Iesum Christū filium Dei. Responderam,

Q. iiiij. quod

4. Probationis
dissolutio.

Hebr. 5. 6.
& 9.

quod epistola ad Hebræos de tali successione loquatur, quæ in demortui locum fiat. Sicut in sacerdotio Aaronico factum esse cognoscimus, quod in demortui locum semper alius succederet: non vicem gerens demortui, sed diuina auctoritate sacerdotio post demortuū fungens.

Cauillatur Illyricus: Perspicuum esse quod Papa doceat, translatum esse sacerdotium Christi secundum ordinem Melchisedech in Petrum, ac se, suosq; sodales. Quare docet, se, suosq; sodales habere potestatem sacrificandi pro viuis & mortuis, & pro peccatis totius mundi. At contra tota scriptura facit vnicum tantum sacerdotem noui testamenti, & omnes iubet fide eum accedere, quo pro eis apud patrem intercedat, eosq; ad plenum, impetrato suo sacrificio in perpetuū seruet. Quare manifestum est, inquit, quod isti creates tot sacrificos, qui pro peccatis viuorum & mortuorum sacrificent, Christo æternum sacerdotium abrogent.

Respondeo, iam superius satis ostensum esse, quod sicut sacrificium illud, quod Christus cælesti patri offert, iam assidens ad eius dexteram, nō derogat aliquid sacrificio illi semel in cruce peracto: ita nec sacrificium, quod secundum ordinē Melchisedech ex Christi ipsius instituto, offertur in Missa, quicquam derogat sacrificio Christi. Et quo pacto abrogare possit æternum Christi sacerdotium, id quod ipse Christus in ecclesia sua vsque ad aduentum suum fieri instituit & mandauit, quod superius demonstrauimus catholicos patres semper sensisse, tenuisse, & docuisse.

Quod

Quod verò ad æternum Christi sacerdotium attinet, non solum in eo æternum esse Christi sacerdotem intelligendum est, quod sacerdos ipse Christus, filius Dei, verus Deus, æternus sit: sed quod sempiterno sacerdotio semper fungatur in cælis, semetipsum patri pro salute electorum offerens. Neque rursus in hoc solum, quod semetipsum in cælis cælesti patri offert: sed etiam quia semper vsque ad consummationem seculi, per suos ministros, sacerdotes secundum ordinem Melchisedech, in Ecclesia semetipsum, hoc est, hostiam crucis, corpus suum & sanguinem offert. Quemadmodum Ambrosius & Augustinus passim docent, quorum sententiæ superius recitatae sunt. Et extant potentissimæ sententiæ Græcorum interpretum, Theophylacti, & OEcumenii, explicantium quo pacto Christus sit sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. OEcumenius sic scribit: Qui ab ipso Christo sunt sacerdotes, quorum & Deus & pontifex esse dignatus est, incruentam offerunt hostiam. nam hoc significat, in æternum. Sed ad noui testamenti sacerdotes aspiciens, per quos Christus & sacrificat & sacrificatur. qui etiam eis mystico illo in conuiuio, cœnaque nouissima istiusmodi (incruenti) sacrificij atque immolationis modum tradidit. Theophylactus quoque explanans quo sensu Christus dicatur sacerdos in æternū secundum ordinem Melchisedech: Quia, inquit, quæ per singulos dies fit, & futura est in perpetuum ob-

Qq v latio,

Ambro. in
epist. ad
Hebræos.

OEcume-
nius.

Theophy-
lactus.
Eandē sen-
tentiā tra-
dit Aug.
de ciuitate.

Dei lib. 10
cap. 20.
Item in
Psal. 64.

latio per Dei ministros, ipsum habet pontificem & sacerdotem, atque adeo ipsum sacrum (id est sacrificium) qui seipsum pro nobis sanctificat, & frangitur & distribuitur. Cernis Christiane lector, Sacerdotium æternum Christi secundum ordinem Melchisedech adeo non abrogari per sacrificium Missæ, quod Christi ministri, sacerdotes secundum ordinem Melchisedech ab eo instituti offerunt in ecclesia vsque ad consummationem seculorum, vt potius in eo comprehendatur & includatur. Non enim aliter esse posset eius sacerdotium secundum ordinem Melchisedech æternum & sempiternum, quia eam oblationem, quæ semper ab eo offertur in cœlis, constat non esse sub pane & vino, secundum ordinem & ritum ac formam Melchisedech.

Hebr. 7.
Exclusio
cauillat.

Quod vero cauillatur, scripturam inbere, vt fide Christum sacerdotem accedant omnes, vt pro eis apud patrem intercedat, eiusq; sacrificio in æternum seruentur, prorsus friuolum & ineptum est: quia sacrificium Missæ non aliam hostiam cœlesti patri offert, quàm eam, quam ipsemet in cœlis intercedens, & interpellans apud patrem cœlestem, offert. Sicut preces, quas ad dexteram patris assidens, offert, non excludunt preces, quas electi pro sua salute offerunt: quia eas non offerunt, nisi vt innixas, & commédatas per Christi preces.

Cauillat.
exclusio.

Quod rursus cauillatur, totam scripturam facere vnicum sacerdotem noui testamenti, & in scripturis mini-

ministros noui testamenti, nusquam vocari sacerdotes, sed tantum presbyteros, & ministros Ecclesie, ac doctores:

Respondeo, scripturam docere, quod sacerdotium noui testamenti, quod est secundum ordinem Melchisedech, non sit vnquam abolendum, nec transmutandum in aliud sacerdotium, quod de Aaronico sacerdotio & prædictum fuisse per prophetas, & factum esse iam agnoscimus: quodque huius sacerdotij summus & primus pontifex sit Christus Iesus. qui cum sit æternus Dei filius, non opus habeat succedentibus sibi tanquam demortuo, alijs sacerdotibus, more Aaronici sacerdotij. Verum quod sibi ministros non constituerit, qui eius vice & mandato offerant in Ecclesia sacrificium ipsius exemplo secundum ordinem Melchisedech, vsque ad finem seculi: id non dicit scriptura, imò oppositum docet, dum dicit: Christum dixisse suis Apostolis in extrema cum eis cœna: hoc facite in mei commemorationem. sicut postea, vbi de verbis illis agitur, clarissimè demonstrabitur. Sicut enim olim in testamento veteri peculiare ministros instituit & ordinauit, atque consecrari iussit, qui typica illa sacrificia Deo offerrent: ita in nouo testamento ipse primus sacerdos secundum ordinem Melchisedech instituit, & ordinari iussit certos ministros secundum ordinem Melchisedech, qui sacrificium noui testamenti conficerent & offerrent.

Porrò

Porro quod ministros noui testamenti, non sacerdotes aut pontifices, sed presbyteros, episcopos, aut doctores appellat scriptura noui testamenti, perperam eò detorquet Illyricus, vt non ad sacrificia certa offerenda peculiariter destinati, sed tantum prædicationi verbi, alijsque similibus ministerijs intelligantur. Sed certo diuinæ prouidentiaë consilio docet Augustinus, in exordio ecclesiæ commutationem nominum factam esse, ne sub nominibus sacerdotum aut pontificū, quibus non consueuerant Iudæi, alios ecclesiæ ministros, quàm Aaronicos intelligere, Aaronici sacrificij consueta obseruatio adhuc commendari videretur. At verò postquàm apud credentes in Christum, veterum sacrificiorum figuræ iam abolitæ essent, vniuersi ecclesiastici scriptores, presbyteros & ministros ecclesiæ passim & vbiq; sacerdotes appellare coeperunt. sicuti ex eorū monumentis certissimū est.

Hæc cū ita sint, libenter & cum gratiarum actione agnoscimus (quod contumeliosum nobis existimat Illyricus) à Christo domino, sacerdotium secundum ordinem Melchisedech, in Petrum, eiusque successores transfatum esse, & per illos ad nostra vsque tempora in ecclesia perductum esse, quo pro viujs & mortuis sacrificare possint certi ministri ab eis ordinati. Nec Christum hoc solum dixisse Apostolis suis tradit scriptura: *Ite, & docete vniuersum mundum, sicuti calumniatur Illyricus: sed etiā illud, Hoc facite in mei memoriam.*

Quintæ

*Cauillat.
Illyrici.*

Matth. 28

Quintæ argumentationis confutatio posita est in vero intellectu verborum Christi: Hoc facite in meam commemorationem. Contendit enim Illyricus, ea verba Christi propriè de Missa non esse accipienda, ac proinde Missam falso ad se trahere totū sacrum textum de cœna Domini. Exactiorem igitur huius probationis excussionem differamus in eum locum, vbi de vero illorum verborum Christi sensu, Illyricus se disputaturum profitetur.

Sed hoc loco arripit quædam verba, quæ posueram in Confutatione primæ probationis exagitanda. *Primum & principalem finem sacrificij incruenti, esse secundum doctrinam Christi & Pauli, commemorationem, recordationem, & representationem mortis Dominica (in hunc enim finem iubet Christus sacrificium fieri) sed sumptionis & participationis corporis & sanguinis agni immaculati finem primum esse, spiritali cibo & potu animam sumentis recreare, confortare & vegetare. quæ tamen participatio cum grata recordatione, & commemoratione mortis Christi coniungi debeat.*

Agnosco Illyrice meam sententiã. Sed quam scio tam validam ac solidam esse, vt quam hic commemorare satis habuisti, aliàs nunquàm sis labefaturus. Sed in eo mēdacem te iterum declaras, dum scribis *me iactare sacram communionem non esse memoriale passionis Christi*: cū eo loco, vnde profers hæc mea verba, dilertè ostenderim, idque citatis sententijs Augustini duabus, Ambrosij, Basilij, atque adeo ex ipso canone Missæ,

5. Probatio.

Dilutio.

Missæ, veteres verbum Christi: hoc facite: interdum referre ad totâ ecclesiam. Agnosce lector istius impostoris pudendum ingenium.

6. Probatio.

In sexta probatione dictû erat: Missam abolerè Christum & eius passionem. Quod cum ego in Confutatione solidè & perspicuè confutauerim, adhuc perseverat affirmare Illyricus *contrarium esse verum, & ratione & experientia posse doceri. Nam primum, inquit, omnibus persuadetur illo sacrificio expiari peccata, & omnia bona, præsertim spiritualia, ac æterna à Deo impetrari.*

Dilatio.

Respondeo. Quidni expiarètur eo sacrificio peccata, & omnia bona spiritualia, & æterna impetrarètur? in quo Christus ipse filius Dei ad saluandum, & ad impetrandum potentissimus, tanquâ hostia patri cœlesti gratissima offertur? Sed sane refert plurimum, quem animum adferat quisque ad sacrificij tantos fructus percipiendos, expiationis scilicet peccatorû, & omnium spiritualium bonorû. Non enim tantum spectanda est oblatæ hostiæ dignitas, potentia, virtus, & magnitudo: sed etiam plurimum attendenda est qualitas, conditio, & deuotio eius qui sacrificij particeps fieri cupit. Sicut enim nō continuè ut quisq; peccator oculos conijcit in vnum illum agnû Dei, tollentè peccata mundi, sibi propositum aut ostentatum, ab omnî peccatorû reatu liber redditur: sed pro ratione & modo pœnitentiæ à reatibus peccatorum expiatur & liberatur, & pro ratione fidei ac deuotionis efficitur particeps & cōpos bonorum spi.

spiritualium postulatorû: ita qui ad sacrificium altaris cum sancta illa matre Augustini Monica suam animam alligat, non efficitur continuè compos omnis boni postulati, & expiationis plenæ peccati, sed pro modo suæ deuotionis, ex potentissimo altaris sacrificio sibi iam applicato, accipit spirituales sacrificij fructus & effectus. Cuius sacrificij applicationè in subsidium animæ, peccatorû reatibus & peccatis oneratæ, & hic in periculoso certamine constitutæ, benignus Christus per sacrificium illud secundum ordinem Melchisedech fieri in ecclesia instituit, in eaque vsque aduentum suum vigere voluit.

Scio Illyrice hæc te irridere, sed non nos solos, sed eruditissimum quoque Augustinum, sic in Ecclesia institutum fuisse, declarat memorabilis illa sententia, quæ extat in Enchiridio: Animas etiam defunctorum iuari altaris sacrificio. Sanè piorum animæ in vnicum illum agnum tollentem peccata mundi oculos coniecerunt, & tamen affirmat sanctus ille & eruditus doctor, non continuè expiatas esse ab omnibus peccatis, & disertè affirmat eas adiuuari posse altaris sacrificio ipsis applicato, & pro ipsis oblato. atque hæc alibi probantur copiosè. Vides Illyrice, & agnoscis speciosam illam tuam imposturam prorsus euerfam esse, dum cogeris perspicere, non continuè quemlibet, ut ad agnum illum immaculatum, tollentem peccata mundi, ostentatû & conspectum confugit, expiatum esse ab omnibus peccatis, sed

August. in
Enchiri.
cap. 110.

fed ad perfectam expiationem consequendam, sacrificium altaris, (quod tu furenter pro nihilo ducis, & impiè conspui) plurimum prodesse.

Quod verò calumniaris de experientia, quod omnes in Missam ruant in suis difficultatibus, & præsertim in agone mortis: sicut in Confutatione respondimus, ita & nunc respondemus: Rectè instituentos morientes, vt in agni illius immaculati, qui tollit peccata mundi, sanguinem se totos vera poenitentia & fide conijciant, vt per eius clementiam consequantur plenam & perfectam peccatorum expiationem. Quam si fortasse per suam indignitatem consequi non mereantur, nec obtineant, altaris sacrificium sua salute cum religiofissima illa Christi famula Monica, fieri sollicitè & deuotè postulent. Quid vero crassuli & bene saginati monachi aut sacerdotes (vt tuum maledicum pectus euomit) agant, nihil ad veram Missæ defensionem pertinet.

Iudicet iam totus mundus, tibi ne tuisque sodalibus, hominibus schismaticis, & à Christi ecclesia totius orbis iudicio abscissis, an sanctissimis, eruditissimisque doctoribus Catholicis in doctrina de sacrosancto altaris sacrificio, fidem adhibere debeat.

In septima probatione dictum fuerat, Missam spoliare homines fide & precibus. Responderam ego: Id si fieret, imperitis & ineptis quibusdam sacerdotibus imputandum esse, non ipsi Missæ.

Cauil-

Cauillatur Illyricus: *Imo communi ipsorum doctrine, inquiens, imputandum est. Nam sentiunt & docent, Missam quiduis bonorum operum à Deo impetrare, & valere ex opere operato. Nihil ergo facilius, quàm vno denario aut solido emere missam, & illo tam efficaci opere Deum tibi plane deuincire.* Cauilla
tio.

Respondeo, de valore ex opere operato nihil decreuisse synodum Tridentinam. verum hoc plane certum esse, quod non valet nisi ijs qui bono motu mentis, scilicet recta fide, corde sincero, & pia deuotione, illius participes fieri cupiunt. Quare falsissimum est, quod missa spoliat homines fide, & precibus pijs. Dilutio.
Sessio
22.

Quod Confessio dixerat: Christum require ab omnibus Christianis, vt ipsimet patrem accedant (scilicet sine aliquo precatore) vt eos etiam quasi à sua mediatione arceat, dicens: In illa die in nomine meo petetis. Non dico vobis, quod ego rogabo patrem pro vobis. ipse enim pater amat vos: Ioan. 16.

Confutaueram per sententiã Dionysij Areopagitæ, qua docet, valde vtile esse ad postulata obtinendum, si precator paruitatis propriæ conscius adhibeat sibi adiutorem & precatorem. Qui verò infelici elatione seductus, dignum se arbitratur diuina familiaritate, eum certè imperita postulatione per semetipsum non potiturum. De Eccl.
Hierarch.
cap. vii.

Obijcit Illyricus: *Tam graui, necessaria, ac salutari doctrine filij Dei viuientis, opponit ille bellus doctor suum quendam Dionysium. tanquam satis sit,* Cauilla
tio.

Rr quem-

quempiam bonum virum adire & orare, vt ipse pro nobis oret. Tam parum ergo apud istos valet Christus cum suis salutaribus documentis, vt satis habeant, ei cuiusvis ignoti paterculi traditiunculam opponere.

Dilutio.
Cyril. lib.
11. com-
ment. in
Ioã, cap. 9

Si tibi sordet Illyrice sacrosancta Dionysij doctrina, quid dices, si Cyrillum celeberrimum illum virum ostendero tuam deprauationem sententiæ Christi improbare? Explanans enim sententiam Ioannis, quam adducis, sic scribit: Perere aliquid per orationem à patre, nullo modo permittit, nisi in nomine suo, patremq; facillimè daturum pollicetur, non solum mediatione sui, sed vltra etiã ad hoc præparatum, quasi debitum redderet ijs qui Christum peramant. Nec vllus putet propter tantam patris benevolentiam nonindigere nos Christo. Omnia enim per ipsum ex patre in spiritu sunt. Paracletus enim est non solû pro peccatis nostris, sed etiam pro vniuerso mundo. ita ostendit gratissimum esse patri, vt ipse honoretur atque ametur. Non igitur verum est quod scribis, Christum requirere ab omnibus Christianis, vt ipsimet per se sine comprecatore patrem accedant, & Apostolos à sua mediatione arceat.

Et obsecro te vir bone, an Paulû Apostolum existimas nõ fuisse concium, quanta esset patris cœlestis erga ipsum beneuolèria? & tamen cum optimè concius esset, ipse comprecatores requisit. sicut manifestissimû est ex eius epistolis. Et video quod tandè & Centurionis illius euangelici submissionem & deuotionè improbatu-

Rom. 15.
1. Thess. 5.

baturus sis. DEVS liberet ecclesiam suam ab istis pestilentibus seductoribus ouicularum infirmarum Christi, & omnis piæ disciplinæ contemptoribus.

Octauæ probationis calumniæ, solidissimè & euidētissimè tû in Confutatione, rum in ijs quæ superius dicta sunt, depulsa & euersa sunt. Notissimum est Christum non tantum dixisse: Accipite, edite, bibite. Sed etiam: Hoc facite in mei memoriam. ijsque posterioribus verbis dedisse Apostolis, eorumque successoribus potestatem offerendi sacrificium secundum ordinem Melchisedech. Idque non ad restrictum aliquem effectum aut fructum, sed ad omnem omnino salutarem fructum: & pro omnium salute, tam mortuorum quàm viuorum, iuxta perpetuam & consentientem omnium patrum doctrinam.

In Confutatione nonæ probationis scripseram: Si quis reperiretur scripsisse quod missa prodest ijs etiam qui carent bono motu mentis, hoc est, fide, corde contrito & poenitente, precatione pia, & desiderio salutis, ac vitæ emendandæ proposito, & similibus, eum nobis non probari: sed me putare, neminem Catholicum vnquam ita aut scripsisse aut sensisse.

Cauillatur, quod contra conscientiam propriam hoc scripserim: Neque enimme, tantû scilicet magistrû, ignorare cõmunissimû illud & receptissimû dogma: Quod nõ tantû missa, sed etiã sacramenta catholicorû valeant ex opere operato, etiam sine bono motu vtentis. Et citat

Cauilla
tio.

R r ij
Gabrie-

Gabrielem Biel missæ commentatorem, lectione 26. 85. 87.

Dilutio.

Respondeo, Catholicorum doctrinam de sacramentis, quod valeant ex opere operato, calumniose deprauant scelerati homines. Nam hac sermonis forma, operari ex opere operato, non aliud docent, quam sacramentorum vim & efficaciam non pendere ex dignitate & valore boni motus utentis sacramento: sed ex Christi institutione, qui signis dedit vim & efficaciam operandi effectus quosdam salutes & diuinos. Requiritur tamen in adultis motus interiores fidei & pœnitentiæ, quibus scilicet obex alioqui contrarius sacramentorum operationibus amoueat: non autem, quorum dignitati & efficaciam, effectus sacramentorum sit adscribendus. In paruulis verò, in quibus interior nullus motus per ætatem esse potest, sacramentum operari salutarem suum effectum, sine omni motu interiori mentis bono. Quæ doctrina orthodoxa quantum distet à commento hereticorum, satis perspicit lector.

At inquit Illyricus: *Secus docet Gabriel Biel de valore sacramentorum ex opere operato.*

Respondeo, loca ab Illyrico citata, inspecta calumniam eius facile depellunt. In lectione itaq; 87. sic scripsit Gabriel: Sacramenta nouæ legis, virtute operis operati conferunt gratiam: ita quod non requiritur bonus motus interior, qui mereatur gratiam, sed sufficit, quod suscipiens non ponat obicem. Sed in sacramentis,
&

& in sacrificijs veteris testamenti non conferebatur gratia ex hoc solo, quod suscipiens sacramento utebatur, non ponens obicem, sed tantum conferebatur ex virtute boni motus interioris tãquam meriti, vt dicit Scotus. Hoc igitur tantum docet Gabriel, in sacramentis nouæ legis ritè percipiendis sufficere, quod non ponatur eis obex. quod non potest fieri in adultis sine vera fide, & pœnitentia de peccatis voluntariè admissis. requiritur quidem bonum motum fidei & pœnitentiæ, at non requiritur bonum motum interiorem, tanquam meritum illius effectus, què operatur sacramentum. Secus verò rem habere in sacramentis veteribus existimauit Scotus. cuius doctrinam hic non excutimus. Quia verò in paruulo nullus est obex, sacramenti efficaciam ibi reperiri sine villo bono mentis. Atque hæc Gabriel de sacramentorum operatione ex opere operato.

De Missa verò, sic scribit lectione 26. Notandum, quod Missa potest intelligi valere, & efficaciam habere dupliciter. vno modo, ex opere operante: alio modo, ex opere operato. Ex opere operante, hoc est, ex merito personali personæ celebrantis, propter quod confert Deus perita à sacerdote, his quibus orationem & missæ sacrificium applicat. Ex opere operato, id est, ex ipsa consecratione, oblatione, & sumptione venerabilis eucharistiæ, non habendo respectum ad personalem sanctitatem, aut meritum sacerdotis. & hoc modo missa profi-
R r iij ceret,

ceret, etiam si per impossibile, nullus mortali-
um esset in gratia. Sicut baptismus tollit ori-
ginale, & confert gratiam infanti baptizato,
etiam si cuncti viatores essent peccatores.

Porrò ne quis existimet, Missam posse pro-
desse, & valere adultis sine motu bono mentis:
addamus tertiam sententiam citatam ex le-
ctione 85. Imprimis sacramentum eucharistiæ,
velut sacrificium summo patri oblatum, ne-
dum veniale, sed & mortale, non dico sumen-
tium, sed omnium eorum pro quibus offer-
tur, & quantum ad reatum culpæ & pœnæ,
plus vel minus secundum dispositionem eo-
rum pro quibus offertur, tollit. & paulò pos-
teà: Et ideo si eos dispositos inueniat, eis gra-
tiam obtinet, virtute illius veri sacrificij, à quo
omnis gratia in nos fluxit. Ex quibus verbis
luce meridiana clarius est, Gabrielem require-
re dispositionem motus interioris, ad effica-
ciam & fructum missæ in ijs pro quibus offer-
tur: & putidum mendacium Illyrici satis con-
futatum esse constat.

In Confutatione decimæ probationis dix-
eram: Missam tribus rebus potissimum constare,
consecratione, oblatione, & sumptione: quæ
non essent humana inuenta, sed ab ipso Christo
domino instituta.

Cauilla-
tio.

Respondet, quod consecratio & sumptio sint par-
tes communionis, se agnoscere, sed impè illa ad missam
esse translata, & cum oblatione coniuncta.

Dilutio.

Sed obijcimus illi, potentissima illa verba
Christi:

Christi: Hoc facite: coniuncta esse ab ipso Chri-
sto cum verbis alijs: Accipite, edite, bibite, hoc
est corpus meum, hic est sanguis meus. In qui-
bus duobus Christi dictis tota & perfecta mis-
sæ substantia posita est.

Quod quoque identidem argutatur, in Chri-
sti verbis nihil dici de oblatione pro peccatis, pro toto
mundo, proq; viuis & mortuis: iam sæpius ei re-
spondimus. Cùm constet Christum instituisse sa-
crificium secundum ordinem Melchisedech, in
quo sub symbolis panis & vini per commemo-
rationem & representationem mortis Christi,
agnus ille immaculatus, qui tollit peccata mû-
di, incruentè & mysticè offeratur, euidentissimū
est, sacrificiū illud agni immaculati offerri posse.
& debere pro peccatis, pro viuis & mortuis,
proque omni salutari effectu, qui à patre cœlesti
per agnum illum immaculatum postulādus est.

In vndecimæ probationis defensione totum
se conuertit ad horrendas & sacrilegas blas-
phemias contra sacrosanctum canonem Missæ,
eum videlicet, qui in Romana & Latina eccle-
sia vsitatur.

Primum igitur calumniatur, totum canonem,
humanum esse inuentum, vel ipso Gregorio Magno te-
ste, qui ait: Canonem à quodam scholastico compositum
esse, vt refert Micrologus capite 12.

Sed sane falsum perspicuè est, eā partē Canonis
quæ consecrationē, oblationē, & cōmunionem
comprehendit, ab hominibus institutā. Constat
enim duas partes, vel ipso Illyrico authore, à

Canonis
sacrosana
eti defen-
sio aduer-
sus sacrile-
gas blas-
phemias
Illyrici.

1. Caluma-
nia.

Christo institutas esse. Cui nos adijcimus tertiam illam partem, quæ est in oblatione posita secundum Christi institutionem: hoc facite in meam commemorationem. Reliquas vero partes à sanctissimis Pontificibus & eruditissimis paulatim additas, atque à scholastico quodam (quem Gelasium fuisse ante pontificatum tradunt) concinnatas. Quæ cum sint & ad actionem sacram, & ad sacræ actionis decorum congruentissimæ, non idè contemni debent, quod ab hominibus, spiritus diuini magisterio, institutæ sunt, & nõ ab ipso Christo disertè & clarè institutæ, mandatæ ac præceptæ. Et de hoc in consutatione decima copiosius diximus.

2. Calumnia.

Scripserat de Romano, & vsitato apud Latinos canone, quod sit ceu cõpendium quoddam prolixorum canonum Basilij & Chrysofomi:

Respondet, *falsissimum hoc esse. nam neutrum illorum ex Græca missa facere sacrificium propitiatorum, aut per eam velle animas ex purgatorio redimere.*

Sed tu expende Lector, vter mendacij verè reus sit. Sic enim scribitur in Missa diui Chrysofomi: Sacrificiorum ritum tu instituisti, ac solennis huius & immaculati sacrificij celebrationem nobis tradidisti tanquam dominus omnium. & post pauca: Tu es qui offers, & offeris, & accipiens & dans, Christe Deus noster. Rursus precatur sacerdos: Et idoneos nos redde ad inferèda tibi dona & sacrificia spiritalia pro nostris peccatis, & populi ignoratiis: & dignos nos fac, vt inueniamus gratiã in conspectu tuo,

vt ac-

vt acceptabile fiat sacrificium nostrum, &c. rursus: Et memento omnium qui dormierunt in spe resurrectionis & vitæ æternæ, & requiescere facito, vbi videtur lumen vultus tui. Et similes omnino, imò ferè iisdem verbis extant sententiæ in Missa Basilij. Tu Christiane lector, cognita iam vtriusque causa, æquum ferto iudicium. Et notissima est illa diui Chrysofomi sententia: Non temerè ab apostolis sancitum esse, vt in tremèdis mysteriis defunctorum agatur commemoratio. Sciunt enim illis inde multum contingere lucrum, vtilitatem multam. Cum enim totus constiterit populus extensis manibus, sacerdotalis plenitudo, & tremendum proponatur sacrificium. quomodo Deum nõ exorabimus pro his deprecantes. Agnoscunt igitur Græcorum missæ, missam esse sacrificium propitiatorum pro peccatis viuorum & mortuorum, quamlibet repugnet hostis veritatis Illyricus.

Primam impietatem sacrosancti canonis notauerat Confessio: Sanctorum inuocationem. Et responderam, Augustinum negare in eo canone fieri sanctorum inuocationem, sed tantum commemorationem. Inquit enim: Licet non fabricemus martyribus nostris tẽpla sicut diis, sed memorias sicut hominibus. Non etiam ibi erigimus altaria, in quibus, ipsis sacrificemus: sed vni Deo & ipsorum & nostro sacrificium immolemus. nihilominus tamè eos ad sacrificium illud sicut homines Dei suo loco & ordine commemoramus. Nec ideo tamen à sacerdote qui

R r v sacri-

Chrysof. hom. 69. ad Antioche. & in cap. 1. ad Philip.

Aug. li. 22. de ciuit. Dei, ca. 10

sacrificat inuocantur . quippe qui non ipsis sacrificat, quia Dei sacerdos est, non illorū : ipsum verò sacrificium, corpus Christi est.

Hic vociferatur homo iste: *Vide, inquit, impudentiam hominis extremam . Quid Augustino episcopo Africano cum canone Romano, longè post, teste Gregorio, confarinato ? Summa impudentia est, quod Augustinum facit patronum istius impij canonis.*

Respondeo ò bone, non nominare quidem Augustinum canonem aliquem, sed disertè dicere, quod in celebratione sacrificiorum commemorentur quidem sancti, sed non inuocentur . At verò cum certissimum sit, apud ecclesias Africanas certam quandam formam celebrandi sacrificij vsitatam fuisse, quem canonem vocamus, hoc habuit earum ecclesiarum canon siue forma commune cum nostro (qualiscunq; tandem earum canon fuit) quod in eo, sicut in nostro fieret commemoratio sanctorum, non autem inuocatio. Qua ratione igitur Africanus canon defenditur à nota hac impietatis de sanctorum inuocatione, eadem & Romanus canon à vestra calumnia liberatur. Verum quoniam de forma celebrandi diuina mysteria peculiari Africanis ecclesijs nihil vsquam scriptum reperitur, certè ex scriptis Augustini, & præsertim in epistola ad Paulinum episcopum, colligi potest, Canonem Africanum eundem fuisse cum Romano, in partibus præsertim præcipuis. Exponens enim illud Apostoli: *Obscuro enim primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postu-*

August. ad Paulinum Epist. 59.

1. Timo. 2.

postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus: partes canonis præcipuas describit, quas dicit per totam ferè ecclesiam in celebratione sacramentorum vsurpari & frequentari. Quibus partibus dum adnumerat commemorationem sanctorum martyrum, & tam frequenter in alijs libris testetur, in mysteriorum celebratione, defunctorum quoque spirituum fieri memoriam: quid habet impudens iste homo, quod vociferetur de Canone Africano contra Romanum, præsertim cum Augustinus, studiosus lector librorū Ambrosij, Ambrosij Romanum canonem non ignorauerit?

Iam Augustini quoque testimonium supra citatum ex libro 22. de ciuitate Dei capite 10. contra nos detorqueere extrema impudètia conatur. *Damnat, inquit, id ipsum testimonium Augustini aduersarios vehementissimè, quia ille negat, Christianos tunc templa sanctis struere solitos, vt nunc sit, vbi etiam eis sacra offerantur.*

Cauillat. impudentissimè

Respondeo impudentissimum esse mendacium: Nunc templa strui sanctis, quibus sacrificetur, scilicet vt dijs (sic enim negat eis templa strui Augustinus) sed tantum in memoriam & honorem eorum extrui nunc, sicut & Augustini ætate. Quod verò addit, *etiam sanctis in templis extructis sacra fieri, aut sacrificia offerri*, nonne extrema malitia est, & mendacium impudentissimum?

Dilutio.

Sed pergit adhuc mentiri: *Negat, inquit, Augustinus, Christianos solitos esse inuocare sanctos: at*

Cauillatio.

Papiste

Papistæ eos inuocant nõ solum vt mediatores, sed etiam vt opitulatores, ac plane deos.

Dilutio.

Vide lector deploratam malitiam. Ostendemus & adscripserã in nostra Confutatione cautionem circa verba illa Augustini. Nec ideo tamen à sacerdote, qui sacrificat inuocantur. quia intelligentiam eius explicabam: Sacerdotem in sacrificij celebratione ad sanctos sermonem non dirigere, scilicet tanquam deos quosdam, quibus sacrificium offerret, aut quos tanquam deos inuocaret: sed tantũ ad sacrificium cõmemorare, quo & ipsi mundũ vicissent. Quam intelligentiã causa subiecta plane requirit, quippe qui non eis sacrificet: sed tanquã aspis obruans aures ad salutarem explicationem, hæret in suo mendacio, Augustinum simpliciter negare sanctos esse inuocandos. Quid verò Augustinus de inuocandis sanctis cum Deo agentibus sentiat, ex eius scriptis perspicuum est.

August. de spi. & anima, ca. 59. In Medit. ca. 23. Lib. cõtra Faustum 20. cap. 21. Epist. 137.

August. de cura pro mort. Idem de ciuita. Dei lib. 22. ca. 8. & 10.

Denique quod argutatur, nos inuocare sanctos, non solum vt mediatores seu intercessores, sed etiam vt opitulatores: Nos sanè grato animo profitemur, illos esse opitulatores. Opitulantur enim nobis primum sua intercessione & interpellatione: deinde etiam accepta à Deo virtute, & potestate, non autem propria, possunt nostræ miseræ, afflictioni & necessitati subuenire. De quo disputat August. libro de cura pro mortuis, & libro de ciuitate Dei.

Scripteram, quod quamuis non inuocentur sancti in celebratione sacrificij, iuxta Augustini senten-

sententiam, vt dij quidam, quibus offeratur sacrificium: rectè tamen rogari Deum, vt eorum meritis & precibus in omnibus protegamur.

At contra hanc teterrimam (inquit blasphemus homo) idololatriam cultus sanctorum, præclarã opponit Augustini sententiam: Non sit nobis religio, hominum mortuorum cultus. quia si piè vixerunt, non sic habentur, vt tales querant honores: sed illum à nobis coli volunt, quo illuminante, lætantur meritũ sui nos esse consortes. Honorandi ergo sunt propter imitationẽ, non adorandi propter religionem. Quod dictum, inquit, profecto obseruatu est dignissimum.

*Cauilla-
tio.
Aug. de
vera relig.
cap. 55.*

Sed quid hæc sententia quæso dicit contra preces sanctorum, aut eorum apud Deum merita, quibus vt adiuuemur rogamus? An ideo vt deos quosdam eos colimus & adoramus, quia eorum præcibus, qui sunt iam Deo acceptissimi, & meritis Deo commendari rogamus? An hæc est tetra idololatria acceptissimorum Deo amicorum, gratia quam habent apud eũ, velle commendari vni illo vero Deo, cui cum ipsis inhærere & frui desideramus? Nisi te malitia Ilyrice excæcasset, nunquam ista tam blasphema in sanctos Dei amicos effunderes. Ac de Augustini citato testimonio, certissimum est Augustinum de eo cultu, & de ea adoratione loqui, quæ deferenda est summo illi spiritui, qui per seipsum perfectus & in seipso est, qui que ab alio aliquo non pender, à quo perfectionẽ suam & naturam accipiat, qui est solus, vnus, & verus Deus, verum cultu honoris sanctos angelos & ho-

& homines colendos, ipse disertè testatur: Honoramus, inquit, ibidem eos chàricate, non seruitute. Sed qua seruitute? Mane, audies. Nec eis templa construimus, scilicet tanquam dijs, & cæt. sicut & alibi scripsit: Nec te lateat (ò Maxime) & in sacrilega conuitia imprudentem trahat. Scias à Christianis Catholicis, quorum in vestro oppido etiam Ecclesia constituta est, nullum coli mortuorum: nihil denique vt Numen adorari, quod sit factum & conditum à Deo, sed vnum ipsum Deum, qui fecit & condidit omnia. •

Aug. epif. 4.4. ad Maximū Mādarensem, & epif. 4.9 ad Deo gratias.

August. in quaest. super Exod. ca. 14.9. in qua agit de precib⁹ Moysi pro populo. Idem in lib. medit. cap. 23.

De sanctorum verò meritis quid senserit eruditissimus doctor, palam testatus est, quando scripsit: Cùm merita nostra nos grauant, ne diligamur à Deo, sciamus nos illorum meritis releuari posse, quos Deus diligit. Et quid de inuocatione Sanctorum senserit, clarissimè testatur liber Meditationum eius: Orate Dominum, inquit, orate omnia agmina Sanctorum, & vniuersi cœtus beatorum, vt vestris precibus, meritisque adiuti, salua naue, & integris mercibus, peruenire mereamur ad portum perpetuæ salutis. Sed de hoc argumento alibi copiose scripserunt Catholici contra sacrilega conuitia aduersariorum.

Notauerat Confessio & aliam Missæ impietatem, nempe purgatorium, & Missas pro defunctis. Ego verò opposueram clarissimam senten-

tentiam Augustini, imo, iudicio Augustini, totius Ecclesiæ sententiam, ex libro de cura pro mortuis.

August. de missis pro defunctis.

Illyricus nondum placatus argutatur: *Non agitur de simplici aliqua memoria defunctorum, de qua loquitur ibi Augustinus: sed de missis pro mortuis, quas tempore Augustini in vsu fuisse probet, si potest vel audeat. Nam quod veteres inter communiandum recitarunt nomina martyrum, aliorumque piè mortuorum, & tum sese mutuo ad eorum imitationem excitarunt, tum etiam Deo de pia ipsorum obdormitione gratias egerunt: longe alia res fuit, ac in infinitum à Missa differens.*

Cauillatio.

Accipe Illyrice euentissimam & solidissimam probationem, quæ demonstrat Augustini tempore Missas pro defunctis in vsu fuisse. Sic ab eo scriptum est in Enchiridio: Neque negandum est, defunctorum animas pietate suorum viuentium releuari, cùm pro illis sacrificium mediatoris offertur, vel elemosynæ in Ecclesia fiunt. Sed eis hæc profunt, qui cùm viuerent, vt hæc sibi postea prodesse possent, meruerunt. Et ne quid hic de sacrificio mediatoris cauillari possis, quodnam illud intelligat, palam insinuat, dum subiicit: Cùm ergo sacrificia siue altaris, siue quarumcunque elemosynarum pro baptizatis defunctis omnibus offerantur, pro valde bonis, gratiarum actiones sunt: pro non valde malis, propitiationes sunt. Pro valde malis, etiam si nulla sint adiumenta mor-

Dilutio.

August. in Enchiridio ca. 10.

mortuorum, qualescunque viuorum consolationes sunt. Non hic Illyrice de defunctorum memoria, sed de oblatione sacrificij altaris & eucharistici (quod Missam appellamus) pro salute defuncti agitur, atque adeo ad propitiationem & expiationem peccatorum. Quid quæris amplius? Et sane in eâ sententia, quam proposueram ex libro de cura pro mortuis, non fit tantum mentio memoriæ defunctorum: sed fit expressamentio commendationis defunctorum in precibus, quæ domino Deo ad altare funduntur. Quæ commendatio, non est simplex memoria defunctorum, sed est supplex precatio pro salute defunctorum: idque ad altare, vbi Deo sacrificium offertur. Ille ipse ergo locus vestram cauillationem euertit, & sacrificium altaris pro defunctis manifestè probat. Et alibi scripsit idem doctor: Perfectio tamen in hac vita nonnulla est, ad quam sancti martyres peruenerunt. Ideoque habet ecclesiastica disciplina (quod fideles nouerunt) cum martyres eo loco recitantur ad altare Dei, vbi non pro ipsis oratur: pro cæteris autem commemoratis defunctis oratur. Rursus eidentissima est illa sententia Augustini, quam de sepultura matris suæ Monicæ scripsit. Nā neque in eis precibus quas tibi sudimus, cum offerretur pro ea sacrificium pretij nostri, iam iuxta sepulchrum posito caduere priusquam deponeretur, sicut illic fieri solet, nec in eis precibus ego fleui.

Aliam calumniam de puro pane & vino offerendo

Auguf. de
verb. apof.
fermo. 17.
Idem lib.
confess.
cap. 12.

ferendo ante consecrationem, idque pro peccatis totius mundi, & pro tota ecclesia, perspicuè & solidè confutauimus in scripto contra Confessionem, ex sententia sancti martyris Irenei, & ex oblatis olim veteribus sacrificijs sanguinis vitulorum & taurorum, idque pro peccatis veteris populi. Quæ sacrificia carnalia per se Deo non placebant, neque Deum placabant, neque denique peccata valebant expiare: sed tantum quatenus vmbre erant & figuræ sanguinis agni immaculati, qui suo tempore erat sacrificandus celesti patri in altari crucis. Et sanè cū Melchisedech ille rex Salem, qui Christi eucharisticum sacrificium præfigurauit, panem & vinum Deo offerret, non in pane & vino, rebus aded creatis hærebat: sed in typum, vt inquit Hieronymus, corporis & sanguinis Domini olim per Christum offerendi, eas creaturas obrulit. Ad eum modum creaturas panis & vini ante consecrationem mysteriorum diuinorum, tanquam res, in quibus celebrandum est diuinum mysterium, Deo offert ecclesia, in typum & signum consecrandorum diuinorum mysteriorum. Nec ob hoc reprehensa vnquā fuit, nisi ab hostibus cōiuratis.

Postremam calumniam proponebat Confessio, quod expressè orat sacerdos, vt Deus propitio vultu respicere dignetur super panem consecratum, quem dicunt esse ipsissimum Dei filium, hoc est, vt filio suo propitius sit: quasi sacerdos mediator sit inter patrem cœlestem, ac filium eius, quem illi offert.

Si Ad

Ad hanc calumniam responderam, sacerdotem non precari ut pater propitius sit filio suo, sed ut benigno vultu respicere dignetur munera proposita, quatenus ab eo tanquam mortali, infirmo & indigno homine offeruntur: hoc est, non ut filium verum Dei, in symbolis panis & vini oblatum, & in altari propositum benigno vultu respiciat, & acceptum habeat: sed ut sacerdotis actionem & oblationem suscipiat, & acceptam habeat, sicut habuit oblationem & actionem ipsius Abelis, Abrahæ & Melchisedech ratam & gratam. Et sic habere ostenderam canonem Basilij: Respice super nos Deus, & super hanc patriam nostram, quam acceptare digneris, sicuti accepta habere dignatus es munera Abel, & sacrificia Abrahæ.

Caillatio.

Hic Illyricus primum rejicit canonem Basilij: quem dicit fictitium esse, quamvis nunc nomine Basilij venditatur. Verum quæ Basilij in Missa sua comprehendit, ea eius esse, ex alijs eius libris ostendi potest. Vide lector epistolam 63. ad Neocæsarienses.

Dilutio.
Ambrosij
canon.

Sed quid dicet ad canonem Ambrosij, qui sic habet: Offerimus tibi hanc immaculatam hostiam, rationabilem hostiam, incruentam hostiam, hunc panem sanctum, & calicem vitæ æternæ: & petimus ac precamur, ut hanc oblationem suscipias in sublimi altari tuo per manus angelorum tuorum, sicut suscipere dignatus es munera pueri iusti tui Abrahæ, & quod tibi obtulit summus sacerdos & Melchisedech?

Est

Est igitur cationis Romani & nunc vſitati ſententia eadem cum Basilij & Ambrosij canone, velit nolit Aduersarius.

Sed vide obsecro Christiane lector hominē odio doctrinæ Catholicæ excæcatum, præcipientem irruere in Augustinum, dum se putat in hostem & aduersarium irruere. Scripseram, in dictis verbis canonis posse locum habere ſententiam Augustini, qua scribit: Hoc est sacrificiū Christianorum. Multi vnum corpus sumus in Christo, quod etiā sacramento altaris fidelibus noto frequentat ecclesia: vbi ei demonstratur, quod in vna oblatione quā offert, ipsa offeratur.

Aug. lib. 10. de ciuitate Dei. cap. 6. & 10.

Hic exclamat rursus bonus aduersarius: palpabilem esse vanitatem, quod dicam in hoc sacrificio rotam ecclesiam offerri, quæ sit corpus Christi mysticū. Verba, inquit, eius sunt hæc: ne quis suspicetur, me falsò ei tam absurda adſingere: Vbi, inquit, demonstratur, quod in ea oblatione, quā ecclesia offert, ipsa offeratur? Nū ergo (vociferatur) ecclesia offert ecclesiam pro ecclesia? An nò hic est ipsissimus spiritus vertiginis?

Caillatio.

Tempora tibi ò bone magister & propheta: Nò in me irruis, sed præceps aduersus Augustinum, cuius ea sunt verba, ruis. Et pro eo ego tibi respondeo, sicut & in Cōfutatione responderā: Ecclesiam corpus quoddā esse mysticū, cōstans capite & mēbris, & in propheticis scripturis quædam tribui ecclesiæ ex personā capitis, quædam ex persona membrorum: alia verò ex persona capitis & corporis siue membrorum: atque hinc fieri, ut ecclesia ipsa, sit & offerens

Dilutio.

St ij &

& oblata. Nec solum dicit Augustinus, vt ipse calumniatur, Christum summū pontificē offerre totam ecclesiam: sed etiam dicit, quod in ea oblatione quam ipsa offert, ipsa offeratur. Sed excæcato homini scio nos frustra hæc quæ manifestissima sunt canere.

Caullatio.

Amb. lib. 4. de sacram. cap. 4. 5. 6.

Quod postremò scripseram in verbis canonicis, quæ tam atrociter lacerant impij hæretici, nihil offendiculi visum esse sanctissimo illi & doctissimo Ambrosio, in libro 4. de Sacramentis, totam pericopen, de qua calumnia struitur, cum veneratione commemorantis, iste reprehendens, scribit non esse verum. Neque enim haberi in eius canone, vt propitio vultu aspiciat: neque vt acceptū habeat illud munus, quod isti dicunt esse filij Dei.

At respondeo, si non verba ipsa, certè sententiam, quam habet Basilius, & quam nos attribueramus Ambrosio, disertè haberi. Dicit enim Ambrosius: Et sacerdos dicit: Ergo memores gloriosissimæ eius passionis, & ab inferis resurrectionis, & in cœlum ascensionis, offerimus tibi hanc immaculatam hostiam, rationabilem hostiam, incruentam hostiam, hunc panem sanctum, & calicem vitæ æternæ: & petimus ac precamur, vt hanc oblationē suscipias in sublimi altari tuo per manus angelorum tuorū: sicut suscipere dignatus es munera pueri iusti tui Abel, & sacrificium patriarchæ nostri Abrahamæ, & quod tibi obtulit summus sacerdos tuus Melchisedech. An nō hic disertè dicit Ambrosius, sacerdotem, antequam populus ad cōmunio-

munionem sacramenti accedat, offerre immaculatam hostiam, rationabilē hostiam, incruentam hostiam, panem sanctum, & calicem vitæ æternæ? Item sacerdotem petere ac precari, vt Deus eam hostiā suscipiat in sublime altare suū per manus angelorū, sicut suscipere dignatus est munera Abelis, Abrahamæ & Melchisedech. Quod quid est aliud quæso, quàm quod noster canon habet: vt propitio vultu aspiciere dignetur super proposita munera, & ea accepta habere? Vides Christiane lector, nō me finxisse aliquid, sed ipsum calūniatorē manifestè cauillationis cōuinci.

Hic te obtestor Christiane frater, vt extremum caput istud libri 4. de Sacramentis Ambrosij, quod tibi impudēs cauillator commendat, considerare attentè non pigeat. Videbis in eo potentissimè conuelli vniuersas scelerati hominis calumnias contra sacrosanctam Missam. Dicit enim disertissimè & palpabiliter Ambrosius, sacerdotem offerre immaculatam hostiam, rationabilem hostiam, incruentam hostiam, panem sanctum, & calicem vitæ æternæ. Atque hoc est illud ipsum, quod Catholica ecclesia docet, & nos Catholicæ ecclesiæ filij defendere, quanto potuimus studio, hætenus cōtendimus.

Porrò quod impostor dicit, *clare loqui Ambrosium de communionem ecclesiæ, non de Missa Papistica*, manifestissimum est eum loqui de tota actione, qua & eucharistia cōsecratur & offertur, & populo tandem dispensatur, docens totā actionem illam faciendā esse in cōmemorationem mortis

Si iij Chri-

Ambrosii doctrina missa cōmendatur

Christi: non autem de communione tantum, ut contendit hostis cōiuratus sacrosancti & tremédi sacrificij altaris. **D**EV illuminet piorū corda, ut sacrosancti sacrificij coniuratos hostes detestentur, & corroboret ea, ut cum sanctissimo & eruditissimo Ambrosio constanter & intrepidē profiteantur, sacerdotes ecclesiæ Christi offerre cœlesti patri hostiā immaculatā, hostiam rationabilem, hostiam incruentam, panem sanctum, & calicem vitæ æternæ. Amen.

Quid in textu: Hoc facite in mei memoriam: pronomen, hoc, monstrat.

*Canon 1.
& 2. cō.
cily Tri-
dentini,
sess. 22.
sub Pio
quarto.*

Canonem primum & secundum Concilij Tridentini, sessionis 22. sub Pio quarto. 1. Si quis dixerit, in missa nō offerri Deo verum & proprium sacrificium: aut quod offerri non sit aliud, quàm Christum nobis ad manducandū dari, anathema sit. 2. Si quis dixerit illis verbis: hoc facite in meā cōmemorationem: Christū non instituisse Apostolos sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi, alijq; sacerdotes offerrent corpus & sanguinem suum, anathema sit.

Hos, in quā, sacros concilij canones acriter infectatur hoc loco Illyricus, multis ratiūculis & sophismatibus contēdens ostendere, quod pronomen, hoc, mōstret in verbis domini, actionē tantum cōmunionis, & non actionē oblationis. Quæ sophismata eius ut perspicuē confutemus & cōuellamus, primū vidēamus, quid Illyricus nomine & appellatione cōmunionis, vel actionis cōmunionis intelligat. Nā inconstās homo variē

variē loquitur. Modò enim dicit: Ipsum bibere ac edere, esse illud facere, quod pronomen, hoc, mōstrat, & quod iubetur fieri in memoriā Christi. Modò verò dicit: Per illud, hoc facite, intelligi illud ipsum facere & præcipere, quod dominus proximè fecerat, dādo apostolis panem, & præcipiēdo comestionē. Nā, hoc, inquit, presentē actionē mōstravit, quā ibi dominus instituit. Superius verò dixit: Quod consecratio & sumptio, partes sunt cōmunionis. Horū igitur singula excutiamus. Si per cōmunionem itaq; intelligatur præcisē bibere & edere, erit hic sensus verborū domini: hoc facite in mei memoriā: edite, & bibite in mei memoriā. At iuxta hunc sensum nihil aliud instituerit Christus, quā quod edatur panis, & bibatur vinū, idq; in memoriā ipsius: nō autē ut cōsecratio, siue, ut loquitur Illyricus, recitatio verborū cœnæ fiat super panē & vinū præsentia. quod tamen acriter & rectē faciendū esse tuetur Illyricus cōtra sacramentarios. neq; deniq; quod distributionē & cōmunionē instituerit aut mādauerit. Cum enim hæc verba, edite & bibite, nō nisi ad vtētes sacramēto pertineāt, nihil per ea ordinatur, aut disponitur de cōfectione sacramēti, aut eius distributione: cūq; auth ore Illyrico verba hæc pertineāt ad vniuersam ecclesiā (sic enim Paulū intelligit) manifestū est per ea sic intellecta nihil ordinari de dispensatione aut consecratione. Hæc enim constat ad populū nō pertinere, sed tantum ad apostolos aut presbyteros ipsorum successores.

*In Sophij
mate 1.
& 2.*

*In Sophij
mate 3.*

*Quod hoc
facere,
nō sit ede-
re & bibe-
re.*

1. Cor. 11.

*Quod hoc
facere, nō
sit dispen-
sare alijs
panem et
vinum.*

Prorsus igitur vanum & falsum est, quod verbum domini perinde valeat, atque edite & bibite, & pronomine, hoc, monstrari actionem edendi & bibendi. Quod similiter, hoc facere, nō sit dare alijs panem, & precipere comestionem, quod Christus proxime apostolis fecerat, ex eo manifestissimè ostenditur, quod per verba sic intellecta nihil ordinatur, aut instituitur de recitandis verbis cœnæ, aut conficiendis mysterijs: deinde verba sic intellecta ad populū pertinere non possunt. quod tamen mordicus contendit Illyricus. Non enim instituit Christus, vt populus sacramenta conficiat, aut verba cœnæ super præsencia panem & vinum recitet, aut etiam alijs dispenset: sed tantum vt populus ad participationem mysteriorum accedat, & de pane edat, & de calice bibat. Vanum igitur & falsum hoc quoque est, verbum domini dictum Apostolis, hoc facite, perinde valere, atque, vos Apostoli date alijs panem & vinum, & præcipite eis, vt edant & bibant, quod ego proxime feci. Hoc itaque duplici sensu reiecto, videamus de tercio illo sensu, quo per communionem, siue actionem communionis, duo se intelligere scripsit, consecrationem & sumptionem, hoc est, vt ipse sentit, recitationem verborum cœnæ, & sumptionem simul cum ipsa dispensatione seu distributione. Sanè Christum vtrumque fecisse, consecrassè certis verbis recitatis panem in corpus suum, & vinū in sanguinem, & ea postea apostolis dispensasse, clarissimè testatur

histo-

historia euangelica, & Pauli doctrina. Sed quoniam de consecratione Eucharistiæ hæreticam habet sententiam Illyricus, omiſsa tertia hac eius sententia, ostendamus, quid propriè & verè pronomine, hoc, in verbis Christi monstratur: hoc facite in mei memoriam. Referunt itaque euangelistæ & Paulus, dominum accepisse panem in manus, & gratijs actis benedixisse, fregisse, dixisse, hoc est corpus meum, dedisse discipulis, & dixisse, accipite & comedite: & post hæc omnia subiecisse, hoc facite in mei memoriam. In his verbis cum certissimum sit, nō peculiariter demonstrari actionem illam edendi & bibendi, quod ne Illyricus quidem negare potest, qui requirit verborū euangelicorum recitationem super præsencia panem & vinum: nōne evidens est demonstrari totā actionem Christi, quam proximè descripserunt euangelistæ, Christum peregisse?

Sensus igitur proprius verborum Christi est: Sicut ego panem accepi in manus, illum benedixi, & certis ac præscriptis verbis consecraui illum in corpus meum, & distribui vobis: sic & vos facite, & quod me vidistis facere, hoc & vos facite: Accipite panem, consecrate eum, & dispensate alijs, atque hoc totum facite in mei memoriam. Vbi constat, pronomine, hoc, demonstrari actionem Christi, quam proximè fecerat, non partē aliquā actionis eius: nec tantum actionē siue communionē edentiū & bibērium, sed integram ipsam, & totam Christi actionem.

Sf v Verum

Quid proprie demonstrat pronome hoc in verbis domini, hoc facite.

Pag. 219

Pfal. 05.
Malach. 1.

Verum vt opinor , non magnopere obstre-
pet aduersarius huic intellectui , in quo tantum
de consecratione, & dispensatione, & sumptio-
ne mentio fit (nam illas partes actionis & com-
munionis Christi , ipse scribit se agnoscere , &
hanc actionem constantem duabus partibus per
communione se intelligere dicit) nulla autem
in eo sensu videtur fieri mentio sacrificij & ob-
lationis. Verū obseruandum est diligenter, quod
ratio sacrificij & oblationis eatenus continetur
in verbis, hoc facite, quatenus comprehenditur
in ipsa Christi integra actione. Cū enim ver-
bis, hoc facite, Christus iubeat Apostolos hoc
ipsum facere quod ipse fecit: nisi ipse sacrificasset
& obtulisset consecrando, certè offerendi pote-
stas verbis illis, hoc facite, non comprehende-
retur. At cum superius manifestissimè tum ex
scripturis, quę testantur Christum in cœna fun-
ctum fuisse sacerdotio secundum ordinem Mel-
chisedech, & quod Melchisedech in pane & vi-
no, tanquam in typo diuini mysterij fecerat,
Christum in veritate corporis & sanguinis fe-
cisse, tum ex testimonio vniuersę antiquitatis,
Christū consecrando panem in corpus verè sa-
cificasse & obtulisse, rectissimè Catholici inter-
pretantur in verbis, hoc facite, significari: offerre
& sacrificare. Non quod verbum, facere, signifi-
cet propriè offerre & sacrificare: sed quia in a-
ctione Christi, integra, oblatio & sacrificiū con-
tinetur. Firma igitur & solida, & sola immota
est Catholicorum sententia, pronomine, hoc,
in

in verbis, hoc facite, demonstrari actionem Chri-
sti, eamq; integram, & veram, ac propriam sa-
cificij rationem continentem. Sic Cyprianus: Cypri. epi.
3. lib. 2.
Iesus Christus dominus & Deus noster, ipse
summus sacerdos Dei patris, sacrificium primus
ei obtulit, & hoc fieri in sui cōmemorationem
præcepit. Vides Illyrice, quid dominus in sui
commemorationem fieri præcepit. rursus Chry-
sostomus: Hostiam nos mundantem obtulit,
ipsam offerimus & nos. Hoc autem quod nos
facimus, in commemorationem quidem fit eius
quod factum est. Hoc enim facite, inquit, in
meam commemorationem. Attende Illyrice,
si lubet, quid Chrysofomo demonstrat pronomen,
hoc. Sic Theodoretus: Clarum est, inquit,
non aliud nos offerre sacrificium, sed illius v-
nius memoriam agere. hoc enim præcepit no-
bis ipse Dominus, dicens: hoc facite in meam
commemorationem. attende quæso Illyrice.
Et paulo superius cū tractarem cauillationem
Illyrici de catechesibus veterum, copio-
sissimè ostendimus per plurima alia patrum te-
stimonia, & Christū sacrificasse in extrema cœ-
na, & Apostolis suis, vt sacrificarent, ordinasse.
Et nihil pudet impudentissimum hominem
scribere: *Ne vnum ex patribus proferrī posse, qui li-
quido dicat & expresse, Christum ante communionem
sacrificasse.*

Chrysof.
in cap. 17
in epist.
ad Hebr.

Theodo-
retus in 2.
ca. ad He-
braeos.

Illyricus
in ratiuncu-
la so-
phist. 19.

Sed audiamus iam vanissimas ratiunculas &
sophismata, quibus Illyricus contendit demon-
strare per pronomen, hoc, in verbis, hoc facite,
monstra-

Excutiū-
tur ratiū-
cula Illy-
rici.

monstrari actionem tantum communionis, hoc est, actionem consecrationis, siue recitationis verborum euangelistarum de coena Domini, distributionem & sumptionem. Nam hæc cōmunionis appellatione intelligere videtur Illyricus.

1. & 2. ra
tioniūcula.

Prima & secunda ratiūcula sophistica sumpta est ex Paulo in epistola priore ad Corinthios capite 11. dicente : hoc facite quoties biberitis in mei recordationem. & rursus : Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, & calicem biberitis, mortem domini annūciabitis, vel annunciate, donec veniat. *Vbi Paulus videtur verba Christi, hoc facite, referre ad omnē ecclesiam: & interpretari quod, hoc facere, sit manducare & bibere ad recordationem Domini. Itaque pronomine, hoc, monstrari ipsum edere & bibere, & non actionem Christi.*

Confutatio.

Respondeo, si pronomē, hoc, apud Paulum demonstrat solum edere & bibere, quorū Paulus expressam mentionē facit: consequens fore, Christum nihil de consecratione, siue, vt vult Illyricus, verborū cœnæ recitatione instituisse. quod euidenter falsum est. Sin verò pronomē, hoc, demonstrat quidem actionem illam edendi & bibendi, sed tamen non exclusā demonstratione actionis integræ Christi, qua & consecrauit, & obtulit, & distribuit corpus suum & sanguinem : non erit improbandus intellectus, comprehendens simul & integram actionem Christi, positam in consecratione, oblatione, & distributione, & Apostolorum ac populi

puli communionē & sumptione. atque omnia hæc simul demonstrata docet Paulus faciendā esse in Christi recordationem. Paulus itaque ad Corinthiorum ecclesiam scribens, & eam circa celebrationem mysticæ cœnæ instituens, & verba Domini ad populi ædificationem accommodans, docet, sumptionem corporis & sanguinis Domini faciendam esse reuerenter, & grato animo, sine strepitu & luxu cōuiuiorum, in recordationem Dominicæ mortis & passionis, imò omnium Christi beneficiorum. Quem sensum clarissimè constat nō excludere pronomine, hoc: etiam & vel imprimis demonstrari integram & totam actionem Christi. Quam si exclusam intelligas, exclusa quoque erit ordinatio omnis de eucharistiæ consecratione & consecratione. quod prorsus absurdum est. Cæterū exactior Paulinæ doctrinæ excussio ad præsens institutum non pertinet.

3. Ratiūcula prorsus inanis est, & puerile planè sophisma. *Sensus communis flagitat, vt per illud, hoc facite, intelligatur illud ipsum facere, quod Dominus proxime fecerat, dando scilicet panem, & precipiendo comestionem.*

3. Ratiūcula.

Imò cum dominus vna & eadē actione consecrauerit panem, tanquam sacerdos secundum ordinem Melchisedech, dederit Apostolis, inuitans eos ad edendum : sensus communis flagitat, vt actionem integram proxime præcedentem demonstraerit, quando mox subiecit: hoc facite in mei memoriam. Cum enim Christus parti-

Solutio.

particulam aliquam certam actionis non peculiariter designarit, sacrilegiū est, verbis eius restrictionē affingere. Et iam paulo superius ostēsum est, quod si actio edendi & bibendi sola demonstrata sit, nō poterit ostendi, quod integra communio à Christo ordinata sit. quæ, ut profitetur ipse Illyricus, duabus partibus constat, consecratione & sumptione.

4. Ratiō
cula.

4. Ratiuncula est: *Quis sana mentis homo credit, evangelistas & apostolum, ac imprimis ipsum spiritum sanctum, toties narrante actionem sacre cœnæ Domini, tantam rem fuisse prætermisissimum?*

Respondeo, si tibi oculi essent Illyrice, ad videndum cum vniuersa antiquitate iam inde ab exordio ecclesiæ, tu quoque reuerenter & venerabundus cernerēs arcanum hoc mysterium, & angelicis quoque spiritibus, ut ait Chrysostomus, tremendum & adorandum, satis patefactum esse, tum per Prophetam Dauidem, vaticinantem de sacerdotio Christi secundum ordinem Melchisedech: tum per prophetam Malachiam, tum denique per Paulum ipsum in epistola priore ad Corinthios: & interea tamen incredulis gētibus & superbis hæreticis abditū. Et veneranda vetustas ne cathecumenis quidē, quibus tamen scripturæ tam propheticæ quàm apostolicæ legendæ credebātur, ante baptismū, eucharistiæ mysterium patefaciendum putabāt.

Vide August. in epist. ad Honoratum 120.

5. Ratiō
cula.

5. Ratiuncula prorsus inanis est: *Omnis vetustas intellexit illud mandatum, hoc facite, de sacra cœna repetenda, & super id mandatum Christi, sacram conam fundam-*

fundavit, seu ut illi mandato obtemperaret, eam celebravit. Quo ergo iure? qua conscientia, aut qua fronte isti seductores à tā perpetuo ecclesiæ Dei intellectu recedunt?

Cohibe te bone Illyrice: Nō à perpetuo intellectu ecclesiæ recedimus catholici, sed secundum perpetuum totius vetustatis intellectum, intelligimus in sacre cœnæ celebratione secundum Christi institutum, comprehendere sacrosanctum missæ sacrificium, quod apud æquum lectorem iam satis demonstratum speramus.

Solutio.

6. Ratiuncula hominē indicat stupore quodā correptum. Si, inquit, illa verba, hoc facite, de missa intelligas, non habebitur vllum mandatum de sacra cœna iteranda. Sicq; necessario impiè fecerunt omnes, qui ea vsi sunt vnquam. quod palpabiliter manifestum est.

6. Ratiō
cula.

Respondeo palpabiliter falsum esse, quod tu nimis impudenter dicis manifestum esse. Manifestissimum est enim, quod hæc sententia: hoc quod ego feci, facite etiam vos, idq; (ut Paulus interpretatur) donec veniam; cōprehendat mandatum perpetuò iterandæ & celebrandæ cœnæ vsque ad aduentum Domini.

Respon-
sio

Æquè vanum & puerile est, quod adijcit Illyricus: *Non potest etiā illud, hoc facite, plures ac plane diuersas res indicare. Nam clarè tantum de vna re aut actione agit, non de duabus plane diuersis.*

Nam si euāgelistæ sic diserte scripsissent: Hæc integram meā actionem vos repetite: nihil sane absurdū contineret ea scriptura, & tamen actio integra illa pluribus rebus cōstaret, quæ tamen omnes ad vnum finem conferuntur.

Et,

Et, Illyrico quoque authore, integra communio-
 nis actio duabus rebus diuersis constat, con-
 secratione & sumptione. Et tamen communio-
 nem ipse vult demonstrari, non partialem, vt
 opinor, sed integram. Nisi blasphemij eius hor-
 rendis offensus Deus homini mentem adime-
 ret, tam ridicula sophismata tantus magister
 non effunderet.

7. Ratiun-
 cula.

1. Cor. 11.

7. Ratiuncula in Cōfutatione primæ & secū-
 dæ, magna ex parte confutata est. Sed addit hic
 aliquid. *Si, dum scriberet Paulus ad Corinthios, fuisset*
Missa in vsu, dixisset: Conuenite omnes ad illud sum-
munum communeq; sacrificium, idq; deuotissimè celebrate,
& audite: est enim omnibus audientibus valde salutare.
Vbi id peregeritis, tandem etiam communicate. Sed ille
nulla prorsus facta mentione sacrificij, tantum de com-
munionem agit.

Respōso.

1. Cor. 10.

Respondeo, quid Paulus de eucharistiæ sacri-
 ficio & oblatione senserit, indicat illustris eius
 collatio illa, qua comparat in eadem epistola,
 atque adeo in capite immediatè præcedente ho-
 stias veteres, quæ immolabantur Deo, & ho-
 stias, quas gætes immolabant dæmonibus cum
 eucharistia: & mensam siue altare Mosi & dæ-
 moniorum, cum mensa & altari nouæ legis.
 clarissimè significans, quod eucharistia, esset ho-
 stia in noua lege Deo immolata: sicut hostiæ le-
 gis offerebantur Deo, & hostiæ gentium dæmo-
 nibus. Sed de hoc Pauli testimonio, de quæ ca-
 uillationibus Illyrici contra illud, satis dictum
 est superius.

8. Ra-

8. Ratiuncula vibratur aduersus eximium ec-
 clesiastem, Fraciscanum patrem, Ioannem Por-
 thæsum Gallum, qui egregiâ operam nauauit
 Antuerpiæ aduersus sectarios anno superiore, &
 obruit eum Illyricus luculento mendacio, dum
 dicit, *eum sensisse & prædicasse, per pronomen, hoc,*
demonstrari corpus Christi præsens. Scribit enim
 disertissimè in libro suo, quem edidit de verbis
 Christi, hoc facite: totam actionem Christi com-
 prehendi in his verbis, hoc facite. Quod verum
 esse, cognoscere poterit lector ex ipsius libro
 de verbis, hoc facite, ædito contra cauillatio-
 nes Illyrici.

8. Ratiun-
 cula.

9. Ratiuncula. *Christus in cœna expressè indicauit*
sui corporis oblationem, in cruce, non in missa fiendam.
Dicit enim sanguinem suum fundendum esse, quod non
potest intelligi nisi de effusione in cruce. Nam in missa
non dicunt isti effundâ sanguinem, sed offerri ac bibi
tantum.

9. Ratiun-
 cula.

Possẽ tibi Illyrice opponere probatissimos
 Græcos scriptores, qui illud de sanguine effun-
 dendo legunt, qui effunditur: & interpretantur
 de mystica effusione in ipso calice. Sed nihil
 opus est de ea re cum homine, quidlibet pro ar-
 bitrio reiiciente contendere. Sed quænam est in
 tua argumentatione probabilitas consequentiæ?
 Christus indicauit corpus suum offerendum in
 cruce, & ibi fundendum suum sanguinem: non
 est igitur corpus eius oblatum mysticè in cœna:
 cum iam toties tot verustos scriptores audieris,
 ingenuè profitentes, quod Christus in vltima

Respōso.

Tæ cœna.

cœna, tanquam sacerdos verus secundum ordinem Melchisedech obtulit non panem & vinum in typo, sed corpus suum & sanguinem patri cœlesti sub symbolis panis & vini.

10. Ratiuncula. 10. Ratiuncula idem ferè canit, quod quarta: quare illius confutatio ad istam quoque confutandam valet & sufficit.

11. Ratiuncula. 11. Ratiuncula est: *Scriptura non solum nullam commendationem misse facit, eamve mandat: sed etiam manifestè eam damnat, dum constantissimè asserit, sacerdotium esse à Levitis in Christum translatum: ab eo verò ad neminem ulterius transire. Eum enim esse sacerdotem æternum.*

Responso. Ad hanc cavillationem satis superius respondimus: Sacerdotium sempiternum Christi, non transferendum in aliud aliquod sacerdotium: sicut Aaronicum seu Leviticum commutatum est in sacerdotium Christi. Verùm quod à Christo non essent constituendi sacerdotes quidam, qui eius vice hostiam non Aaronicam, sed mysticam & incruentam offerrent in ecclesia, novi testamenti tempore id scriptura non docet: imò clarissimè contrarium docet, dum dicit, quod hostia pura & immaculata sit tempore novi testamenti offerenda magno Dei nomini, toto orbe terrarum in omnibus gentibus, reiectis sacrificijs Aaronicis. Nam apud Malachiam clarissimum est, sermonem esse ad sacerdotes, & de hostijs offerendis per sacerdotes. Ostendimus quoq; superius, sacerdotium Christi secundum ordinem, seu ritum, & formam sacrificij Melchisede-

Malach. 1.

chisedechini, non esse æternum, hoc est, perdurans ad adventum domini, nisi secundum quod Christus per sacerdotes illam formam sacrificij exhibet in ecclesia, vsque ad consummationem seculorum.

Addit Illyricus aliam probationem: *dum, inquit, tam graviter affirmat spiritus sanctus vnico sacrificio omnia peracta esse.*

Respondimus quoque superius, quod vnico illo Christi sacrificio in cruce peracta sint omnia, si pretij oblatis magnitudinem & virtutem spectes: sed non, si spectes actualè salutis operationem & fructum. Requirit enim, vt virtus illius sacrificij applicetur ad operandum fructum salutis.

Inter ea verò instrumenta, quæ diuinitus sunt ordinata, ad applicandam virtutem illam potentissimi sacrificij crucis, obtinere vel principem locum sacrificium eucharisticum, per quod virtus diuina operetur salutis effectus: & proinde verissimè & rectissimè dici, & esse sacrificium propitiatorium & expiatorium.

12. Ratiuncula: *Si Christus obtulisset patri suum corpus, oportuisset certè eum obtulisse ante communionem, non post, sicut & Papistæ faciunt. Nam post communionem non restat iam eucharistia quæ offeratur. At si ante communionem obtulisset, oportuisset eum non consecratum panem offerre. Nam verba consecrationis indiuisè Christus cum communionem coniunxit, vel potius in medio communionis inseruit. dedit enim panem, dicens. Præterea si etiam ante obtulisset, tum ibi protinus subiunxisset mandatum de oblatione repetenda. quod Papistæ dicunt esse in verbis: hoc facite in memoriam mei.*

12. Ratiuncula.

Fingant ergo ubi volunt missationem Christi in sacra cœna, semper sibi et textui palpabiliter contradicēt.

Respōsio.

Vanissimam esse hanc ratiunculam, facile animaduertere poterat Illyricus, si ad sacrificium sacerdotis Melchisedech attendere voluisset. Quemadmodū enim Melchisedech panē & vinum obtulit in typo, vt inquit Hieronymus, sacrificij Christi, quod in eius corporis & sanguinis oblatione perageretur & celebraretur: (obtulit autem ille panem tantum purum, & vinum) ita Christus veritatem præfigurata exhibiturus, ipse quoq; verus sacerdos secundum ordinem Melchisedech, panē & vinum, non iam puras creaturas, sed consecratas in corpus suum & sanguinē, obtulit patri cœlesti, & eius vultū præsentauit. Consecratio igitur panis & vini in corpus & sanguinem Christi, facta à sacerdote, cuius officium est sacrificium Deo offerre pro populi salute, ad veritatem exhibendam, quæ per oblationem panis & vini in typo præfigurata erat, hoc est, ad offerendum Deo non iam puras creaturas panis & vini, sed panem verum, cœlestem, panem vitæ, corpus & sanguinem Christi: verissima fuit oblatio & sacrificiū, quia in ea Christus fungens sacerdotio præfigurato in Melchisedech, consecrauit panem & vinum in suum corpus & sanguinem, tanquam hostias veras, per hostiam panis & vini à Melchisedech oblatam præfiguratas & designatas. Per hoc itaque quod Christus ad exhibendam veritatem præfigurata, consecrauit panem & vinum,

Diligens explicatio sacrificij in missa.

num, quæ fuerunt hostiæ sacerdotis Melchisedech in typo, in hostias diuinas, nempe corpus suum & sanguinem: manifestissimè constat, quod Christus in cœna corpus suum & sanguinem, tanquam veras hostias, sub symbolis panis & vini, tanquam verus sacerdos secundum ordinem Melchisedech obtulit & sacrificauit. Sicut disertissimè dixit Augustinus: Christum de corpore suo & sanguine instituisse sacrificium secundum ordinem Melchisedech. & Hieronymus: Melchisedech in typo panem & vinum obtulit, & mysterium Christianum in saluatoris sanguine & corpore dedicauit. Consecratio itaque creaturarum panis & vini in corpus & sanguinem in hoc diuino mysterio cōsideranda est, non solum vt est potentissima conuersio creaturarum in corpus & sanguinem Christi: sed vt est transmutatio creaturarum, quas olim in typo obtulit Melchisedech in hostias spirituales corporis & sanguinis Christi, quarum oblatione veritas exhiberetur. Vnde scholasticè quidem, sed tamen aptissimè scripsit Caietanus, consecrationem hanc, esse consecrationem immolatitiam.

August. in Hieron. ad Marcel lum.

Respondemus itaque ad inanem caullationem Illyrici, Christum obtulisse ante communionem, non purū panem & vinum, sed verum corpus suum & sanguinem, dum cōsecrauit tanquam sacerdos secundū ordinem Melchisedech panem & vinum in hostias, veritatem præfigurata in typo sacrificij Melchisedech exhibens.

T t iij Quod

Quod autem nugatur verba, consecrationis indiuisse Christum cum communione coniunxisse, inò in mediò communionis inseruisse, id consecratio & communio sanguinis ab euangelistis descripta planè confutant. Describit enim

Lucæ 22.

Lucas Christum dixisse: Accipite calicem, & diuidite inter vos, hoc est, vicissim ex vno omnes bibite. Ex quo manifestissimè constat, quod non est inserta communioni ipsa consecratio. Non enim ad singulam bibitionem, nouam consecrationem audebit fingere Illyricus: sed consecratio ante communionem facta est, & per eam semel factam permanfit sanguis in calice, donec omnes biberent.

Marci 14.

13. Ratiuncula. Cum pronomen, hoc, sit singularis numeri, & vnã tantum actionem monstret, non duas, idq; proximam tantum, testibus Grammaticis: sint autem duæ diuersissimæ actiones, Missa & communio, necesse est, vt communionem tantum monstret quæ proxima actio est: vtq; communionis quidem

13. Ratiuncula.

dem iterationem significet, non autem oblationis, aut Missæ, etiam si fingatur Christus sacrificasse, & Missam fecisse.

Cauillationem hanc ineptissimam ipsa isto- *Respõsio*
rum communio palam coarguit. Nam duabus rebus & actionibus eam constare apertè profitentur: consecratione & distributione panis consecrati. imo & tertia, quæ est panis consecrati esus. nam edere panem consecratum, ipsis est facere & agere. Si igitur communio ipsorum tam diuersis actionibus constans, potest tanquam vnica actio, per pronomen singularis numeri monstrari, cur non & actio totius cœnæ, continens consecrationem, oblationem, & dispensationem? Et quando legisperito interroganti quid faciendo vitam æternam possidere posset, respondit Dominus seruator tandem: Hoc fac, & viues: non vnica aliquam actionem, sed obseruationem totius Decalogi in præceptis duobus dilectionis contentam commendauit, demonstrans vniuersam legis impletionem per pronomen singulare, hoc.

Luc. 10.

14. Ratiuncula. Si antea obtulisset corpus suum *14. Ratiuncula.*
pro humano genere, debuisset in communionem dicere: hoc est corpus meum, quod pro vobis modò à me oblatum esse vidistis.

Respondet sæpius iam citati patres: Quia sacrificium istud mysticū Christus instituit, tanquam exemplar, imaginem, & recordationem illius cruenti in cruce sacrificii, ideo non *Respõsio*
T t iiii debuit

debuît huius facere expressam mentionem,antequam illud esset secundum veritatem exhibitum.

15. Ratiuncula. *Si Christus duas actiones ibi instituit, nempe & Missam & communionem, dixisset certe in plurali: Hac facite, vel hæc duas actiones facite in memoriam mei. quo clarè ac perspicuè de tanta re præcepisset, ordinassetq.*

Respõsio Iam satis superius responsum est, totam actionem cœnæ, ad finem vnum, nempe memoriam mortis præceptâ fieri, vnicam cœnæ actionem, etiam si diuersis actionibus constet. Sicut vna est communio, quæ diuersis actionibus consecrationis, dispensationis, & perceptionis constat, auctore ipsomet Illyrico.

16. Ratiuncula. *Quid attinet bis offerre Christum suum corpus, semel in cœna, postea in cruce? Cùm scriptura affirmet, vnicâ oblatione redemptionem nostram esse peractam, non duabus aut multis: & Christum semel tantum intrasse in sancta sanctorum, & semel tantum eum plenam redemptionem reperisse.*

Respõsio Iam antè responsum est, vnica oblatione Christi, eaq̃ue cruenta, redemptionem nostram esse peractam secundum potentiam, & magnitudinem, & valorem pretij oblatis, hoc est, sanguinis pretiosi Christi, sed non secundum effectum & fructum: ideoque opus adhuc esse tam sacramentis quàm sacrificijs, in quibus applicata immensa virtus passionis oblatae, operetur fructus & effectus salutare in ijs quibus per sacramenta vel sacrificia diuinitus ordinata applicantur.

cantur. Atque ad hanc pretij magnitudinem & sufficientiam offerendam Christus sanè per sanguinem suum pretiosum semel tantum intrauit in sancta, æterna redemptione scilicet secundum potentiam pretij inuenta. Porro cur Christus bis voluerit seipsum offerre, ipsemet indicat, dum dixit: hoc facite in mei memoriam. quasi dicat: hoc incruentum sacrificium corporis & sanguinis mei ego primus celebros & perago, vt institutam vobis sacrificium, perpetuo recordatiuum & representatiuum cruenti sacrificij, quod mox in cruce peragam, per quod illius cruentæ oblationis possitis perpetuo fructus & effectus percipere.

17. Ratiuncula. *Christus vnum tantum memoriale instituit, non plura. Si id est Missa, non ergo communio & contra. Itaque id ex istis duobus, quod non est memoriale passionis domini, tanquam inutile aboleatur potius quàm retineatur. cui enim tandem vsui esse possit?*

Respõsio Respondent Illyrici inani huic cauillationi vniuersi patres: Totam cœnæ actionem, esse memoriale vnum perfectum passionis Domini: & oblationem, qua corpus separatim, & sanguis separatim (quemadmodum in cruce sanguis à corpore separatus fuit) offeruntur in recordationem: & etiam communionem, qua corpus separatim, & sanguis separatim fidelibus dispensantur, quando ea separatim dispensari spiritus sanctus ecclesiæ suggerit. Et sanè, sicut superius ostendimus, magis propriè oblatio corporis & sanguinis Christi, passionis memoriale est, quàm

Aug. aduerfus articulos falso sibi impositos.

ipsa communio. Nam quando iuxta magisterium spiritus sancti altera tantum species populo communicatur, ipsa per se communio, seu distributio corporis solius, figuram & representationem mortis & passionis Christi, non videtur habere. Quamquam hoc certissimum sit, sine grata recordatione mortis & passionis Christi, vel solum corpus non rite suscipi.

18. *Ratiuncula, conclusio- nem continens.*

18. Ratiuncula conclusionem continet. Illa verba igitur, hoc facite in memoriam mei, teste diuo Paulo, & ipso Christo, ac toto contextu, omniumque vetustate ecclesie, qua illo, & nullo alio verbo aut mandato freta, sacramentum coenam celebravit, proprie ad communionem, non ad missam pertinent. Quare Concilium Tridentinum contrarium decernens, & excommunicans omnes non consentientes, in illis verbis missam institutam esse, excommunicat etiam ipsum Paulum, ac Spiritum sanctum, & vicissim excommunicatur ab eo. Sic ea Hieron. Beda, Glossa Interlinearis, & alij omnes intellexerunt.

Responsio

Ex hac conclusione Christiane lector agnoscere clarissimè potes, quod spiritus mendacij istum hominem totum possidet, qui non veretur impudentissimè mentiri, omnem vetustatem verba Pauli ac Christi, hoc facite in mei memoriam, proprie ad communionem, & non ad missam referre. Puto enim te probè meminisse, innumeros patres superius citatos clarissimè & disertissimè testari, Christum tanquam sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, in coena obtulisse patri corpus suum & sanguinem: atque ut id ipsius exemplo Apostoli, eorumque, succes-

sores

sores facerent usque ad aduentum suum praecipisse, & mandasse per verba hæc, Hoc facite.

Audiuisti beatum Cyprianum disertè dicentem: Dominus noster Iesus Christus sacrificium Deo patri obtulit, & obtulit hoc idem quod Melchisedech, id est, panem & vinum, suum scilicet corpus & sanguinem, & hoc fieri in sui commemorationem praecipit.

Audiuisti Theodoretum dicentem: Clarum est non aliud nos offerre sacrificium, sed illius vnus nos memoriam agere. hoc enim praecipit nobis ipse dominus: Hoc facite in mei commemorationem.

Audiisti & Hieronymum dicentem: Quod autem dixit, Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech: mysterium nostrum in verbo ordinis significatur, nequaquam per Aaron irrationalibus victimis immoladis, sed oblato pane & vino, id est, corpore & sanguine domini Iesu.

Et audet adhuc inuerecundus homo Hieronymum citare in commentario epistolæ prioris ad Corinthios. Cuius commentarij author (nam constat non esse Hieronymi) sicut & Paulus in eo loco, verbum, facite, etiam ad populum refert. de quo superius in solutione primæ & secundæ rationis satis copiosè diximus.

Quod verò Beda quoque citare non veretur, perspicuum est omnibus, Beda non suam, sed Augustini vbique explicationem tradere. Iam autem satis, superque de Augustini clarissimis sententiis ostensum est: Christum de suo corpore & sanguine instituisse nouam oblationem noui testamenti.

Post

Cypr. epi.
3. lib. 2.

Theodoro-
retus in c.
8. ad Heb.

Hieron. in
quaest. He-
braicis.

19. *Ratiuncula.*

Post conclusionem bellam, atexit & decimannonam ratiunculam puerilem. *Quod si, inquit, omnino verum est secundum Concilium Tridentinum, Christum in illis verbis, hoc facite, mandasse, ut Apostoli Missam faciant, tum necesse est eos ibi protinus omnes missasse, aut duodecim missas denurmurasse. Clare enim verbo presentis temporis præcipit: hoc facite. Quare aut fuerunt inobedientes Christo, aut mox omnes misarunt.*

An te non pudet Illyrice tam puerilium caullationum? quasi cum dominus accumbens in domo Pharisei, diceret Phariseis: Date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis (quia visus est temporis presentis verbo, date) non permiserit, ut congruo & oportuno tempore darent eleemosynam, & mundarentur.

20. *ratio de missæ effectu.*

Post has bellas ratiunculas, scurriliter nugatur, ac tandem extremam rationem proponit. *Ex eo quoque, inquit, extrema vanitas missæ deprehendi potest, quod ipsimet ignorant, quid tandem efficiat vel profit missa. Tiletanus, inquit, dicit esse sacrificium commemorativum, eucharisticum, siue gratiarum actionis, & supplicatorium: quod ipsum quidem non satisfaciat pro peccatis, sed tantum petat, ut semel parta morte Christi satisfactio nobis applicetur. At contra, alij dicunt, missam esse verè propitiatorium, ac expiatorium sacrificium. Tapperus & Biel dicunt esse satisfactorium.*

Tapp. articu. 61.
Biel lect. 85.
Responso

Respondeo, Catholicos constanter docere cum Concilio Tridentino, sacrificium Missæ esse expiatorium, propitiatorium, & satisfactorium. Quod verò ad meam pertinet sententiã, iam

iam supra scdam calumniam istius hominis satis confutavi. Nusquam enim demonstrabit me scripsisse, quod ipsum quidem non satisfaciat pro peccatis: sed tantum petat, ut satisfactio parta morte Christi nobis applicetur. Id enim tantum scripsi: In cruce exhibitam esse patri passionem, quæ potens sit, & sufficiat satisfacere, & expiare omnia peccata: sed quæ expiationis fructum & effectum non operetur, nisi sit vel per sacramenta, vel per hoc sacrificium, aut alia diuinitus ordinata instrumenta, applicata: applicatam autem iam operari fructum expiationis & satisfactionis. Scripsi igitur, & rectè me scripsisse confido: Sacrificium Missæ, esse sacrificium commemorativum siue representativum mortis Christi. Scripsi, esse sacrificium gratiarum actionis. Scripsi, esse sacrificium deprecativum, quia in eo ecclesia deprecatur, ut ob pretium sanguinis immaculati agni, qui in eo offertur cœlesti patri, peccata expiantur, & reatus peccatorum aboleantur. Sed ex his, bone Illyrice, non est consequens, sacrificium hoc non esse expiatorium, aut satisfactorium, aut denique propitiatorium: imò contrarium potius consequitur, nempe quia in eo offertur commemoratiuè cum gratiarum actione & postulatione verus agni immaculati sanguis. Fieri non potest, quin virtus illius potentissimi sanguinis per illud & in illo applicata fidelibus, operetur in eis: si modò ritè dispositi sint, & præparati salutare effectus expiationis peccatorum

torum satisfactionis, & alios quoslibet ad salutem pertinentes.

Quod autem reuerendum virum illum Taperum, colendum meum præceptorem, inter dubitantes de fructu Missæ recenset, iniuriam ei facit. Non enim dubitare se scribit, an sit expiatorium aut propitiatoriū sacrificium, sed hoc solū ipse indiscussum & in medio relinquit. An culpa quoque mortalis, & reatus æternæ damnationis per huius sacrificij applicationem expientur: sicut de peccato veniali, & de reatu pœnæ post culpam mortalem remissam restantis, hoc doctores constanter tradunt, imò & Concilium definit: Quanquam sibi magis probari dicat, quod etiam secundum sententiam Pontificis Alexandri, per hoc sacrificium expientur etiam crimina.

Quis primam Missam fecerit, & dicit me, quod scripserim Christum esse authorem Missæ, hoc est, sacrificij Eucharistici, & primum sacrificium Missæ obtulisse, contrariari alijs, qui dicunt vel Iacobum Hierosolymis, vel Petrum Antiochiæ primam Missam fecisse.

Cùm malitiosus homo satis intelligat, quod diuersis considerationibus verum esse possit, quòd Christus primus Missæ sacrificium fecerit, & quod alius aliquis, solennibus & congruentibus tanto sacrificio ritibus institutis, primus eam fecerit: valeant huiusmodi futiles hominis istius ineptiæ & argutiæ.

Confido in Christo, Christianū lectorē hinc vanif-

vanissimis ratiunculis & argutijs adeo nihil perturbandum contra fundatissimam, & perpetuam ecclesiæ Christi doctrinam de sacrosancto illo & tremendo altaris sacrificio, hoc est, missa: vt eis consideratis, magis confirmandus sit & stabiliendus, quando videt aduersus veritatis lucem, nihil nisi fumos quosdam & tenebras offundi posse, nihilque solidi, sed tantum pueriles quasdam & inanissimas ratiunculas ab hominibus veritatis oppugnandæ studiosissimis obiectas esse.

DE SACRAMENTARIORVM ERRORE.

CAPVT XVI.



IN capite de errore sacramentarium, primum damnaueram confessionem, quod ea reiiciat transubstantiationem, & ostenderam, nisi ea agnosceretur, nō posse verborum Christi: hoc est corpus meum: proprium sensum constare, sed necessarid ad tropū a verborum proprietate discedendum esse. Prorsus enim fieri non posse, vt panis (pronomine, hoc, demonstratus) sit corpus Christi. Sicut fieri non posse manifestissimū est, quod panis sit lapis aut lignum: æquē enim inter se disparata esse, panem & corpus Christi, sicut panem & lapidem, aut lignum.

De proprio sensu verborum, hoc est corpore meum.

Hunc

*Cavillatio
absurda
dissima.*

Hunc errorem pergit adhuc tueri Illyricus: Vnio, inquit, hic significatur non summa identitas, & pronomine, hoc, monstratur non solus panis, sed etiam corpus. nec necesse est confugere ad tropum. Sicut etiam cum dicitur: Hic homo, est Deus: aut hic Deus, est homo. ubi vnio naturarum indicatur, & simul personæ unitas. Et est ea forma locutionis, quasi si accidens de subiecto prædicaretur.

Dilatatio.

Sentit igitur Illyricus, hunc esse verborum Christi: hoc est corpus meum, sensum: Panis est corpus meum, propter vnionem panis cum corpore in sacramento, & non propter identicam prædicationem. Sed quæso te Illyrice, quare magis ille sensus, est proprius sensus verborum Christi, quam is, quem adferunt Sacramentarij? Panis est corpus Christi, non quidem per identicam prædicationem, sed per figuram aut signum. Cum enim proprietas verborum: hoc est corpus meum: clarissimè insinuet, & requirat identicam prædicationem, quomodo non ad tropum discedit, qui non per identitatem, quam proprietas verborum requirit, sed per vnionem quandam affirmat, panem esse corpus Christi.

*Conciliū
Illyrici
de prædi-
catione per
vnionem.*

Quod autem adfers, per vnionem hominis & Dei, factum esse, vt hac sit vera propositio, & propria quoque: Hic homo est Deus. atque hac quoque, Hic Deus est homo: longè diuersissima est hæc vnio ab ea quam tu comminisceris fieri in sacramento. In hac enim naturæ duæ in vnam, eandemq; personam, seu hypostasin ineffabili ratione copulantur. Vnde fit, vt vtraque natura in vocabulo

bulo concreto, seu significante personam quæ habet naturam, possit verissimè & propriissimè prædicari de vna & eadè persona. Propriissima enim & verissima est prædicatio naturæ de persona, cuius est natura, & in qua non accidentaliter, sed substantialiter sustentatur. (non enim humana natura accidentaliter inhæret filio Dei æterno, sed est ei substantialiter in mysterio incarnationis tanquam insita & implantata) at in vnione ista sacramentali, quam tu constituis, non fit talis aliqua vnio diuersarum naturarum in vnam personarum. Quæ si fieret, possent quidem naturæ illæ per vocabulum aptum de persona illa verè & propriè, & identicè prædicari: non tamen possent naturæ ipsæ in vnam personam unitæ, de seiuicem prædicari. Sicut non verè dici potest, quod natura diuina, sit natura humana: aut contra natura humana, sit natura diuina. Prorsus igitur falsissimum est, idque palpabiliter, quod proprio sermone, & non secundum tropum, fit hæc vera: Panis in sacramento quadam ratione vnitus corpori, est corpus Christi. panem enim esse quadam commentitia ratione vnitum corpori, reuera non est, panem esse corpus. Ex quo consequitur necessariò, quod hic sensus: Panis est corpus per vnionem: tropicus sit sensus, & non proprius.

Quod autem dicit Illyricus, pronomine, hoc, Prodigio non solum panem monstrari, sed etiam corpus: prodigiosum prorsus est. Nam si vtrumque monstrari

*sum est,
quod p.*

Vu strari

nomen
hoc, de
monstret
panē sū
mul &
corpus.

strari intelligas, reddetur hic sensus: Panis & corpus, est corpus meum. Qui sensus profusus insulsus & absurdus est.

Gernis Illyrice, verissimè à me scriptum esse: Si panis substātia retineatur in sacramento, nec fiat eius conuersio in corpus Christi, nulla ratione posse constare proprietatem sermonis Christi: sed necessariò cōfugiendum esse ad tropum, scilicet vel signi seu figuræ (vt volunt Sacramentarij) vel vnionis, vt tu iam commentus es. Itaque solos Catholicos, qui transsubstantiationem & agnoscunt, & cum ecclesia Christi tuentur, proprietatem verborum Christi absque vlllo tropo tenere.

Soli Catholici tenēt proprietatē sermonis Christi. Cauillatio.

Quod autem contra catholicos, requirentes ad proprietatem verborum Christi identicam prædicationē cauillaris, eos in hoc seipsos euertere: cum enim doceant, tantum vi verborum fieri transsubstantiationem, necessarium est, vt quia monstrante domino, & dicente, Hoc, nondum fuerit peracta transsubstantiatio, de vero pane dixerit, esse corpus: & præinde non posse esse identicam & propriam prædicationem:

Dissolutio.

Catholicorum sententiam deprauas & peruertis. Non enim Catholici docēt, pronomen, hoc, demonstrare vel panem, qui tunc adhuc erat, vel aliquam omnino definitam substantiam: sed substantiam sub accidentibus contentam absq; determinatione propriæ naturæ, quæ quidem primò fuit panis, & postea est corpus Christi. Et quia conuersio non fit successiuè, sed in instanti, ideo oportet intelligere veritatem

tem verborum domini, in vltimo instanti prolationis verborum: non tamen ita, quod ponatur ex parte subiecti id quod est terminus conuersionis, scilicet quoddam corpus Christi sit corpus Christi, neque etiam illud quod fuit ante conuersionem, nempe panis: sed id quod communiter se habet ad vtrumque, scilicet contentū sub his speciebus. hoc enim operantur Christi verba, quod contentum sub his speciebus, quod prius erat panis, sit corpus Christi. Vide Thomam in 3. parte, quæst. 77. articulo 1. & 5.

Secundo loco reprehēderam Confessionem, quod cum scripsisset dissoluēdam physicam objectionem Sacramentarium contra verā præsentiam corporis Christi in cœna dominica (videlicet, Christus ascendit in cœlos, & sedet ad dexteram patris, idq; realiter, verè, & substantialiter: fieri igitur non potest, vt sit verè & substantialiter in altari) induceret nouas explanationes de ascensione Christi in cœlum. Reprehēderam itaque, quod ascensionem Christi in cœlos, diceret non propriè significare localem motionem, & abitionem in cœlos ex terris: sed potius exaltationē ipsam, & idem esse cum illo, quod est sedere ad dexterā patris. ac reprehensionis causam constituerā in scripturis, quæ palā dicunt eum visibiliter abiisse, & ascēdisse in cœlos, & inde visibiliter rediturū esse ad iudicium.

Obiectio sacramentarium primaria excutitur.

Cauillatur iam Illyricus contra nostras probationes: Dicit quidem, inquit, scriptura, ascendisse eum in cœlum: Act. 1. sed cœlum in scriptura significat

Cauillatio.

V u ij Japisi-

sepissime tantum istam aëream regionem, quæ ubique supra nos, & circa nos est. Neque significat iste locus necessarius, Christum supra & extra omnes ethereos cœlos à nobis recessisse. Sic Act. 10. inquit, dicitur linteamen quoddam continens omnis generis feras, ad Petrum à cœlo demissum, & rursus ab eo in cœlum receptum: neque tamen mox significat venisse ex cœlo crystallino, aut rursus eodem abisse. sicut Papista & Sacramentarij de Christi ascensione somniant. Quare licet testanda glorificationis causa, sit facta quædam localis elevatio Christi: tamen non sequitur, eum planè abisse à nobis ultra & extra omnes cœlos.

Dilutio. Agnoscit itaque iam Illyricus aliquam localem elevationem, motionem & abitionem Christi in cœlum aëream, siue in istam aëream regionem seu etheream, quam nomine cœli interdum significari in scripturis clarissimum est: sed ad locum cœlorum, ad quos elevatus ascenderit, quæstionem trāsferit: An ultra & extra omnes cœlos abierit, vbi ad dexteram patris sedeat: An verò in cœlis aëreis & ethereis restiterit.

Respōdemus autem ei, nos de loco, ad quem ascenderit Christus, quæstionem non movisse: sed hoc reprehendisse, quod ascensionem ipsam, negarent localem motionem & abitionem in cœlos, sed confunderent cum ipsa exaltatione Christi, siue sessione ad dexteram patris: quam diximus ipsius ascensionis terminum esse, non autem ipsam ascensionem. Ac de locali ascensione scripturas clarissimas produximus: de cœlorum autem termino nihil diximus. Habemus tandem

tandem apertas scripturas, quæ Illyrici impias argutias coarguunt. Qui descendit, inquit Paulus, ipse est & qui ascendit supra omnes cœlos, vt impleret omnia. Et quomodo quælo in inferioribus cœlis resideret, & ascensionis motum silteret is qui est super omnia, & in quo cōstant omnia, & de quo scriptum est: Tu in principio domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli? Ipsi peribunt, tu autem permanebis, & omnes vt vestimentum veterascent, & velut amictum mutabis eos, & mutabuntur. Tu autem idem ipse es, & anni tui nō deficient. Non igitur verum est, ascensionem Christi in cœlum, non esse nisi spiritualement quædam ascensionem, siue exaltationem ex infima ignominia ad summam gloriam. Neque hanc profitemur in symboli sententia illa: Ascendit in cœlos: sed visibilem, & corporalem, ac localem ascensionem profitemur in eum cœlorum locum, qui Deo cognitus est, sed sanè qui supremus est & excellentissimus. Quod & Pauli illa evidentissima sententia significat: Nostra autem conuersatio in cœlis est. vnde etiam saluatorem expectamus dominum nostrum Iesum Christum. Sicut & angeli testati sunt, dicentes: Sicut vidistis eum in cœlum euntem, ita veniet. Quomodo quoque veniet sensibilis & visibilis in nubibus cœli, sacra euang. ia dilucidè testantur.

Quod sc. pferam, Christum non solum visibiliter & corporaliter ascendisse, ac abisse in cœlum, hoc est, non spiritualiter tantum, sed

V u iij etiam

Ephes. 4.

Coloss. 1.

Psal. 110.

Hebr. 1.

Philip. 4.

Act. 1.

Alia Con-
uulatio.

Act. 7.

etiam eius præsentiam & existētiā secundum humanam naturam esse in certo loco, idque ex Stephani testimonio : Ecce, video coelos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei: exagitat. *Probare, inquit, conatur, Christum habitare in certo cœli loco, quia Stephanus eum certo cœli loco vidit. bella sanè probatio. Nam vt videamus aliquā, necesse est certo loco nobis apparere: non autem necesse est, eum ibi aut alibi in certo loco habitare.*

Dilutio.

Vides lector hominem veritate desitutum, ad falsissimas argutias se conuertere. Non enim de habitatione aliqua, quæ firmam & perpetuam in aliquo loco præsentiam denotat, quicquam dictum est: sed tantū de existētia in certo loco. nempe in cœlis, in quibus à Stephano visus est. in quibus an perpetuò resideret, tractatum non est. Et sanè habet aperta fidei in symbolo Confessio: Ascendit in cœlum, sedet ad dexteram patris. Inde venturus iudicare vivos & mortuos: omnino indicans, quod in cœlis secundum humanam naturam agit, atq; etiam vel Illyrico inuito habitat, donec inde descendat ad iudicandum viuos & mortuos. & consentit Paulus, dicens: E cœlis expectamus saluatorem dominum nostrum.

Philip. 3.

Calūnia impudētissima.

Sed vide obsecro optime lector hominis istius malitiosum mendacium. Subijcit enim: *Cum ineptissimus sit in hac ratiocinatione,* (qua scilicet ex Stephani testimonio collegi, nō habitationem, sed præsentiam & existentiam Christi secundum humanā naturā in cœlo multo verò magis ineptus est,

est, quod putat dexteram virtutis Dei, esse certū locum, cum reuera tantū summam gloriā potētiamq; significet.

Audi iam verò verba quæ ego scripseram: Ac in eo quidē rectè sentiunt, quod sedere ad dexteram patris, dicūt non significare localem quendam situm, sed summam dignitatē, & gloriam, quanta quidem potuit humanæ naturæ à Deo cōmunicari. Sicut & Paulus, sedere ad dexteram patris, interpretatur esse regnare. Pudeat te queso Illyrice tam malitiosi & luculenti mendacij, quo calumniaris, quod sentiam dexterā virtutis Dei, esse certum locum, cum reuera tantū summam gloriā, potētiamq; significet.

Nō dissimilis malitia est, quod cum citassem hac de re duas sententias Augustini, quibus disertè ostendit Christum non solum corporaliter ascendisse ad cœlos, sed etiam in cœlis agere, & ibi esse, & inde venturum ad iudicium: non tamen anxie inquirendum, quomodo sit in cœlis, secundum humanam scilicet naturam, ipse scribat: *Si superuacaneum est querere, quomodo sit in cœlo, cur ergo ipse tam audacter rem absconditam scrutatur, deq; ea pronunciat?*

Manifestissimum potest esse lectori, me non de modo, quo est in cœlo Christus, aliud scripsisse, aut scrutatum esse, quàm quod certum & indubitātū habet Augustinus, sic Christum secundum humanam naturam esse in cœlis, vt secundum eam non sit vbique diffusus, cum illi naturæ immortalitatem quidem dederit Deus, sed naturam non abstulerit.

Vu iiii Ascen-

Cauillatio alia. Aug. epist. 57. ad Dardanū. Ibi de fide & symbolo ca. 6

Excusatio prima probatio. Act. 2.

Ascensionem Christi in cœlum, non aliud esse, quàm Christum ad dexteram patris sedere, hoc est, in summa dignitate & gloria, probauerat Confessio per Petri sententiã: *Dextera Dei exaltatus, & promissione spiritus sancti à patre accepta effudit hoc donum, quod videtis & auditis. Non enim Dauid ascendit in cœlum: dicit autem: Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis. En, inquit, exaltationem, quam tribuit Christo, adimit Dauidi, qui non sit sic exaltatus, aut ascenderit. Et idem est, quod dicit, dominum dixisse domino suo: Sede à dextris meis. Illud enim dicere, est idem quod euehere aut exaltare eum in tantam dignitatem, ut consideat in illa gloria.*

Responderam, exaltationem esse ascensionis terminum, quia per ascensionis motum deductus est Christus ad tantam exaltationem suam dignitatem.

Cauillatio.

Cauillatur iam Illyricus. *Si intelligatur per hoc nomen, exaltatus, ipsa actio exaltationis, nequaquam est terminus, sed ipse motus ad terminum.*

Dilutio.

Sed satis vides Illyrice, me exaltationem non intellexisse ipsam Dei actionem exaltantis aut euehentis Christum ad summam dignitatem & gloriam: sed exaltatum esse, seu collocatum esse in tanta gloria, hoc est, ipsam summam gloriam, ad quam Christus ascendens, perductus & euectus est per ascensionem, quod est ipsum sedere ad dexteram Dei patris. Atque hoc est, quod nos contra Confessionem dicimus, articulum illum Symboli: *Christus ascendit in cœlum: non sic intelligendum esse: Christus*

stus euectus est & exaltatus ad dexteram patris, hoc est, ad summam gloriam & dignitatem ex infima ignominia, quomodo homo abiectus euehitur ad magnam dignitatem & gloriam. hæc enim ascensio, spiritalis tantum est: Sed intelligendum esse secundum scripturas, Christum corporali & sensibili ascensione ipsum esse à patre euectum & exaltatum, ad dexteram usque patris, hoc est, ad summam gloriam & potentiam. Vbi clarissimum est, longe diuersa esse, ascensionem corporalem, & exaltatum esse, & collocatum in summa gloria. Eam verò exaltationem, hoc est, ad eam gloriam & potentiam exaltatum esse, non appellat Petrus ascensionem, cum sit propriè ascensionis terminus, quãdo de Christi ascensione in cœlum loquimur.

Sed vide rursus apertam calumniam. Inquit *Cauillatio.* enim Illyricus: *Dicit Christum ideo ascendisse in summum illum cœli locum, ut ibi potestatem acciperet regni super vniuersam terram: quasi putet Deum tantum ibi habitare, aut suam potestatem exercere: aut motu per locum opus fuerit Christo, ut eam dignitatem adipisceretur.*

Dilutio. Audi cauillator. De loco habitationis Christi nihil aliud scripsi, quàm Christum secundum humanam naturam iam agere in cœlis, & collocatum esse ad dexteram patris, hoc est, ad summam gloriam, & potentiam, & potestatem totius mundi euectum esse: non quod aliquo corporali motu opus fuerit necessario Christo, ut eam dignitatem ac potestatem adipisceretur: sed quia ita constitutum erat à patre cœlesti, ut po-

V u v rella-

testatem, quam ab ipso statim exordio incarnationis habuit, & quam ante ascensionis tempus sibi à patre datam ipse disertè testatus est, non palam declararet per executioné, quam à mortuis resuscitatus, ad cœlos ex hoc visibili mundo ascenderet. Non igitur alicuius infirmitatis divinæ indicium, sed divini consilij dispensatio fuit, quod apertam & manifestam declarationem suæ potestatis non æderet mundo, nec suam gloriam, potétiam, & dignitatem mundo declararet, nisi postquâ corporali motu à nobis abijisset in cœlum, inde etiam sua dona hominibus communicans. Sicut clarè Paulus testatur: Christus, inquit, ascendens in altum, captivam duxit captivitatem, & dedit dona hominibus. quod de corporali ascensione, & non de spiritali tantum dixisse Paulum certissimum est.

Ephes. 4.

Citauerat Confessio etiam dictum Pauli ad Ephesios 1. Deus suscitauit Christum à mortuis, & collocavit illum à dextris suis in cœlestibus supra omnem principatum & potestatem, virtutem, & dominationem.

Responderam, Paulum non de ascensione ibi loqui, sed magis de termino, ad quem per corporalem ascensionem Christus perductus & euectus est à patre.

Cauillatur Illyricus, hanc excitationé ex infimo loco, & euectioné supra summa, esse ipsissimâ ascensioné.

Respondeo, perspicuum prorsus esse, quod ascensio, quam intelligit scriptura, quando dicit: Christum

Christum videntibus discipulis ascendisse in cœlos, & angeli, quando dicunt, quod sic veniet, quemadmodum abiit: sit corporalis & localis ascensio, non autem gloria illa summa, quam à patre accepit: aut etiam spiritalis euectio ad illam gloriam, hoc est, patris donatio, summa illa gloria Christum donantis. Sic ad Ephesios 4. scribens Paulus: Christum ascendisse in cœlum, ut impleret omnia: non intelligit spiritalem ascensionem ex infima ignominia ad summam gloriam: sed corporalem in cœlos abitionem, qua perductus est ad summam gloriam, tanquam ad ascensionis localis terminum & finem. Atque hunc locum, sicut & illum ad Colossenses 3. ex alio dicto Pauli rectè intelligere possumus, cum scribit ad Philippenses: Nostra conuersatio in cœlis est, unde etiam saluatorem expectamus dominum nostrum Iesum Christum. Quod enim hic dicit, conuersationem piorum esse in cœlis, hoc est quod Colossensibus scribit: Quæ sursum sunt, quærite. hoc est, quæ in cœlis sunt quærite. seu sit conuersatio vestra in cœlis: è quibus, inquit, cœlis saluatorem expectamus. Vbi manifestissimum est, eum cœlos non spirituales, sed corporales intellexisse. nam ex illis, ad quos abiens ascendit, reuerfurus scribitur. Hæc itaque Pauli dicta non significant ipsam gloriam, ad quam euectus est Christus, esse ipsam spiritalem ascensionem, sed esse corporalis Christi ascensionis metam & terminum. Quod quoque dicit: Christum

Philip. 3.

Christum sursum esse in dextera Dei sedentem, non tantum designat Christi dignitatem, nec discrimen tantum regni Christi, quod in pietate positum, & regni Iathanæ, quod in impietate situm est: sed significat, simul & locorum supremi & infimi distinctionem localem, secundum apertam sententiam illam: Nostra conuersatio est in cœlis: in cœlis, inquam, illis, vnde expectamus venturum saluatorem.

*De vbi-
quitate
corporis
Christi.*

Scripterat Confessio: Corpus Christi iã glorificatum, non esse localiter in cœlo, sed esse liberum ab omni temporalitate & localitate, nec posse vllis legibus temporis aut loci astringi. Ex quo concludebat, corpus Christi iam glorificatũ præfens esse in altari, etiam si alibi esset.

Obieceram ego, sententiam hanc, defendere commentitiam illam opinionem, nuper excogitatum à Lutheranis quibusdam contra Sacramentarios de vbiuitate corporis Christi glorificati. Et addideram vnam aut alteram sententiam Augustini ex epistola ad Dardanum, adiuncta etiam Leonis sententia ex epistola illa ad Flavianum, quam Chalcedonensis synodus reuerenter suscepit.

*Cauilla-
tio.*

Cauillatur Illyricus, de vbiuitate corporis Christi Confessionem non differuisse, ipsos tamen credere cõditionem illius corporis gloriosi longe esse supra humanum captum, eoq; nec ad vnilocalitatem, nec ad multilocalitatem, nec denique ad vbiuitatem esse alligandam: hominem quoque Iesum ita glorificatum esse, vt ex æquo cum omnipotente Deo regnet: ideoq; eum nullis vincu-

vinculis loci aut temporis, aut humane imbecillitatis aut impossibilitatis subiectum esse.

Respondeo manifestissimum esse, eum qui sic de corporis glorificati conditione differit, vt dicat, liberum esse ab omni localitate, vbiuitatem re ipsa docere, etiam si commẽtitio verbo vbiuitatis non disertè vtatur. Sed aduersus hanc tuam dissertationem, obieceram constantem Augustini & Leonis, imo concilij Chalcedonensis sententiam. Corporis, etiam eius quod immortalitate donatũ est, naturalem esse proprietatem, vt constet partibus à seinuem distinctis secundũ loci rationem & diuersitatem, & proinde corpus etiam glorificatum & immortale, per naturam suam prohiberi ne sit vbiue, sicut diuinitas, quæ incorporealis est, est vbiue. Corpori Christi, inquit Augustinus, dedit immortalitatem, naturam non abstulit. Secundum hanc formam non est putandus vbiue diffusus. Cauendum est enim, ne ita diuinitatẽ astruamus hominis, vt veritatem corporis auferamus. Non est autem consequens, vt quod in Deo est, ita sit vbiue vt Deus. Credimus itaque cum Augustino, cum Leone, cum concilio celeberrimo Chalcedonensi, imò cum ipsa diuina scriptura: Christum localiter in cœlis esse, nec per naturam suam immortalem & glorificatam sic simul alibi esse: non tamen sentimus immortale eius corpus vinculis aut legibus astrictum esse. Potest enim anima iam glorificata corpus per donum immortalitatis trans-

Dilutio.

*Aug. epist.
57. ad Dar-
danum.*

ferre,

ferre, quò vult, de loco quolibet in quemlibet: sed per naturam suam non potest in pluribus locis localiter esse. Quia tamen corpus Christi immortale, est diuinitati vnitum, posset per incomprehensibilem & imperscrutabilem diuinitatis virtutem, supra virtutem naturalem collocari simul localiter in diuersis locis.

Caussat. Aduersus verò sententiam Augustini, quam etiam citaueram: Tolle spatia locorum, & corpora non erunt: Obijcit, quod scriptura testatur, in fine mundi cœlum & terram peritura: ergo & spatia peribunt. Num autem propterea, inquit, nulla hominum corpora erunt? Nesciunt ergo quid garriant.

Dilutio. Respondeo Illyrice, non garrere Augustinum aut loqui quod nesciat. Manifestum est enim, eum illam sententiam, considerata corporum naturali proprietate, de corporibus dixisse: non autem definiisse, quid Deus secundum suam immensam virtutem de corporibus facere possit. Corporum itaque naturalis proprietates, à Deo conditore ipsis attributa, quam immortalitatis donum non aufert, hoc habet, vt partibus constant à seinuicem secundum situm loci distinctis, & distantibus, quæ simul esse non possint. quoniam sua quæque spatia locorum tenent: minores minora, & maiores maiora. Quem partium situm & distantiam si tollas, rectè dixit Augustinus, corpora nō futura. Quamquam tamen partium hanc in corporibus distantiam & extensionem, per diuinam potentiam

tiam non ignorauerit Augustinus posse conseruari sine loco: sicut & totum vniuersum seruat sua incomprehensibili virtute sine loco aliquo. Verissima est igitur eruditissimi Augustini sententia: Si spatia tollantur, sublata fore & corpora, si natura corporibus à conditore attributa spectetur.

Quod autem obijcit Illyricus: *Cœlum & terram transitura, & omnia elementa igne dissoluenda, itaque post iudicium extremum non futura locorum spatia.*

Responderam secundum sententiam Augustini, quam & circumstantiæ dicti beati Petri plane approbant, (vt in Confutatione ostendi) cœlum & terram transitura secundum conditionem & qualitatem corruptionis, cui nunc subiectæ sunt, non secundum substantiam. Cuius viri, ecclesiastici scriptoris eruditissimi explanationem nos Illyrice multo pluri facimus, quam tuas, quas desumis ex Ludouico Viues, derisiones & subannationes.

Postremò stomachatur Illyricus, quod scripseram, physicam illam argutiam Sacramentorum contra præsentiam corporis Christi in Eucharistia, ex eo quod corpus Christi localiter sit in cœlo, solos Catholicos solidè refellere, nimirum affirmantes id fieri non per commentitiam quandam vbiquitatem corporis Christi, sed per Dei omnipotentiam: vt quod in cœlo est localiter, idem ipsum sit secundum substantiam, & substantialiter, & per modum sub-

2. Pet. 3.

Aug. li. 20
de ciuita.
Dei, ca. 16

substantiæ in Sacramento : Dicit , *Lutherum idem contra Sacramentariorum argutias respondisse.* Quod sane non libenter concedet Illyrico Ioannes Brentius , strenuus & ipse Lutheri discipulus , ubi quitatis magnus propugnator . Ex quo perspicue intelligi potest, falsum esse, quod iactat Illyricus , suos semper in eadem sententia veritatis fundamentum collocare . Sed de hoc cum Illyrico contendere nolo . Gratulor magis ei , si cogente vi veritatis cum catholicis hac saltem in parte consentiat : quod Christus, alibi localiter agens (nam de cœlorum inhabitatione nescio quid cauillatur) in Sacramento verè præsens sit secundum corporis potentiam , non per corporis sui immortalitatem . Et supplex Dei filium oro, vt eum in reliquis quoque de sacrosancto Sacramento cœnæ compellat cum Catholicis veritatem cernere & profiteri.

Sed hæc de localitate corporis Christi glorificati in cœlis , contra vanissimas & inanissimas argutias & cauillationes aduersus scripturarum claras sententias dixisse satis est .

DE

DE ABSOLVTIONE ET
CONFessione.

CAPVT XVIII.



N hoc capite valde se torquet aduersarius, vt notam diffensionis & pugnæ Confessionis Antuerpiensis, cum Confessione Augustana scriptoribus Confessionis obiectæ diluat ac depellat .

Obsecrat itaque Christianum lectorem , vt rem diligentius expendat , & loca ipsa inspiciat. Obsecramus & nos lectorem vt id facere non grauetur . Et breuiter tam est manifesta contrarietas & pugna , vt mendacij fuco ac fumis veritas obnubilari & obtegi non possit . Apologia sic de sacramentis inquit , verbis perspicuis & manifestissimis: Si sacramenta vocamus ritus, qui habent mandatum Dei, & quibus addita est promissio gratiæ , facile est iudicare, quæ sint propriè sacramenta . Nam ritus ab hominibus instituti, non erunt hoc modo propriè dicta sacramenta . non est enim autoritatis humanæ, promittere gratiam . Quare signa sine mandato Dei instituta , non sunt certa signa gratiæ, etiam si fortasse rudes docent aut admonent aliquid . Verè igitur sunt Sacramèta: Baptismus, Cœna Domini, Absolutio , quæ est sacramentum pœnitentiæ . Nam hi ritus habent manda-

X x tum

*Aptissima
ma pu-
gna Con-
fessionis
Antwerp.
cum Apo-
logia Au-
gustana.*

tum Dei, & promissionem gratiæ, quæ est propria noui testamēti. Animaduerte quæso lector hic disertè dicere Apologiam: propriè dicta sacramenta esse ritus, qui habent mandatum Dei, & quibus addita est promissio gratiæ. Deinde ex ea descriptione inferre Apologiam: Verè igitur, (hoc est propriè) dicta sacramenta sunt, Baptismus, Cœna Domini, & Absolutio, quæ est sacramentum penitentiæ. Nam hi ritus habent mandatum Dei, & promissionem gratiæ, quæ est propria noui testamēti. Certò enim debent statuere corda, cùm baptizamur; cùm vescimur corpore domini, cùm absoluihur, quòd verè ignoscat nobis Deus propter Christum.

Audi iam verba Confessionis: De Absolutione aliqui sentiunt esse sacramentum. habet
 22 sanè quiddam simile sacramento, eo quod spe-
 23 cialem applicationem gratiæ continet, nec est
 24 tantum sola doctrina aut institutio. Verùm
 25 cum careat omni externo aut diuinitus institu-
 26 to signo, quod solet inesse sacramentis: alij non
 27 putant esse inter sacramenta munerandam.
 28 Animaduerte quæso lector, clarissimè & di-
 fertissimè hic dicere Confessionem: Absolutio-
 nem carere omni externo, aut diuinitus insti-
 tuto signo. Similiter & hoc: Habet sanè quid-
 dam simile sacramento, in eo quod specialem
 applicationem gratiæ continet. Iam Christiane
 lector æquus iudex esto, an inter se pugnent,
 an verò consentiant Confessio Antuerpienses,
 & Apologia Augustana. Quarum illa dicit, ab-
 solu-

solutionem habere quiddam simile sacramento: Hæc verò dicit, esse verè sacramentum, & esse propriè dictum sacramentum. Illa dicit, absolutionem carere omni externo, & diuinitus instituto signo, quod solet inesse sacramentis: Hæc verò dicit disertè, absolutionem esse ritum, habentem mandatum Dei, & promissionem gratiæ. Certò enim debere statuere corda cùm absoluihur, quòd verè ignoscat nobis Deus propter Christum.

Arctius itaque bone Illyrice, te veritas perspicua constrictum tenet, quàm vt vllis fucis & imposturis manifestissimam, & luce meridiana clariorem diffensionem, pugnam, & contrarietatem palliare possis.

Quod autem in capite II. de sacramentis dicit Confessio: Talia sacramenta in nouo testamento sunt potissimum duo: non potest conciliare Confessionem cum Apologia. Nam ipse tu, qui Cōfessionis mentem optimè tenes, profiteris hoc ideo dictum esse, vt ostendat Confessio, absolutionē aliquatenus fortè posse inter sacramenta censerī. Et sanè adhuc inter se pugnant: Absolutionem esse propriè dictum sacramentum, & absolutionem forte posse inter sacramenta aliquatenus censerī. Certè irreconciliabiliter inter se dissident: Absolutionē habere mandatum Dei, & promissionem gratiæ: & absolutionem carere mandato Dei, &c.

Disserueram in Cōfutatione obiter de necessitate confessionis, & de enumeratione peccationum.

torum contra Confessionem. Eam disputationem hic reprehendit aduersarius.

Cauillatio Illyrica contra ac iubeat. Primum, inquit, nullum testimonium diuina scriptura profert, aut proferre potest, quod eam mandet necessitatem.

Respondeo, illa testimonia scripturarum in promptu esse, quæ scripta sunt Matthæi 18. & Ioannis 20. Quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo: & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo. & Quorum remiseritis peccata, remissa sunt eis: & quorum retinueritis, retenta sunt. Quibus testimonijs vsi sunt vetustissimi patres, Cyprianus, Origenes, Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, Leo Maximus, & plerique alij, in ijs testimonijs intelligentes non solum datam esse sacerdotibus & rectoribus ecclesiarum, potestatem soluendi & retinendi peccata: sed etiam insinuatam esse, necessitatem impositam esse pœnitentibus, peccata confitendi. Ex quibus etiam testimonijs in concilijs œcumenicis facta est de potestate remittendi peccata, & de necessitate confitendi peccata ad impetrandam remissionem peccatorum per eam potestatem, clara & expressa definitio. Sicut videre licet in actis celeberrimi concilij Lateranensis sub Innocentio 3. in Concilij Basiliensis actis. in actis Concilij Florentini: denique in actis Concilij Tridentini. Patrum testimonia quia prolixum foret recitare, & quia omnibus obuia sunt, sicut & Conciliorum definitiones, non recenseo.

Quo-

Quorum testimonijs & doctrinæ, iure Glossa in distinct. 5. de pœnitentia, atque etiam disputatio Scoti cedere debent: & iure admiretur lector, cur aduersarius, Glossæ & Scoti sententias, quas pro veritate productas à Catholicis solet pro nihilo ducere, & contemnere, audeat contra patrum doctissimorum concordēs sententias producere. Cùm igitur hæc scripturarum testimonia, hominibus ecclesiæ Christi præpositis testentur datam esse à Christo potestatem remittendi & retinendi peccata, clarissimè quoque insinuant, peccatorum remittendorum aut retinendorum cognitionem eis iudici ac mandari, vt peccatis, & peccatorum varietate, vt ait Hieronymus, ritè cognitis, sciant qui soluendi, & quatenus soluendi: qui ligandi, & quatenus ligandi sint: & ne temerè soluant aut ligent.

Hieron. in cap. 15. Math.

At obijcit Illyricus: Quæ peccata remittere debet, & quæ ligare, ad pastorem cognoscere non ex enumeratione peccatorum, vel ex peccatorum qualitate, sed ex pœnitentia aut dolore de peccatis, & fide in Christum. Si enim dolet peccator se peccasse, & petit propter Christum condonationem, omnia ei remittenda esse: sin contra, nullum. posthabito omni peccatorum discrimine.

Cauillatio Illyrica.

Respondeo, istam Illyrici cauillationem toti antiquitati aduersari, quæ docet non solam pœnitentiam, aut dolorem de admissis peccatis, sacerdotè debere cognitum habere: sed etiam, admissorum peccatorum varietatem, grauitatem, & qualitatem, vt ritè & legitimè tanquã iudex

Dilutio.

Xx iij &

Hieron.
in cap. 18.
Matth.
Auguf. de
pœnitent.
cap. 3.
ſive lib.
homilia-
rum, ho-
mil. 50.
Idem de
viſitat. in-
fir. cap. 4.

& arbiter, de ſatisfactionis & pœnitentiæ modo iudicare & arbitrari poſſit. Sic Hieronymus ſcribit: Sacerdotē cūm audierit peccatorum varietates, poſſe ſcire quis ſit ligandus, quiſve abſolvendus. & Auguſtinus: Veniat peccator ad antiſtites, per quos in eccleſia claves adminiſtrantur, & à præpoſitis ſacramentorum accipiat ſatisfactionis ſuæ modū. qui, ſi neceſſe ſit (vtpote in publicis peccatis) non ſolum ipſi ad recipiendam ſalutem proſir, ſed etiam ceteris ad exemplum. & ruruſ: Sunt, inquit, qui nolunt, aut erubēſcunt, ſive dedignantur ſe oſtendere ſacerdotibus, quos tamen inter leprā & leprā diſcernere, per legiſſatorem conſtituit dominus. Et Origenis eſt eadem de re ſententia inſignis in Pſal. 38. hom. 2. Inanis autem hæc cauillatio Illyrici ex eo errore proficiſcitur, quod ſentit per dolorem de peccatis, continuū peccatum à Deo remitti, neque requiri aliquam pro peccatis admiſſis ſatisfactionem: Itaq; ſacerdotis officium eſſe, pœnitenti & dolenti de peccatis, Dei condonationem annunciare ſive applicare.

Cauillas
tio cōtra
patrum
teſtimonia.

Pergit Illyricus iam patrum teſtimonia, quæ adduxeram pro enumeratione peccatorum, arrodere ac eludere.

Citat, inquit, *aduerſarius patres, de quorum teſtimonijs ordine agam*. Hic obſeruet quæſo lector hominis vaſtriciem. Dicit ſe ordine velle agere de teſtimonijs patrum: & ipſe ordine prorfus inuerſo, ea teſtimonia callidè tacet, & prorfus præterit, quæ nulli calumniæ prorfus obnoxia eſſe

eſſe poterant: ac ea tantum commemorat, & deprauat, quæ deprauari poſſe aliqua ſpecie videbat.

Citaueram primo loco ſententiam Cypriani, celeberrimam & imprimis memorabilem: Qui, inquietis, nullo vel ſacrificij, vel libelli facinore conſtricti ſunt, ſi tamen de hoc vel cogitauerint, hoc ipſum apud ſacerdotes Dei dolenter & ſimpliciter conſiteantur. Citaueram & Leonis illius Magni ſententias: Mediator Dei & hominum, homo Ieſus Chriſtus hanc præpoſitis eccleſiæ tradidit poteſtatem, vt & conſitentibus ſatisfactionem pœnitentiæ darent, & ſalubri ſatisfactione purgatos ad communionem ſacramentorum, per ianuam reconciliationis admitterent. & ruruſ: Reatus conſcientiarum ſufficit ſolis ſacerdotibus indicare confeſſione ſecreta. De his teſtimonijs luce meridiana manifeſtioribus prorfus vaſer homo filet.

Citat, inquit, *Clementem in epiſtola ad Iacobum*. Hic primum rejicit epiſtolam illam tanquam ſuppoſititiam. qua de re hic contendendi locus non eſt. Nam nobis abundè ſatis eſt, has Clementis epiſtolas, Clementis quidem titulo (verè ne an falſo, hic non excurtimus) multis annorum ſeculis, ſicut & Dionyſij Areopagitæ ſcripta, quæ ſimiliter iſte rejicit, lætitatas, & citatas eſſe, & à nullo vnquam Catholico ſcriptore reprobatas, tanquam ſuſpectam aut falſam doctrinam continentes.

Cypr. ſer.
5. de Lap-
ſis.

Leo epiſt.
91. ad epi.
Foroſiſi-
ſem & e-
piſt. 42.

Clemētia
ſententia
de Cōſef-
ſione ex-
cutitur.

Quare si non illorum, quorum nomina præferunt, auctoritatem merebuntur, certè catholicorum scriptorum fide non carebunt ea scripta. Deinde dicit: *Illum ipsum locum Clementis non iubere enumerationem peccatorum, tanquam ad absolutionem sit necessaria: sed docere, animo agro, & malis affectibus vexato medicinam quærendam esse apud intelligentem ac piùm aliquem. Sic enim dicere Clementem: Si fortè alicuius cor, vel liuor, vel infidelitas, vel aliquod malum latenter irrepsit, non erubescat qui animæ suæ curam gerit, confiteri hæc huic qui præest, ut ab ipso per verbum Dei, & consilium salubre curetur.*

Clemens
in Com-
penciolo.

Sed quid dicit Illyricus ad aliam eiusdem sententiam: Cogitationes malas cordi aduenientes mox ad Christum allidere, & sacerdotibus domini manifestare iubemur? Et sane patres non solum salubre consilium spectasse in peccatorum confessione apud sacerdotem, apertissimè indicant, dum disertè scribunt: Soluere criminum nexus, verecundam peccatorum confessionem. item: Sic diuinæ bonitatis præsidia ordinata esse, ut indulgentia Dei, nisi supplicationibus sacerdotum, nequeat obtineri. item: Est dura & laboriosa via, per pœnitentiam remissio peccatorum, cum non erubescit peccator sacerdoti domini indicare peccatum suum. Et profecto quando vel cogitatio alicuius mali latenter irrepsit in animum hominis, non magno opere opus est consilio sacerdotis ad illam curandam. Et tamen iubet beatissimus Cyprianus, idque scripturarum superius citatarum auctori-

Ambr. de
pœnit. li. 2
cap. 6.

Leo epist.
91.

Origenes
in Leuiti-
cũ, hom. 2

Cypr. de
lapis, ser-
mo. 5.

thoritate, latentem in corde cogitationem sacerdoti manifestari, & absolutionem requiri. Vanissima est igitur cauillatio Illyrici, quam extruit ex eo quod pares de confessione, & enumeratione peccatorum agentes, consilij in ea accipiendi mentionem faciunt, quasi excludant necessitatem enumerandi peccati, quando consilio opus non est.

Citauerã & Dionysium, sed eius sententiam non adscripseram, breuitatis studio (nam iusta disputatio de confessionis peccatorum, & enumerationis necessitate, instituta non erat: sed tantum ad cauillationes Confessionis respondebatur) indicato tamen clarissimè loco ipso. Cauillatur maliciosus homo, *me non fuisse ausum verba Dionysij adscribere.*

Accipe igitur sanctissimi patris Intentiã de confessione: Tu verò, inquit, Demophile, ut tuæ literæ indicant, procidentem sacerdoti impium, ut ais, atque peccatorem, nescio quo pacto, contra disciplinæ ordinem, astans, caecabiecisti ac repulisti, cum ille quidem verecundè quod oportebat, fateretur se ad peccatorum quærenda remedia venisse. Neque horruit inluper & sacerdotem optimum lacerare conitij, miserabilem eum dicens, qui pœnitentem atque impium iustificasset. Audi & Stapulensis scholia in hunc locum: Hoc ex loco notu dignum est, impium illum & peccatorem ad reconciliationis per pœnitentiam sacramentum, omni, ut par est, cum humilitate verecurè sacerdoti

Dionysij
sententiã de
Confessione
ad Demo-
philũ mo-
nachum,
epist. 8.

Faber Sta-
pulen-
sis
in Diony.

procubuisse secundum Christianam disciplinam. Et disciplinam, quam hic appellat, contra cuius ordinem Demophilus commisit, eam intelligere oportet, qua peccator sese ante sacerdotem humilians, & ad eius pedes prouoluens se reum accusabat, orans ut pro impietatibus, quas ipse memorabat, oraret, ut venia, misericordiaque apud Deum dignus haberetur, & ex illis impietatibus iustificaretur. Et hanc sane accusationem ad iustificationem impij, nunc nostri confessionem vocant: & quod sacerdoti prociderent, & sese humiliantes procumberent humi, in vetustis adhuc codicibus legitur. Quo ex loci conijcere promptum est salubrem & religiosam humilium accusationum, confessionumque disciplinam, etiam ex Apostolorum tempore cepisse ad cadentium erectionem, ad peccatorum iustificationem, reconciliationisque gratiam.

Habenam Illyrice Dionysij illius Apostolici scriptis sententiam, simul cum elucidatione Fabri Sapientis. Quae sola te à pestifero errore reuocare merito deberet. Sed vereor ne potius ad pervertendam saluberrimam & clarissimam sententiam corruptum animum conueras.

Sententia Hieronymi excusatur.
 Ciraueran ad probandam enumerationem peccatorum sententiam D. Hieronymi in illud Matthæi: E tibi dabo claves regni cælorum, & quodcunque ligaueris super terram, &c. At Illyricus contendit potius contrarium docere. Adscri-

Adscribam igitur integram sententiam, ut lector iudicare possit: Istum locum episcopi & presbyteri non intelligentes, aliquid sibi de Phariseorum sumunt supercilio, vel ut damnent innocentes, vel noxios se soluere arbitrentur: cum apud Deum non sententia sacerdotum, sed reorum vita quaeratur. Legimus in *Leuitico 14.* de leprosis, ubi iubentur ut ostendant se sacerdotibus: & si lepram habuerint, tunc à sacerdotibus immundi fiant. non quo sacerdotes leprosos faciant & immundos, sed quo habeant notitiam leprosi, & non leprosi: & possint discernere, qui mundus, qui uel immundus sit. Quomodo ergo ibi leprosum sacerdos mundum vel immundum facit, sic & hic soluit vel alligat episcopus & presbyter, non eos qui infontes sunt vel noxij: sed pro officio suo cum peccatorum audierit varietates, scit qui ligandus sit, qui soluendus: In hac sententia, postrema verba illa: sacerdos pro officio suo, cum peccatorum audierit varietates, scit quis ligandus, quis soluendus sit: citaucram quæ luce meridiana clarius disertè dicunt, sacerdotem pro officio suo audire varietates peccatorum, hoc est, enumerationem peccatorum: & tum demum ubi varietates peccatorum audierit, scire quem debeat ligare, & quem soluere: & denique soluere eum, qui soluendus est: & ligare eum qui ligandus est, qualiscunque tandem sit ipsa solutio vel ligatio. nam de eo iam non quaeritur.

Hæc

Hæc luculenta verba bonus Illyricus deprauare conatur per alia verba præcedentia : Apud Deum non sententia sacerdotum, sed vita reorum queritur. Quam euidentissimè constat non aliud insinuare : quàm quod sacerdos non habeat potestatem pro suo arbitrio sententiam soluentem vel ligantem proferendi: sed debere vitam reorum antea actam diligenter considerare, & poenitentiam siue vitæ commutationem attendere, & secundum hæc sententiam pronunciare & moderari. Perspicuè igitur & solidè refellit D. Hieronymi ille commentarius falsam doctrinam Confessionis de confessione.

*Illyrici
Cauillationes ex
patribus
duobus.*

Psal. 37.

Iam & patrum duorum sententias contra veritatem adducit aduersarius: *Contrà Chrysostomus, inquit, super Hebr. homilia 31. dicit: Non dico, vt te prodas in publicum, neque vt te apud alios accuses: sed obedire te volo prophetae dicenti: Reuela Domino viam tuam. Ante Deum ergo confitere peccata tua, &c.*

Respondeo, manifestissimum esse, Chrysostomum in ea homilia loqui de iugi & continua peccatorum consideratione & confessione: qua etiam specialiter singula, per omnem vitam admissa iugiter in memoria versentur, & Deo non tam lingua, quàm conscientia memoria manifestentur. Iugem hanc recordationem & confessionem, vult neque in publico, neque apud alios fieri, sed apud verum iudicem Deum cum oratione. Ex quo non est consequens, quod suo tempore, admissa non pronun-

cien-

cientur apud ecclesie antifites, ad obtinendum ab iis tanquam Christi vicariis per clauas ipsis datas, absolutionem. Sicut ex eadem sententia colligi non potest, peccata quæ cum manifesto populi & graui scandalo commissa sunt, ante solum iudicem Deum deploranda & pronuntianda.

Adiicit postremo & Augustini sententiam ex lib. 10. Confessionum: Quid mihi ergo est cum hominibus, inquentis, vt audiant confessiones meas: quasi sanaturi sint omnes languores meos? Curiosum genus ad cognoscendam vitam alienam, desidiosum ad corrigendam suam. Quid à me quærunt audire, qui sim, qui nolint à te audire qui sint? Et vnde sciunt cum à me ipso de me ipso audiunt, an verum dicam: quando quidem nemo scit hominū, quid agatur in homine, nisi spiritus hominis, qui est in homine? Hæc ille. *Iam cogitet, inquit Illyricus, cordatus lector, si confessio auricularis in vsu fuisset temporibus Chrysostomi in Græcorum, & Augustini in Latinorum ecclesiis, an conuenisset eos talia contra totius ecclesie consuetudinē & sententiā scribere: & non magis quous adhortari, vt peccata sua sacerdotibus confiterentur?*

Imo Illyrice, vecors mihi prorsus lector videtur, quisquis eiusmodi ineptissimis & inanissimis argutijs & cauillationibus vel minimum aliquid tribuat. Quid enim quæso te pertinent publicæ illæ confessiones Augustini, quas etiam libris inscripsit, & per libros scriptos in quorumuis hominum cognitionem dissemina-

uit

Aug. sententia de Cōfessione, fœdissimè deprauata ex lib. 10. confess. cap. 3.

Responso

uit (quod vtrum cum fructu aliquo fecerit, de eo in loco hic citato agit) ad eam cōfessionem, quæ sit in pœnitentiæ sacramento, ad aures antistitis aut sacerdotis, Christi vicarij secundum ecclesiasticam & Christianam & apostolicam, vt verissimè dixit Stapulensis, disciplinâ? Apagelis cū eiusmodi ineptiis, quibus tam fraudulenter insidiaris infirmarū Christi omniū salutē.

Vana argutatio.

Æquè vana est ratiocinatio illa, quâ subiecit: *Si ex enumeratione peccatorū, penderet remissio peccatorū, semper esset incerta. Quis enim omnia peccata sua satis pernouit? Quis etiam omnia enumerare queat, cū iustus quoq; septies in die cadat? Quare orat Pſaltes: Ab occultis meis munda me.* Sæpe vobis fati respōsum est, Sufficere vt ea peccata confitētes enarrant, quorū post legitimam discussionem, recordationē & memoriā habere per fragilitatē humanā possunt: atq; à Deo omnia enumerata cēferi, quando nihil studiosè & fraudulenter taceatur. Qualem enumerationē etiam eam pœnitentiā requirere, quæ ante iudicē Deum syncerè agitur, clarissimè dicit Chrysostomus in homilia illa 31. modò citata. Aduersus quā pœnitentiā, tu nō audebis, vt opinor, has scripturas obijcere.

Prou. 24.

Concludit tandē bella ratiuncula hoc caput: *Christus, inquit, toties in historia euāgelica remittit peccata. neq; tamē vsquā mandat vt sibi ea demurmurēt.* Sed redarguit hic bonus vir seipsum. Nā ipse multis rationibus in Confessione ostendit, formam quandam & disciplinam confessionis in ecclesiis bene constitutis retineri, & retinēdam esse.

Pſalm. 19.

Concludit tandē bella ratiuncula hoc caput: *Christus, inquit, toties in historia euāgelica remittit peccata. neq; tamē vsquā mandat vt sibi ea demurmurēt.*

Sed redarguit hic bonus vir seipsum. Nā ipse multis rationibus in Confessione ostendit, formam quandam & disciplinam confessionis in ecclesiis bene constitutis retineri, & retinēdam esse.

esse. Qualem tamen disciplinā à Christo neque obseruatam, neque vsquam mandatam legimus. Quanquā tamen scriptura tam verus quā Apostolica, multis in locis confessionē peccatorū in noua lege à Christo instituendā præfigurasse legitur: tum in Leuitico, tum in Ioānis baptisate, tum in conuersione Ephesiorum.

Leuit. i. 2.
3. 4. 5. 6.
capitibus
Matth. 3.
Act. 19.

CHRISTVS filius Dei cōprimat impios & blasphemos impostores, qui saluberrimā Christi institutionem, calumniantur esse tyrānicam pontificum adinventionem, vt sic tyrannidem suam in Christianos, quorum occulta, & etiam dedecora norint, exercere possint, & insuper vanas prodiones & fraudes miscere, alijs aliorū secreta, etiā pretio, patefaciēdo. Quæ sceleratissima mendacia seuerè tandē iudex iustus Christus, & suę cōtumelię vindex fortissimus punit.

DE COELIBATV.

G A P V T X I X.



IN capite de Cœlibatu, defenderā cœlibatum sacerdotum ac ministrorum ecclesiæ, & vota monastica, contra Confessionē, quę indictā cœlibatus legem, & votorum monasticorum obseruationē, ad doctrinam dæmoniorum pertinere scripserat.

Confessionis itaq; sacrilegam impietatem hic propugnat Illyricus. *Primum, inquit, scripturam nullam plane citare potest pro voto cœlibatus.*

Cita-

i. Timo. 5 Citaueram verò solidissimam & euentissimam scripturam : Adolescentiores viduas deuita . Cum enim luxuriatæ fuerint in Christo, volunt nubere : habentes damnationem , quia primam fidem irritam fecerunt . hoc est , quia vorum, quo se ad castitatem astrinxerant, violauerunt. Quam scripturam clarissimam sic eludit bonus vir: *Quod, inquit, Paulus dicit de viduis iunioribus, nullo plane verbo fit ibi voti mentio. Damnantur autem merito illa vidua, lasciuientes contra Christum, & simul alijs vitijs dedita, de quibus ibi agitur.* Verùm aduersus hanc cauillationem, obieceram testimonia patrum, Augustini, Hieronymi, Ambrosij, Basilij, Chrysostomi, Epiphaniij: qui constanter Apostoli sententiam interpretantur de fide promissæ castitatis, siue de voto continentia. Quorum interpretationes videre licet in ipsa Confutatione nostra. Et tandem subieci testimonium concilij Carthaginensis. 4. Canone 104.

Ad hæc testimonia potentissima, prorsus nihil habens quod responderet, satisq; intelligens, si tantorum virorum, tantiq; concilij doctrinam petulanter & contumaciter reijceret, imperito etiam lectori se posse displicere, transfert se ad aliam Pauli sententiam scdissimè deprauandam .

Verum contra, inquit, constat, Paulum 1. ad Timot. 4. prædicere, fore quosdam, qui prohibeant nuptias, & eam fore demoniorum doctrinam.

Confidera quæto Christiane lector scelera-
tissi-

Auguf. de bono viduitatis in Psal. 75 In epist. ad Armentarium. In libris ad Pollentium. Hiero. contra Iouinianum lib. 1. Ambr. & Chrylost. in epist. Timoth.

tissimam istius hominis arrogantiam & impudèciam: qui sanctissimorum & eruditissimorum scriptorū, & ecclesiæ Christi magistrorū doctrinam & explanationes ad demoniorum doctrinam pertinere confidenter scribit, qui coniugiū & nuptias ijs interdicit, qui se voto continentia libera & spontanea voluntate semel se obstrinxerunt. Ostenderā autem in Confutatione in ea Apostoli sententia, quod ad coniugium attinet, norari ab Apostolo eos tantum, qui nuptias damnabant, tanquam per se malas. Sicut quamplurimis locis doctissimus Augustinus testatur. *Notat Paulus, inquit, dicentes nuptias malas esse, & quod diabolus eas fecisset.*

Quæso te bone Illyrice, an existimas contra tantam lucem veritatis, & tantū pondus testimoniorum totius vetustatis, quenquam, nisi prorsus vecordem, tibi fidem adhibiturum?

Hæc Prophetia, inquit, potissimum in regno pontificio impleta est, vbi non tantū ministri ecclesiæ cõpulsati sunt ad professionē cœlibatus: sed etiā in reliquis hominibus coniugiū, vt vita immunda & carnalis dānata est.

Vides lector Christiane duplex hominis mēdacium. Neque enim quisquam ad ministerium ecclesiæ iam cogitur, cui secundum Pauli consilium sanctissimè professio cœlibatus connexa est: sed quisquis volet se ministerio ecclesiæ cõsecrare, ei, ecclesiæ iustissima constitutio proponitur, qua indicitur ministris ecclesiæ cœlibatus, imò & cœlibatus professio. Sic Bernardus dicit: Regulā sancti Benedicti omni homini proponi,

Yy imponi

Aug. lib. 29. contra Faustum cap. 6. In tractatu 9. in euāg. Ioh.

Caillastio. Duplex mēdaciū. Dilutio.

1. Cor. 7.

Libr. de dispen. & præcepto.

imponi nulli: sed tamen postquam ex voluntate suscepta est, ex necessitate iam esse tenendam. quia omnino necesse est eum reddere vota sua, quæ distinxerunt labia sua.

Psal. 65.
Aug. lib. 2.
ad Pollen-
tium cap. 20

Et sanè longe alia mens fuit sanctissimo illi & eruditissimo Augustino, qui in libro 2. ad Polentium commemorat, olim plerunque clericos ad farcinam continentiae solitos fuisse rapi inuitos, eamque susceptam vsque ad debitum finem perduxisse, repente conuersos, ad impetrandas vires à Domino, de quibus nunquam antea cogitauerant. Sed ea seueritate nunc non vitur ecclesia. Non habet igitur bonus Illyricus, quod de compulsione ecclesiae obmurmuret: nisi forte displiceat eius spiritui superbo Apostoli ordinatio & exhortatio, vt coniuges ex consensu mutuo à coniugali copula abstineant, vt vacent orationi. Quæ exhortatio planè admonet, vt ecclesie ministri, qui semper orationi vacare, & augustissima cõficere sacrameta, & sacrificia offerre ex officio debet, nõ constituatur aut ordinentur, nisi qui cõlibet vitam, & perpetuam copulae coniugalis abdicatione profiteri velint. Sed ea de re catholicalibi copiosissime disputat.

1. Cor. 7.

Alterum mendacium luculentum in eo est, quod dicit etiam in reliquis hominibus coniugium, vt vitam immundam ac carnalem, damnari. Audi cauillator manifestam ecclesiae doctrinam: Si ad virginatatem sic adhortaremini, quemadmodum adhortatur apostolica doctrina: Qui dat nuptum, bene facit: & qui non dat nuptum, melius facit:

Aug. lib. 29. contra Faustum cap. 6.
1. Cor. 7.
1. Tim. 4.

vt

vt bonum esse nuptias diceretis, sed meliorem virginatate. sicut facit ecclesia, quæ verè Christi est ecclesia, non vos spiritus sanctus ita prænunciaret, dicens prohibetes nubere. Ille enim prohibet, qui hoc malum esse dicit: non qui huic bono aliud melius anteponebat. Audis Illyrice ecclesiae Christi apertam vocem de coniugali castitate.

Sed vociferatur hic Illyricus. *Clare*, inquit, *Syricius Papa in decreto, coniuges dicit viuere in carne.* Verba eius hæc sunt: Plurimos sacerdotes Christi, atq; leuitas, post longa cõsecrationis suae tempora, tam de coniugibus proprijs, quã etiam de turpi coitu, sobole didicimus procreasse, & crimen suum hæc præscriptione defendere: quia in veteri testamento sacerdotibus ac ministris, generandi facultas legitur attributa. Dicat nunc mihi, quisquis ille est sectator libidinum, præceptorq; vitiorum, si æstimat, quod in lege Moysis passim sacris ordinibus à Deo nostro laxata sunt frena luxuriæ: cur eos, quibus committebantur sancta sanctorum, præmonet, dicens: Sancti estote, quia ego sanctus sum dominus Deus vester? Cur etiã procul à suis domibus anno vicis suæ in templo habitare iussi sunt sacerdotes? hac videlicet ratione, ne vel cū vxoribus suis possint exerce-re carnale commercium, vt cõscientiæ integritate fulgētes, munus acceptabile Deo offerret. Quibus, expleto seruitionis suæ tempore, vxoris suæ vsus, solius successionis causa, fuerat relaxatus: quia non ex alia, nisi ex tribu Leui, quisquam ad Dei ministerium præceptus fuerat admitti.

Syricius episc. 1. ad Himerium episc. Ter racionem distinct. 82. ca. plurimos. ex decretali epistola.

Exod. 20.

In epistola decretali.

Y y ij Ibidem

Ibidem inquit Illyricus : Quarum sanctionū (nempe quibus sanxerat Deus in lege veteri. 1. Quod quibus committebantur sancta sanctorum, sancti essent: quia & ipse sanctus esset dominus Deus eorum. 2. Quod procul à suis domibus tempore vicis suę in templo habitarent sacerdotes, nec cum suis vxoribus haberent cōmercium: sed conscientię nitore fulgentes, acceptabile Deo munus offerrent.) Harum, inquit Syricius, sanctionum, sacerdotes omnes ac Leuitæ insolubili lege constringimur, vt à die ordinationis nostræ sobrietati ac pudicitię & corda nostra mancipemus & corpora, dummodo per omnia Deo nostro in his quæ quotidie offerimus sacrificijs placeamus. Qui autem in carne sunt, dicente electionis vase: Deo placere non possunt: vos autem iam non estis in carne, sed in spiritu. si tamen spiritus Dei habitat in vobis. Et vbi poterit, nisi in corporibus, sicut legimus, sanctis Dei spiritus habitare? *Hic, inquit Illyricus, clarè pronunciat Syricius Papa, coniuges viuere in carne.*

Rom. 8.

*Dilutio
cauillan
tionis.*

Verum Illyrice, nisi te cauillādi studiosa malitia occupatum teneret, facilè animaduertere posses, nihil aliud Papam Syricium scribere, nisi quod olim per Mosen dominus constituerat, & per Paulum Corinthijs scripserat, tempore officij & ministerij ecclesiastici perfungendi, item tempore orationis faciendæ non satis congruere coniugales, etiam alioqui licitos, congressus: propterea quod carnalis concupiscentia, quæ

quæ etiam in legitimis congressibus suū ius obtinet & exercet, animos deijcit. Quod si verum non est, & domini constitutio per Mosen, & Pauli exhortatio reprehēdantur simul cum Syricio. Quod verò Syricius sententiam Pauli ad coniuges accommodare videtur: Qui in carne sunt, Deo placere non possunt (quam sententiam cōstat à Paulo proprio sensu scriptam esse de ijs qui secundū carnē ambulant) considerare debebat Illyricus, Syriciū loqui de ijs sacerdotibus, qui ab vxoribus legitime prius ductis secundum ecclesiasticas sanctiones se seiunxerāt: & contra eas, ad eas relapsi erant, vel contra sanctiones ecclesiasticas duxerāt vxores. Deijs sanè rectè dicitur, quod à carnis concupiscentia superati & victi, ad copulam carnalem contra ius & fas relapsi, in carne essent, & etiā secundum carnem viuerent, ac Deo placere non possent. At ad eos, qui coniuges esse vellent, & simul sacris officijs & ministerijs perfungi, rectè quoq; sententia Pauli accōmodari potest: Qui in carne sunt, Deo placere non possunt, quamuis non prorsus eodem sensu, quo illa vsus est Paulus. Pronunciat enim spiritus, quod etiam Leuitæ idonei non erant ad offerenda sacrificia, & perfungendum officijs sacris veteribus, dum liberè commiscerentur suis vxoribus. Pronunciat & Paulus, non congruere, vt quādo ipsis orationi vacandum est, coniugum cōplexus exerceatur.

His spiritus sancti sanctionibus si audet Illyricus contradicere, & impedimēta carnali coniunctio-

injectioni adimere potest, quæ illis spiritus sanctus attribuit, patiemur ut Syriciū sanctissimum Papam reprehendat? Et huius sanctissimi Pontificis decretum, secutū est concilium Agathense, canone 9. facta nominatim ipsius Syricij mentione.

Verū quod ad coniugium attinet, quid de eo senserit Syricius, potuit Illyricus facillè cognoscere ex secunda Syricij epistola: in qua Iovinianum virginitatis & cœlibatus, atque etiam votorum sanctorum hostem & improbatorem ab ecclesia rejicit, & anathemate ferit: Nos sanè, inquit, nuptiarum vota non aspernanter accepimus, quibus velamine interfuimus: sed virgines Deo devotas maiore honorificentia muneramus. Vides Christiane lector, splendidum esse mendacium, quod vociferatur bonus Illyricus, coniugium legitimum in ecclesia damnari: cum non dāentur nisi coniugia contra sanctiones ecclesiasticas contracta, aut contra castitatem Deo semel per votum consecratam & dedicatam.

Graviter quoque reprehendit Catholicos, quod testentur Catholicos, vitam coniugalem esse quandam imperfectionem, & affirmat eos in eo omnipotentem Deum, eiusq; ordinationem condemnare. quippe qui coniugium instituerit, cœlibatum non instituerit.

At respondemus Illyrico, Catholicos patrocinio Pauli Apostoli adversus eius cavillationē prorsus tutos esse, qui vitam coniugalem, imperfectam per se; vitā vero cœlibem, perfectionis formam quandam & rationem suppeditare docet;

docet: Qui sine vxore est, inquiens, sollicitus est quæ domini sunt, quomodo placeat Deo: Qui autē cum vxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori. & quæ eodem loco sequuntur, & in Confutatione prolixius recitata sunt. Quod verò dicit, Christum instituisse coniugium, non autem instituisse cœlibatum: ex Ioviniani iam olim condemnati heretici officina producit: cuius discipulus factus est præceptor eius Lutherus contra apertissimam doctrinam Pauli: De virginibus autem præceptum domini non habeo. consiliū autem doctāquam misericordiā consecutus à domino, ut sim fidelis. Existimo enim bonū hoc esse propter instantem necessitatem, quoniam bonū est homini sic esse. &: Qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit: & qui non iungit, melius facit. & clarissimam doctrinam Christi: Sunt eunuchi, qui se castrauerunt propter regnum Dei. Qui potest capere, capiat.

Sed audi obsecro Christiane lector probationes Illyrici, imò non Illyrici, sed Ioviniani, in Luthero, & Lutheri discipulo Illyrico loquentis contra cœlibatum.

Clarum, inquit, habemus Dei mandatum, ut qui se idoneos ad coniugium agnoscunt, contrahant. (considera quæso lector verborum proprietatem) sed quodnam tandem Dei mādatum? dicit creator: Non est bonum hominē esse solum. &: Crescite, & multiplicamini.

Sed obijcimus tibi vicissim Illyrice Paulum, qui affirmat se spiritum Dei habere, dicentem:

Yy iiij Bo.

1. Cor. 7.

Ibidem.

March. 19.

Cavillat. Illyrici cōtra cœlibatum.]

Genes. 1. & 2.

Bonum esse homini mulierē non tangere. rursus: Volo autem omnes homines esse sicut me ipsum. rursus: Dico non nuptis & viduis, bonum est illis, si sic permanserint, sicut & ego. rursus: Bonum est homini sic esse, hoc est, solutum esse ab vxore. Quibus sententiis clarissime significat, bonū iam esse homini esse solum, & nuptias nō esse omnibus mandato Dei præceptas, qui se ad coniugium idoneos sentiunt & agnoscunt.

Hiero. cōtra Heluidium.

Ad has cauillationes iam olim contra Heluidium & Iouinianum hereticos, patres catholici responderunt, & suffecerit vnicum Hieronymi testimonium adduxisse. Pro conditione temporum, sancti veteris testamenti alij subiacuerunt sententiæ: & alij nos in nouo testamento, in quos fines seculorum deuenerūt. Quamdiu lex illa permansit: Crescite, & multiplicamini, & replete terram. & : Maledicta sterilis, quæ non parit semen in Israel: nubebant omnes, & nubebantur, & derelictis parentibus fiebant vna caro. Quando verò vox illa pertonuit: Tempus breuiatū est, vt qui habent vxores, sic sint quasi non habentes. Iam plenus est orbis, nos nō capit, quotidie bella secant, morbi subtrahunt, naufragia absorbent, & nihilominus de terminis litigamus. Similem sententiam scribit libro 1. contra Iouinianum. Et per omnia consentit Cyprianus in libro de habitu virginum. Augustinus quoque in libro de bono coniugali. Vides igitur Christiane lector iam olim

Genes. 1.
Deuter. 7.
& 25.

Hiero. li. 1
cōtra Iouinianum
Cyprianus
Augustinus.

olim Illyrici impuras sententias, hæreseos notatas, & ab ecclesia profligatas. de mādato Dei, quo omnes idonei ad coniugium contrahendum coguntur. Et sententiæ veteris: Non est bonum hominē esse solum: manifestus est sensus: id bonum non esse scilicet ad multiplicationem generis humani, quod in solo & vnico homine tunc constituebatur.

Sed inquit Illyricus: *Eandem ordinationem, (scilicet vt omnes idonei ad nuptias, coniugium contrahant) etiam filius Dei repetit, dum testatur non omnes esse capaces vitæ castæ in cœlibatu.* Sed quæso Illyrice, an eadem tibi sunt, eos qui se sentiunt & agnoscunt non esse capaces vitæ cœlibis, debere cōtrahere coniugium, aut à vouendo cœlibatu abstinere: & quicumque se sentiunt idoneos ad coniugium, mandato Dei debere contrahere coniugiū? Quid si sentiant, ad coniugiū quidem se idoneos, & tamen studio seruiendi Deo sine impedimento, velint vitam cœlibem persequi: an tu illos compellere audebis Dei mandato ad contrahendum coniugium, propter verbum Dei creatoris: Nō est bonum homini esse solū. aut: Crescite, & multiplicamini?

Cauillatio.

Matth. 19

Sed Paulus, inquit Illyricus, dicit: Melius est nubere, quàm vri: & monet nō esse tentandum Deū, sed ad vitandam scortationem esse contrahendū coniugium.

Cauillatio.

1. Corin. 7

Respondet Illyrico Hieronymus, interpretās illud: Virgo si nupserit, nō peccat: nō illa virgo, quæ semet Dei cultui dedicauit. Harum enim si qua nupserit, habebit damnationē. quia primā

Hiero. li. 1
contra Iouinianum.

fidem irritam fecit, & rursus: Non dixit, inquit, apostolus: Vnusquisq; propter fornicationē ducat vxorē, sed vnusquisq; suam vxorem habeat: suam, inquit, habeat, sua vtatur, quam habebat antequam crederet. Omnis hæc quæstio de iis est, qui in matrimonio sunt deprehēsi: an liceat vxores dimittere. Sic & Chrysostronus.

1. Timo. 3. Tit. 1. Addit Illyricus: *Quare Paulus etiam in presbytero requirit, vt sit vnus vxoris maritus.*

Respondēt Ambrosij, Chrysostroni cōmentarij, & Græca scholia: Nō adigi hic ad matrimonij iugū episcopos aut sacerdotes: sed ne adsumatur, qui alteram vxori mortuæ superinduxerit.

Sed dicit Illyricus: *Concedi saltem in his diuinis sententijs, presbyteris & virginibus, vt coniugium contrahant, si eis ita videatur.* Respondeo, de virginibus quæ se semel Deo deuouerunt, iam auditam esse Pauli sententiam: Damnationem eas habere, si primam fidem irritam fecerint. De presbyteris verò iam iam dicemus.

Cauillatio.

Alias adfert Illyricus contra legem cœlibatus sacerdotum cauillationes. *Condemnarunt, inquit, Apostolorum canones, item Synodus Gangrensis, ac illa omnium celeberrima Nicæna, eos qui damnarunt coniugium presbyterorū, statuentes esse honorabiles eorum nuptias, non minus quàm aliorum Christianorū.*

Canon Apostol. 5.

Ex Canonibus Apostolorum designat Canonem quintum, qui sic habet: Si quis episcopus, aut presbyter, aut diaconus, aut quiuis omnino de sacerdotali consortio, nuptijs, & carnis, & vino abstinerit, non propterea quod mens

mens ad cultum pietatis reddatur exercitior, sed propter abominationem, oblitus quod omnia bona valde, & quod masculum & fœminam Deus creauit hominem: sed diffamationibus laceffens creationem Dei, vocat ad calumniam: aut corrigitor, aut deponitor. similiter & Laicus. Obsecro te Christiane Lector, an non hic canon manifestè scriptus est contra eos tantum, qui carnes & nuptias à Deo conditas & institutas esse negabant, & tanquam à diabolo inuentas damnabant? Quin & canon ipse indicat clarissimè, quod abstinere à carnibus & nuptijs, vt mens ad cultū pietatis sit exercitior, eam abstinentiā non improbari. Et sane contra propriam conscientiam ad fucum faciendum imperitis, citat impostor hunc canonem, cum non ignoret, in canonibus apostolorum canonē 27. sic constituere: Innuptis autem, qui ad clerum prouecti sunt præcepimus, vt si voluerint, vxores accipiant, sed lectores, cantoresque tantummodo. Vides lector, ab ipsis apostolis iam inde ab exordio ecclesiæ sic constitutum esse, vt presbyteri, & episcopi, atq; etiam diaconi vxores non habeant, sed cœlibes viuant. Et audet homo iste canones Apostolorum contra cœlibatum sacerdotum producere.

Canon Apostol. 27

Iam ex Gangrensi concilio canonem certum non designat. Sed ad præsens argumentum & institutum tres tantum Canones eius Concilij pertinent, 1. 4. & 9. At primus & nonus canon generales sunt, & pertinent ad seculares pari-

4. Canon
concilij
Gāgrens
sis.

Canon 33
Concilij
Eliberti
ni.

Canon 6.
Apostolo
rum.

pariter, & ad ecclesiae ministros. Nec aliud statuunt, quā quod legitimae nuptiae non debeant censerī immundae esse & execrabiles, tanquam à diabolo inuentae. Quartus verò canon sic habet: Quicumque discernit à presbytero, qui vxorem habuit, quod non oporteat eo ministrante de oblatione percipere, anathema sit. Cuius canonis quis sit sensus, ex eo cognosci potest, quod Gangrense concilium, non multo post Elibertinum concilium habitum sit. In Elibertino verò concilio canone 33. sic scribitur: Placuit in totum prohibere episcopis, presbyteris, diaconibus & subdiaconibus, positis in ministerio, abstinere se à coniugibus suis, & non generare filios. quod quicumque fecerit, ab honore clericatus exterminetur. Quare sensus canonis Gāgrensis est: Quicumque se separat à sacerdote qui vxorem habuit, & non vult ob eam causam, quod vxorem habuit, cui tamen iam non copulatur, ab eo communionem accipere, anathema sit. Vel si ad Concilij decretum (de quo mox dicturi sumus) referatur canon iste, hoc tantum statuit, vt ab oblatione sacerdotis, qui ante ordinationem duxerat vxorē, & ab eius vsu non se abstinet, nemo abstineat, aut eius communionem rejiciat. Constat igitur & hunc canonem coelibatui sacerdotum non aduersari. Sicut nec sextum canonē illum ex canonibus Apostolorum, qui sic habet: Episcopum aut presbyterum vxorem propriam nequaquam sub obtentu religionis abijcere posse. Quia intelligēdus est canon

non ille de abiectioe ab omni cura sacerdotis, scilicet vt nec vitae necessaria ei procuret. De quo vide synodum sextam in canone 12. & 48.

Postremò quid Nicæna synodus de coelibatu statuatur, iam videamus. Nicæna synodus volens corrigere hominū vitam in ecclesijs commorantium, posuit leges, quas Canones vocant: in quorum tractatu videbatur aliquibus introducere legem, vt episcopi, presbyteri, subdiaconi, diaconi cum coniugibus, quas ante consecrationem duxerant, non dormirent. Surgens autem Paphnutius confessor cōtradixit: Honorabiles confessus, nuptias & castitatem esse dicens, cum propria vxore concubitum. Suasit itaq; concilio, ne talem poneret legem. grauem esse causam asserens, quæ aut ipsis, aut eorum coniugibus occasio fornicationis existeret. Et hoc quidem Paphnutius, licet esset nuptiarū in expertus, exposuit, synodusq; laudauit sententiam eius: & nihil ex hac parte sanciuit, sed hoc in vniuscuiusque voluntate, non necessitate permisit. Sic quidem Gratianus refert Paphnutij historiam. Sed Socrates & Zozomenus eadem describentes, post ea quæ adscripsit Gratianus, addunt, quod author fuerit Paphnutius patribus in concilio congregatis, vt secundum antiquam ecclesiae traditionem, qui clericatu ante nuptias potiti essent, eis præciperetur, ne matrimonium deinceps inirent: non autem seiungeretur quisq; ab ea, quam semel iam antea, cum laicus esset, duxisset. Vides Christiane lector, quemadmodum

Gratian⁹
in distin.
31, cap. Ni-
cæna.
Lib 1, cap.
11. & Eu-
sebius lib.
1, cap. 23.

Canon 27
Apostolorum.

dum etiam Paphnutij sententia pro nobis facit, & eorum errorem confutat, qui sacerdotibus nuptias contrahere licere volunt. Cuius autem Paphnutius meminit antiquæ traditionis, ea est Apostolorum traditio prius citata: Iis qui cœlibes in clerum pervenerunt, iubemus ut lectores tantum & cantores, si velint, nuptias contrahant. Ea igitur est quæstio, quæ primum in concilio Nicæno, ac postea in multis concilijs tractata est: Essent ne sacerdotes ac ministri ecclesiarum ab vxoribus, quas ante ordinationem duxerant, aut ab earum complexu separandi: aut si separari nollent, à ministerio ecclesiæ remouendi. Et quamuis in Nicæno Concilio, authore Paphnutio, ita statutum sit, ut propter vxorū vsū à ministerio non remouerentur: in posterioribus tamen concilijs magis placuit ordinari, propter reuerentiam & celsitudinem ministerij & officij ecclesiastici, ut nemo prius coniugatus ordinaretur, nisi qui cœlibem vitam cum consensu vxoris profiteretur. Sicut palam declarat canon concilij Elibertini: Placuit in totum prohibere episcopis, presbyteris, diaconibus & subdiaconibus, positis in ministerio, abstinere se à suis coniugibus, & non generare filios. Quod quicumque fecerit, ab honore clericatus exterminetur. Vide Concilij Carthag. 2. canonem 2. Et postea copiosius de obseruatione ecclesiarum dicendum erit.

Canon 33
Concilij
Elibertini.

Ex his satis est manifestum, iam inde ab exordio ecclesiæ semper approbatum fuisse cœlibatum

batum sacerdotum: atque etiam semper constitutum fuisse, ut qui cœlibes ordinarentur presbyteri & episcopi, non ducerent vxores. Et quamuis de ijs qui prius coniugati erant quàm ordinarentur, non nihil in Orientis præsertim ecclesijs variatum sit, an possent in ministerio, simul & complexu vxorum manere: hoc tamè tandem per Occidentem receptum & obseruatum est, ut coniugati non ordinarentur, nisi ex consensu vxorum professi continentiam. Quod tamen per vniuersum Orientem obseruatum non sit, in quam plurimam tamen ecclesijs Orientis obseruatum fuisse disertissimè testatur Epiphanius. uti mox ostendemus.

Quod postremò scribit Illyricus, plerosque Apostolos fuisse vxoratos, idq; ex sententia Clementis Alexandrini, de eo nunc non agitur: Num Apostoli, aut sacerdotes fuerint & coniugati. Sed hoc ostendere debebat vir bonus, Apostolos, aut sanctos alioquin viros iam ordinatos duxisse vxores, aut etiam ductarum vxorum copulam non abdicasse. quod sane de apostolis nunquam docere poterit. Quare falsissimum est quod scribit, Deū instituisse coniugium omnium hominum, ut rem licitā, ac sibi gratā: cum ipse per apostolum suū Paulū clarissimè curauerit scribi: Eas virgines aut viduas, quæ fidē professionis cōtinentiæ vltro susceptę violauerint, damnationē habere.

Postquā de cœlibatu tam impiè & blasphemè differuit, cōfert se ad vota quoq; insectanda. In nouo, inquit, testamēto, nulla scriptura vota probantur.

Illyricus
de votis
contine-
tiæ.

Et

Extrema
blasphemia.

Et ut maximè probarentur, tamen vota cum naturas ac Dei verbo & ordinatione pugnantis, unde etiam innumera peccata profluunt, pro irritis omni iure haberi deberent. Cuiusmodi sane est: Vouere se non velle procreare. ad quod tamen Deus homines creauit, & idoneos fecit. Nam hoc est cum natura & Dei ordinatione pugnare.

Math. 19

Respondemus tibi impurissime Iouiniane impietatis sectator, non deesse nobis clarissima & certissima noui testamenti testimonia, quibus virginitatis & castitatis vota tueamur contra calumnias tuas spurcas & impias. Pronunciat Christus esse eunuchos, qui se castrant propter regnum cœlorum. Quod tractans Epiphanius contra Valesios: Qui sunt, inquit, qui se castrauerunt propter regnum cœlorum? generosi Apostoli, & monasticam vitam agentes, deinceps virgines, Ioannes quidem & Iacobus filij Zebedei, qui manserunt in virginitate. Post ipsos verò quot millia in mûdo solitariam vitam agentes, qui corporibus mulierum non sunt corrupti? Pronunciat spiritus sanctus per Paulum, consultum esse virgini, si in virginitate permaneat, & non nubat. Pronunciat viduas, quæ semel professæ continentiam, per carnis lasciuiam, fidem Deo semel datam irritam faciunt, damnationem habere. Et tu audes scribere, vota perpetuæ castitatis Deo displicere, & ea omni iure pro irritis haberi debere: propterea quod, cum natura & Dei ordinatione pugnent. Audi illustrem scriptorem Epiphanium de Angelico-
rum

1. Cor. 7.
1. Timo. 5

Epipha.
contra A-
postolicos

rum hæresi scribentem: Tradiderunt itaque sancti Apostoli peccatum esse, post decretam virginitatem ad nuptias conuerti. Et scripsit Apostolus: Si nupserit virgo, non peccauit. Quomodo igitur hoc cum illo concordat? imò etiam illam virginem dicit, quæ non est dicata Deo, &c. Tuæ itaque impuritati obijcimus totam antiquitatem, & innumera virginum, puellarum, & viduarû agmina. de quibus in suarum confessionum libris scripsit Augustinus: Quæ in Deo sperantes, ad finem vsque vitæ, castitatem semel Deo consecratam constanter tenuerunt. Et cum eo exclamamus: Præsumite, fidite, roboramini, permanete qui vouetis, & reddite Deo vestro vota perpetuæ continentiæ, non propter præsens seculum, sed propter regnum cœlorum. Arbitror quod tandem impurum & putidû os tuum audebit aduersus Hieremiam, Heliam, Elizeum, tres pueros illos in Babylone Deo charissimos, Danielem, denique Ioannem Baptistam scribere, quod Dei ordinationi ac naturæ aduersati sint: quod cum ad procreandum sobolem idonei conditi sint, virginitatem perpetuam amplexi sint. Agnoscimus Illyrice te in Iouiniano, æterno anathemati traditum esse, nisi ab hac impietate resipiscas. Videat quæso Christianus lector apud historiam ecclesiasticam Eusebij libro 2. quomodo Marcus etiam Euangelista instituerit in Ægypto ecclesiam Alexandrinam, & liquidò cognosceret, quantum disidet spiritus Illyrici à spiritu Apostolico.

1. Cor. 7.

Lib. 6. 8.
10.

Auguf. de
sancta vir-
ginit. cap.
29.

Neque verò ex vitijis, quæ ex hominum inertia & lascivia accidere solent, qui non totos se constanter in Deum projiciunt, cui semel se sanctè consecrauerunt, instituti & voti virginalis pondus & dignitas apud iudicem Deum æstimari debet. Quin potius exhortandi sunt, vt qui semel ex fide se Deo consecrauerunt; aduersus suborientes carnis lasciuias, auxilio diuino implorato, fortiter dimicent: & ne quispian, nisi post legitimam explorationem, suis viribus malè confidens, institutum tam arduum temerè aggrediatur.

Aug. de adult. ad Poll. lib. 2. cap. 16.

Æterna memoria digna est Augustini sententia: Non vos terreat sarcina continentia. leuis erit, si Christi erit: Christi erit, si fides aderit. quæ impetrat à iubente, quod iusserit, si fides adsit. & alibi: Tu non poteris, quod isti & istæ. An verò isti & istæ in semetipsis possunt, ac non in domino Deo suo? Quid in te stas? Projice te in eum, noli metuere: non se subtrahet, vt cadas. Projice te securus, excipiet te, & saluabit te.

Aug. lib. 8. Confess. cep. 11.

An licuerit alia quãdo in No. test. sacerdoti vxorem ducere.

Canõ concilii Ancyran. 10. defenditur & exponitur.

Scripteram, nunquam licuisse in nouo testamento, sacerdoti iam factõ vxorem ducere. Contendit Illyricus, falsissimum hoc esse, idque testimonijs quibusdam liquidò se demonstraturum iacetat. 1. Ancyrana, inquit, synodus, circa annum domini 300. celebrata clarè cauit, vt si diaconi, cum ordinarentur (nempe ad presbyteratum) protestarentur se velle ducere vxores, id eis liceret. Verba synodi sunt hæc: Diaconi, quicumque cum ordinantur, si in

si in ipsa ordinatione protestati sunt, & dixerunt, velle se coniugio copulari, quia sic manere non possunt: hi si postmodum vxores duxerint, maneat in ministerio: propterea quod eis episcopus licentiam dederit. Quicumque sanè tacuerint, & susceperint manus impositionem, professi continentiam, & postea nuptijs obligati sunt, à ministerio cessare debebunt.

At tu confydera quæso lector, hominem istum mendacem, pro suo ingenio canonem hunc interpretari, de diaconorum ordinatione ad sacerdotium aut presbyteratum: Diaconi, inquit, quicumque non ordinantur, (nempe inquit, ad presbyteratum) si protestentur se velle ducere vxores, id eis licere. Sed ea interpretatio falsissima est. Clarissimè enim constat, quod de ea ordinatione sermo sit, qua in diaconos ordinantur. Sic enim habent verba canonis: Diaconi, quicumque cum ordinantur, si in ipsa ordinatione protestati sunt, &c. quod de ordinatione ad diaconatum, non ad presbyteratum dictum esse clarissimum est. Nihil igitur aliud constituit ille canon Ancyranus, quàm quòd qui ad diaconatus gradum ordinantur ab episcopo, si in ipsa ordinatione professi sint se velle ducere vxores, possint de licentia episcopi ipsis tunc concessa, ducere vxorem: nihil autem de ordinatione ad gradum superiorem constituit. vt falsò adfingit canoni Illyricus.

Oberuet verò diligèter lector etiã hoc, quod qui cœlibes iam tũ diaconi ordinabãtur, si tace-

bant, censebantur professi cœlibatum, nec eis licuit post eam ordinationē coniugio legitimo copulari. Ex quo cōstat liquidò, quod ab exordio ipso ecclesie, cœlibatus etiam diaconi gradui annectendus visus est, imò & annexus, nisi expressa contradictione, votum excluderetur. Nihil igitur hoc testimonio potest Illyricus probare de sacerdotibus.

2. Probatio Illyrici. Secundum testimonium desumit ex quadam Arelatensi synodo, quam dicit extare in decreto Gratiani, distinct. 28. cap. Assumi, & sequenti. Sed neque quæ sit synodus Arelatensis (nam plures fuisse constat) neque canonem Gratiani recitat. Callidè autem hoc apud imperitum lectorem facit. Nam ad suam causam probandam tam nihil facit hoc decretum, ut potius eius doctrinæ de cœlibatu contrarietur. Extat igitur in secunda synodo Arelatensi canon secundus in hæc verba: Assumi aliquem ad sacerdotium nō oportet in vinculo coniugij constitutū, nisi fuerit promissa conuersio. Hic canon præterquàm quod ad causam nihil pertinet, palam redarguit Illyricum, dum clarissimè constituit, eum qui coniugio implicitus est, nō posse sacerdotem ordinari, nisi valeat dicat coniunctioni coniugali. palam contestans, quod sacerdotij functio non bene consistat cum coniugali vinculo, & coniugalibus amplexibus.

3. Probatio. Tertiam probationem sumit ex Canone Apostolorum 50. quem & supra quoque citauerat. Is sic habet: Si quis episcopus, aut presbyter,

ter, aut diaconus, aut quiuis omnino de sacerdotali consortio, nuptijs & carnibus, & vino abstinerit, non propterea quod mens ad cultum pietatis reddatur exercitior, sed propter abominationem, oblitus quod omnia bona valde, & quod masculum & fœminam Deus creauit hominem: sed diffamationibus lacefcēs creatorem, vocat ad calumniam: aut corrigitor, aut deponitor. *Hic clare vides, inquit, vetari, ne vel episcopus, vel sacerdos abstineat à contrahendis nuptijs, tanquam re prophana, & Deo non grata. Ergo licuit omnino eis contrahere matrimonium.*

At ò bone Illyrice, canon palam indicat, quod abstinere à nuptijs propter maiorem & expeditiorem pietatis cultū & exercitationem, sit Deo gratum. Deinde manifestum est, canonem eos notare, qui negant, masculi & fœminæ coniunctionem, non esse rem à Deo institutam, sed abominabilem, & à diabolo inuentam. quæ fuit impia opinio Manichæorum de coniugio. Hi enim laceffunt, & infamant bonam Dei institutionem: non autem illi, qui propter sublimis alicuius functionis dignitatem, maiestatem, & diuinitatem quandam, ministros eius functionis præcipit, & constituit esse cœlibes, & non coniugatos, secundum Pauli doctrinam: Qui sine vxore est, sine impedimento, & totus corpore pariter & spiritu, Deo seruire potest. Et rursus affirmo Illyrice, quod contra propriam conscientiam detorques hunc & similes canones ad falsissimam sententiam,

vt videatur vestra sententia canonum illorum celeberrimorum, qui Apostolici dicuntur, testimonijs non destitui. Non enim ignoras, quid canon Apostolorum 27. constituat, vtpote, vt qui cœlibes ad clerum promouentur, tantummodo lectores & cantores vxores accipiant: non quod nuptiæ sint abominabiles, sed quod ad ordinem ecclesiæ adsumēdis non congruat.

26. quæst.
2. cap.
Sers.

Quartò adducit & Gratiani sententiam ex Decreto: *Antequam euangelium claresceret, multa permittebantur, quæ tempore perfectioris disciplinæ penitus sunt eliminata. Copula namque sacerdotalis, nec legali, nec euangelica, vel apostolica auctoritate prohibetur: ecclesiastica tamen lege penitus interdicitur.*

At de copula sacerdotali, hoc est, de coniunctione sacerdotis cum sua legitima vxore, quam ante sacerdotium duxerat, hic non pugnatur, quam cōstat in ecclesiæ exordio interdici non potuisse, quādo qui iam coniuges erāt, euehebantur, & vt ait Augustinus, rapiebantur ad ecclesias regendas: præsertim cum vxorum prius dūctarum iniuria & contradietione. Rectè tamen dicit Gratianus, eam tempore quo licebat in ecclesia, perfectiorem disciplinam constitutam esse. Verum ex his non est consequens, quod sacerdos post ordinationem vnquam aut vsquam duxerit vxorem: Neq; quod lex ecclesiastica, quæ perfectioris disciplinæ gratia cœlibatum indicit ijs qui volunt esse ministri ecclesiæ, illicita sit. Sicut ergo legalis auctoritas non prohibebat quidem simpliciter sacerdotalem copu-

copulam, constituebat tamen, vt temporibus quibusdam ab vxoribus abstinerent: ita lex euangelica aut apostolica, quamuis expresse non prohibeat sacerdotales copulas, insinuat tamen omnino cōgruere, vt cœlibatus ijs qui perpetuò orationi & diuino cultui vacare debent, præscribatur, vt nec coniugalibus, nec secularibus negotijs distenti suum officium non legitime perficiant.

Postremo loco sententiam Leonis Papæ profert ex epistola ad Aphricanos per Mauritaniam Cæsariensem constitutos. In qua sic scribitur: Dicente enim apostolo, vt inter alias Christianismi regulas is episcopus ordinetur, quem vnus vxoris virum fuisse aut esse constaret: tam sacra semper habita est ista præceptio, vt etiam de muliere sacerdotis eligenda, eadem intelligatur seruanda conditio: ne forte illa, priusquam in matrimonium eius veniret, qui aliam non habuisset vxorē, alterius viri experta esset coniugium. *En audis, inquit Illyricus, sacerdoti deligendam esse vxorem virginem, non viduam. Licet ergo ordinatis sacerdotibus contrahere coniugium.*

Leonis e-
pisto. 87.

Fæda de-
prauatio
sententia
Leonis.

Obtestor te optime lector, vt consideres impostoris calumniam, qui accipit sententiam Leonis de vxore querenda illi qui iam sacerdos est: cum liquidò loquatur de muliere, quæ ab ordinando prius electa est. Hoc enim dicit obseruatum esse, vt nō solum de ipso ordinando obseruaretur, nū alteri præter eam quā tum habebat, commistus esset & adhæsisset: verū etiam vt

*Sententia
Leonis de
coniugiis
clericorū
explicatio.*

*Leonis
epist. 92.*

*Leonis
epist. 84.*

de vxore quoque ordinandi inquireretur, num aliquando alteri adhæfisset, & virgo non esset. Quod liquidò constat ex verbis illis : Ne forte illa, priusquam in matrimonium eius veniret, qui ipse aliam non habuisset vxorem, alterius viri prius experta esset coniugium. Manifestissimum est igitur, Leonem non de quærenda vxore, quæ iungatur sacerdoti, sed de inquirenda ea quam iam duxerat, agere: videlicet num ipsa alium habuisset maritū. Et vt impostoris fidem agnoscas, audi Leonem in epistola ad Rusticum Narbonensem episcopum, sic inquentem: Lex continentia eadem est ministris altaris, quæ episcopis, atque presbyteris. Qui cum essent laici siue lectores, licitè & vxores ducere, & filios procreare potuerunt. Sed cum ad prædictos peruenissent gradus, cœpit eis non licere quod licuit. Vnde vt de carnali fiat spirituale coniugium, oportet eos nec dimittere vxores, & quasi non habeant, sic habere: quo & salua sit charitas cōiugiorum; & cessent opera nuptiarū. Et rursus in epistola ad Anastasium episcopū Thessalonicensem: Nam cum extra clericorum ordinem constitutis, nuptiarum societati & procreationi filiorum studere sit liberum, ad exhibendam tamen perfectæ puritatem continentia, nec diaconibus quidem carnale commercium conceditur, vt & qui habent, sint tãquam non habentes: & qui non habent, permaneant singulares. Quod si in hoc ordine, qui quartus à capite est, dignum est custodiri, quanto magis in pri-

in primo, aut secūdo, aut tertio seruandum est? ne aut Leuitico ministerio, aut presbyterali honore, aut episcopali excellentia quisquam idoneus existimetur, qui se à voluptate vxoria necdum frenasse detegitur. Ex his constare liquidò potest, quid sanctissimus & doctissimus Papa Leo de coniugio sacerdotū, episcoporum, diaconorum & subdiaconorum senserit.

Porro verissimū esse quod scripseram: Nunquam licuisse in nouo testamēto, sacerdoti iam factò vxorē ducere (quod testimoniis fraudulenter deprauatis cōfutare studuit Illyricus) vnicum Epiphani j testimonium potentissimè & solidissimè ostender: Reuera, inquit, non suscipit sancta Dei prædicatio post Christi aduētum eos, qui à nuptiis, mortua ipsorum vxore, secūdis nuptijs sint coniuncti, propter excellentem sacerdotii honorem & dignitatem. Et hæc certe sancta Dei ecclesia cum sinceritate obseruat. Sed & adhuc viuentem, & liberos gignentem, vnus vxoris virum non suscipit: sed eum qui se ab vna continuit, aut in viduitate vixit, diaconum, presbyterum, episcopum, hypodiaconum, maximè vbi sinceri sunt canones ecclesiastici.

Et respondens obiectioni, quod multi ex Orientis prouinciis sacerdotes, mariti sumebantur, & gignentes filios. At, inquit, non est secundum canonem, sed iuxta hominū mentem, quæ per tempus elanguit, & propter multitudinem, cum nos inuenit ministerium. Nam quod decentius est, id semper ecclesia, per spi-

*Epiphanius
in hæresi
59. contra
Catharos
& hæresi
49. contra
Montanistas.*

ritum sanctum bene disposita videns, statuit apparare, vt cultus diuini indistracti Deo persoluerentur, & spirituales necessitates cum omni beneuola conscientia perageretur. Dico autem quod decorum est, propter repentina ministeria ac necessitates, vt diaconus, presbyter & episcopus Deo deditus sit. Si enim populo precipit sanctus Apostolus, dicens vt ad tempus vacent orationi, quanto magis sacerdoti precipit, vt indistractus sit ad vacandum secundum Deum sacerdotio, vt in spiritalibus necessitatibus ac vrbibus perficiatur? Consentit Epiphano Hieronymus: Apostoli, vel virgines, vel post nuptias continentes episcopi, presbyteri, diaconi, aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certe post sacerdotium in æternum pudici. Si itaque sancta Dei ecclesia non recipiat eos qui cum vxore prius ducta adhuc liberos gignunt, quo pacto recipiet eos, qui iam ordinati, vxores ducere volunt?

Quonia verò perpetuo obijcit Illyricus aduersus legem cœlibatus sacerdotum, sententiam Apostoli, *Doctrinam esse demoniorum, prohibere nubere*, audiat Epiphani] explanationem, & conquietat: Pleraque, inquit, sectarum matrimonium contrahere prohibent, & à cibis abstinere precipiunt, non honestæ vitæ gratia exhortantes, non maioris virtutis gratia, & præmiorum ac coronarum, sed abominabilia ea quæ à Deo sunt facta, putantes. At verò sancta ecclesia & virginitatem glorificat, & solitudinem, & castitatem, & virginitatem laudat, & nuptias pudicas

cas

cas honorat & suscipit. Eandem sententiam copiose tradit in hæresi contra Apostolicos. Non igitur vocat Apostolus doctrinam demoniorum, ministris ecclesiæ interdiceret nuptias, ob sacerdotii excellentiam & dignitatem: sed eam demum, qua nuptiæ abominabiles dicuntur, & fugiendæ tanquam à diabolo inuentæ, non autem à Deo institutæ.

*Hæresis
Apostolica
corum 61*

DE PURGATORIO.

CAPVT XX.



Apite 20. causas, ob quas Cōfessio purgatorium reiiciendum esse scribebat, sedulo confutauit, & fidem catholicā de purgatorio tutatus sum. Eas verò causas aduersus nostrā Confutationē stabilire & defendere studet Illyricus. Verum hoc obseruatu dignū est, quod cum videat Confessionem tum testimoniis perspicuis & firmis scripturarū, tum luculentissimis patrū catholicorum testimoniis labefactatam & superatam esse, astutus & vaser homo à statu proprio quæstionis de purgatorio (qui est in eo positus, An sint aliquæ pœnæ purgatorię animarum post hanc vitam. hoc est, An sit aliquis locus purgatorius, in quo post hanc vitam purgentur animæ quædam à fordibus & reatibus peccatorū post hanc vitam) ipse disputationem transfert ad ignem, quo purgentur animę. quem ignē purgatorium

vocat,

*Hiero. li. 1
cōtra Iovinianum
Vide Socrate lib. 5
cap. 22.*

vocat, cum de ratione purgandi animas, per igne ne materialem, an per alium modum, non sit definitio Catholica, sed tantum de purgatoris poenis. Quam hominis vaficiem & afluia suo loco cernet lector, in cauillationibus & mendaciis in hoc capite productis.

*Discepta
tio de li
bris Mas
chabeorū*

Primum igitur cum Confessio diceret: Totam ecclesiam tam ante Christi aduentū, quam post Christi aduentū, simul & authenticas omnes scripturas ignorasse purgatorium: proposui testimonium scripturæ clarissimum ex 2. libro Machab. cap. 12. in quo non solum scribitur sacrificium oblatum esse pro mortuis, sed etiam sanctum & salubre officium esse, orare pro defunctis, scilicet etiam oblaris sacrificiis, ut à peccatis soluantur. Et contra calumniam hæreticorum muniens lectorem, adscripsi Augustini sententiam, iniquientis: Machabeorum libros & si Iudæi non recipiant, ecclesia tamen catholica pro Canonicis habet. Quæ non est sententia vnius Augustini, sed communis totius Concilii Carthaginensis 3. cui Augustinus interfuit.

*Lib. 18. de
ciuit. Dei
cap. 36.*

Aduersus hanc itaq; probationem cauillatur Illyricus. Responder: *Hic liber nunquam fuit in canone Hebræo receptus. Testatur etiam Hieronymus in prologo super Salomonem, suo tempore non fuisse receptos ab ecclesia inter Canonicas scripturas. Dicit enim: Machabeorum libros legit quidem ecclesia, sed eos inter canonicas scripturas non recipit. Legat ergo hæc ecclesia ad edificationem plebis, non ad auctoritatem dogmatis ecclesiasticorum confirmanda.*

*Hieron. in
prologum
Prouerbi
orum.*

Respon

Respondeo verbis Augustini: libros Machabeorum non Iudæi, sed ecclesia Christi pro canonicis habet: & constat Hieronymum de libris Canonicis, non tam suam, quam Iudæorū sententiam recitasse. sicut videre licet in prologo galeato in libros Regum. Et memorabilis est illa sententia Augustini in libro de prædestinatione sanctorum de libro Sapientiae: Non debet repudiari liber Sapientiae, qui meruit in ecclesia Christi, de gradu lectorum ecclesiae Christi tam longa annositate recitari, & ab omnibus Christianis, ab episcopis vsque ad extremos laicos fideles, poenitentes, cathecumenos, cum veneratione diuinæ auctoritatis audiri.

Responso

Idem sane de Machabeorum libris responsum tibi puta Illyrice. Sed ut contentionem de canonica auctoritate abijciamus, negare non poterit aduersarius, quin libri Machabeorum supra annos mille ducentos perpetuo, constanter, & vbique recepti, & in ecclesijs recitati, authenticam saltem hætenus auctoritatem habeant, ut nihil in eis inesse, quod religioni & regulis fidei contrarium sit, publico Ecclesiae iudicio declaratum sit. Quare cum in ijs libris disertè scriptum sit, & ante hæresiarum Lutherum semper in ecclesijs recitarum: Sancta & salubris cogitatio est, pro defunctis exorare, ut à peccatis soluantur: potentissimè & solidissimè labefactata est, & enersa doctrina Confessionis: Reijciendum esse purgatorium locum post hanc vitam.

*Aug libro
de prædē.
sanctorū
cap. 13.*

Sed

Cautillo
tio.

Sed addit Illyricus: *Sic & in Laodicena synodo in catalogo Canoniarum scripturarum non ponitur.*

Respondeat Hieronymus, qui in prologo in librum Iudith scribit, librum Iudith in numero sanctarum scripturarum computatum esse, qui tamen in Laodicæne synodi catalogo non reperitur adscriptus. Atque in præfatione in Thobiam scripsit ingenuè Hieronymus, se malle Iudeorum & Phariseorum displicere iudicio, quàm Catholicorum episcoporum non deseruire iussionibus. Sic etiam scribit, epistolam Iacobi paulatim procedente tempore autoritatè obtinuisse. Et de epistola Iudæ, autoritatè iam vetustate & vsu meruisse, & inter sanctas scripturas computari. Itaque falsissimum est quod affirmat Illyricus, Machabæorum libros nunquã nec ante, nec post Christum esse ab ecclesia receptos.

Hiero. de
viris illu-
stribus.

Obiectio.

Sed obijcit Illyricus: *Nô potest pro dogmate haberi vnius hominis factû, nepe Iudæ Machabæi, ibi narratû de offerendo sacrificio pro mortuis: alioqui eadè ratione etiã Rasiæ parricidium seipsum interficietis (quod ibidè paulò post narratur & laudatur) imitandum foret.*

Resposio

Respondeo, non solum narratur factum Iudæ Machabæi, sed scribitur quoque ab auctore libri: Sanctam esse & salubrem cogitationem, pro defunctis orare, vt à peccatis soluantur. Porrò de Rasia fit quidem narratio, sed non scribitur parricidij eius aliqua sincera commendatio. Sicut prolixè testatur Augustinus cum in alijs locis, tum in libro 2. contra epistolam Gaudetij.

Aug. lib. 2
cõtr. epist.
Gaudetij
c. 24, & 23

Tandem absolvens disputationem de libris Machabæorum,

Machabæorum, subiicit: *Vt maxime, inquit, id quoque rectè à Iudæo Machabæo factum constaret, nondum tamen inde probari posset, esse ignem purgatorium. Nulla enim ibi prorsus mentio fit ignis vel purgatorii vel culinarij.*

Vides optime lector hominem veritate destitutum, & autoritate scripturæ Machabæorum ab ecclesia plus 1200. annis receptæ & approbatæ superatum, confugere callidè ad ignem purgatoriû vel culinarium; cum de igne fidei quæstio non sit, sed de pœnis purgatorijs, quibus spiritus defunctorû, reatibus antea actæ vitæ, non peracta legitima & sufficiente pœnitentia, obnoxii hinc migrant. Quales sanè pœnas luendas esse post hanc vitam, antequam spiritus admittantur in regnum cœlestè, Machabæorum testimonium potentissimè demonstrat & conuincit.

Testimonia quoq; Græcorû scriptorû, Chrysostomi & Epiphani, quæ indicauerã magis quã recitauerã, cû adeo manifesta sint, vt palpari possint, sic eludit: *Vniuersa, inquit, Græca ecclesia vsq; in hodiernã diè dænat. quod notius est, quã vt probatione indigeat. Neq; Græci ullam huius rei mentionè faciunt.*

De Græca
niç Eccle
sie senten
tia de pur
gatorio.

Audi Christiane lector publicam Græcicarum ecclesiarû de purgatorio, in cõcilio Florentino ab episcopis Græcis factam professionè: Ipsi, inquit, purgatorium non ignè, sed obscurum quendã locum, ac laborû plenum esse cœsemus: in quo quidem existètes animæ lumine diuino priuantur, donec adiuuante ecclesia expientur, ac liberentur. Sic ergo sentimus de purgatorio.

In Conci
lio Floren
tino pro-
fessio fa-
cta à Græ
cis.

Am

An non hîc ingenuè & disertè profitentur Græci, post hanc vitam esse quâsdam purgatorias pœnas : ac proinde purgatorium quendam locum, in quo pœnæ ille luantur, & exoluantur? quas pœnas, & quem locum Catholici appellatione purgatorii intelligunt. Verum an hæc purgatoriæ pœnæ per ignem verum materialem inferantur, an per alium modum spiritualem Deo cognitum, id Græci negant se certum habere. quod & cum eis Catholici confitentur. Ad ignem igitur se conuertit impostor, quando veritate se superatum videt, & de igne mouet Catholicis apud imperitum lectorem inuidiam. de quo præcipua quæstio non est.

Dionysij
Areopagite
testimonij
in ecclesiastica
Hierarchia,
ca. 7.

Quoniam verò Confessio prouocabat ad testimonia primitiue ecclesiæ, citaueram manifestissimum & validissimum testimonium Dionysij Areopagitæ apostolici scriptoris: in quo scribit: Venerandum antistitè, precem sacrâ super mortuum peragere, & precari diuinam clementiam, vt cuncta dimittat per infirmitatem humanam admissa peccata defuncto. &c. Quam precationem cum clarissimè cernat statuere, spiritus defunctorum ex hac vita discedere posse, obnoxios reatibus peccatorum per infirmitatem admissorum, qui per orationem viuentium expientur, quod est, post hanc vitam esse pœnas purgatorias, & locum purgatorium: varias cauillationes & fraudes excogitat, quibus authoritatem sanctissimi & Apostolici scriptoris apud imperitum lectorem eleuet.

Pri-

Primum itaque dicit, *supposititia esse Dionysij scripta*: sed hanc cauillationem impræsentiarum non suscipimus discutiendam, testimonijs probatissimorum authorum, Gregorij, & Damasceni: qui ante annos mille testimonijs huius authoris vsi leguntur. Et in sexta synodo generali Dionysij liber de diuinis nominibus cum veneratione citatus legitur.

Secundò, dicit *Dionysium hoc dubitâter scripsisse*, quia indicat ea quæ contrâ ex scriptura opponuntur: non potest, inquit, aut vult affirmare, eam præcationem simpliciter ex mandato Dei fieri.

Respondeo, vanissimam esse hanc cauillationem, qua scriptor ex eo colligitur dubitanter scribere, quod scripturam aliquam, quæ obijci posset contra sententiâ quam tuetur, dissoluat. Et sanè Dionysius palam profiteretur theologicam doctrinam, quam in libris suis tradit, se à magistro suo Paulo hausisse.

Tertiò nugatur, *Dionysium non sapius illam precationem iterasse, nec post sepulturam, denuò eam fieri debere, docuisse*.

Respondeo, quod semel rectè fieri docuit Dionysius, hoc iterari posse, & plerunque debere, Augustinus in libris Confessionum docuit, qui post præces, quas fuderat, cum pro matre Monica sacrificium pretij nostri offerretur, commendare eius salutem non dubitat omnibus pijs sacerdotibus, qui eius Confessiones legerent, quoties in altari sacrificium Deo offerrent.

A a a Quar-

Cauillas
tio 4.

Quarto, dicit eam precationem esse potius veluti quandam interpretationem, ac testificationem diuinæ voluntatis, quod Deus eam in vitam æternam transferat, quàm petitionem, vt id nunc primum faciat.

Sed vanissimæ huic cauillationi ipsam precationis formam oppono, quæ habet: Præcatur venerandus antistes, vt mortuo cuncta dimittat per infirmitatem humanam admissa peccata, & eum statuatur in regione viuorum. Sanè quem testificari volumus iam translatum esse in vitam æternam, eum præcibus Deo non commendamus, vt in vitam æternam eum transferre dignetur.

Cauillas
tio 5.

Quinto cauillatur, Dionysium nullã facere mentionem ignis purgatorij: nec vllarum poenarum, in quibus suspicetur mortuum detineri, & ex quibus eum petat liberari: sed ita orare pro eo, vt eum Deus ad se recipiat, perinde atque si iam primum animam exhalaret.

Respondeo. Cernis Christiane lector, hominem istum veritate superatum, iterum à statu quæstionis de loco purgatorio, ad ignem delabi. de quo quæstio fidei non est. Quod verò dicit, ne poenarum quidem fieri mentionem à Dionysio, in quibus detineatur mortuus: apparet hominem istum ita excœcatum, vt non intelligat, exclusum esse vel ad tempus, à vita æterna, & fruitione diuinæ faciei propter peccatum nondum plenè remissum, grauè poenam esse, & graue malum. quod non dubitat Chrysostr. affirmare, maius esse malū damnatis,

Chrysostr.
in Matth.

natis, quàm gehennæ poenam. Et sanè si poena non est defuncto spiritui, exclusum esse à regno Dei, & à regione viuorum, nec malum cruciatur eum, quid admonet & docet spiritus sanctus, vt pro defuncto oratio fiat, vt à peccatis soluatur?

Sexto, Dionysius non docet, inquit, missas aut vlla sacrificia pro mortuis offerre. Sed cum diligentissimè exponat totum ritum, quem circa mortuum sepeliendum celebrent, omnem missationem pro mortuis prorsus excludit.

Respondeo, Dionysium agere de ijs ritibus, qui propriè circa sepeliendorum corpora fiebant in ipsa sepultura, non autem de sacrificijs & oblationibus, quæ pro defunctorum salute etiam tum fiebant. De quibus magna constantia pronunciat, lumen illud magnum Orientis Chrysostr. quod non temerè sancitum est ab Apostolis, vt in tremendis altaris siue missæ officijs, defunctorum quoque commemoratio fieret, atque inde eis multam vtilitatem prouenire. Et Augustinus testatur pro sua matre iam sepelienda sacrificium pretij nostri (quo haud dubiè missam intelligit) oblatum religiosè esse. Verùm de ratione, qua spiritus defuncti liberentur è loco poenarum, hoc loco non agitur: sed impræsentiarum hoc sufficit vel ab inuito Illyrico per veritatem euidentissimam cõuicto obtinere, quod pro spiritibus defunctorum tam prima illa Apostolorum ecclesia, quàm quæ illi successit, precationem facere semper sit solita.

Cauillas
tio 6.

Chrysostr.
hom. 31.
in epist.
ad Philip.
& 69. ad
pópulum
Antioche-
num.
Aug. lib. 9
confessio-
num.

A a a ij Neque

Neque de missis funebribus hoc loco Dionysium, vti calumniatur impostor & seductor veritate destitutus, testem produximus: sed tantum de precatione pro remittendis peccatis defuncti. Quam precationem luce meridiana clarius est testari, esse locum aliquem diuinitus ordinatum, in quo spiritus adhuc peccatorum reatibus obnoxij expurgentur & expientur. què locum, Purgatorium Catholici appellamus.

Quanquam verò tot cauillationes excogitauerit seductor iste aduersus validissimam Dionysij sententiam, ea tamen tam manifesta, firma & perspicua est, vt Christianus lector potius confirmari debeat in apostolica de purgatorio doctrina, quàm vel tantillum de ea propter inanissimas eius cauillationes commoueri.

Tertulliani sententia defenditur.

Citaueram pro purgatorio etiam librū Tertulliani de Monogamia, in quo disertè dicit, quod vxor pro anima mariti orat, & refrigeriū interim postulat ei, & in prima resurrectione consortium, & offert annuis diebus dormitionis eius.

Hieron. super Titulum, & in catalogo virorum illust.

Cauillatur Illyricus, librum Tertulliani de Monogamia Hieronymus contra Ecclesiam Dei scriptum esse testatur. Quid ni pro sua hæresi citaret librum hæreticum aduersarius?

Respondeo, librum illum Tertulliani in eo dogmate hæreseos notatum esse, quod asserit secundas nuptias in euangelio prohibitas esse: at non in reliquis sententijs. Quod verò hæreticus homo audet dicere, nostrā de purgatorio senten-

sententiam, hoc est, ecclesiæ sententiam, hæresin esse: nos contra demonstraui in Aërio hæretico ipsius sententiam iam olim æterno anathemate condemnatam esse: ac nostram approbatam, & contra hæreticorum oblatantium cauillationes defensam.

At, inquit, nihil profusus ibi de purgatorio igne, nec de missis missandis pro animabus mortuorum, vt ex purgatorio eximatur: sed tantū ipsa mulier dicitur orare, & offerre pro marito. nimirū, inquit, eleemosynas pauperib⁹.

Cauillatio.

Cernis lector impostorem iterum delabi ad ignem purgatorium, quasi de igne quæstio sit: item ad missas, de quibus nunc non quæritur. Cōfiteri interim vel inuitus cogitur, etate Tertulliani solenni more cōsueuisse fieri precationes & eleemosynas pro mortuis. Quæ res abundè nobis sufficit ad statuendum, purgatoriū seculo antiquissimi Tertulliani agniti & approbatum fuisse. Nam de oblatione illa vxoris pro marito mortuo hic exactius dicendum non est.

Addiderā & antiquissimi & celeberrimi doctoris & martyris Cypriani testimonium, quoniam primorum sæculorum probationes requirebat Confessio: at eo contèpto, sic de testimonijs patrum concludit iste bonus vir. *Sūma: Non sequitur vlllo modo. Aliqui Græci aut Latini scriptores fecerunt mentionem orationis pro mortuis: Ergo purgatorium ignem probauerunt, & missis funebribus animas ex purgatorio eximendas esse, ac liberandas docuerunt. Quod vel ex eo manifestissimum est, quia Græci nunquam purgatorium crediderunt.*

Cōclusio Illyrici de testimonijs veterum.

Cernis lector in ista conclusione hominem istum seductorem iterum ad ignem & missas delabi. de quibus hoc loco non agitur: sed contactum veritate fateri, veteres orationes pro mortuis non improbasse. Ex quo ostendimus iam semel & iterum concludipur, gatorium locum diuinitus ordinatum spiritibus nondū plane purgatis, vt in eo purgentur, & pœnas peccatis superioris vitę debitas exoluant: nisi orationibus viuorum, & sacrificijs à Deo constitutis, per clementiam Dei eximantur.

Quod autem dicit, aliquos Græcos aut Latinos facere mentionem orationis pro defunctis, promptissimum foret ostēdere vix vllum scriptorem esse, siue Græcum, siue Latinum, ab annis mille ducentis & trecentis, aut amplius, qui non disertè orationum & sacrificiorum pro defunctis fecerit mentionem. Id quod ne videar audacius quàm verius dixisse, audi Christiane lector, id ipsum clarissimè profitentē D. illum Augustinū: Per vniuersam, inquit, ecclesiā, in precibus facer dotis, quę domino Deo ad eius altare fundūtur, locū suum habet etiā cōmemoratio mortuorū.

Post patrum aliquot testimonia, citavi & scripturam vnam aut alteram ex Nouo testamento. Primum citavi dictum Matthæi 12. Qui dixerit verbum contra spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc, neque in futuro seculo. Ex quo intuli, quod est quædam expiatio peccatorum in altero seculo.

Respondet Illyricus; Neq; Hieronymum, neque Hila-

August. in lib. de cura pro mortuis.

Matth. 12.

Hilariū, Chrysostrōmum, aut Theophylactum sic exponere: Sensum autem perspicuum esse ex Marco, qui inquit, non habebit remissionem peccatorum in æternum.

Respondedo, neq; Hieronymū, neq; Hilariū, Chrysostrōmū, aut Theophylactum vīpiam nostram interpretationē improbare. Augustinum verò, Gregoriū ac Bernardum, & plerosq; alios ex verbis Matthæi colligete, post hanc vitam adhuc esse quandam remissionem peccatorum. Et sane sermo ille: Peccatū in spiritum sanctum non remittetur, neque in hoc seculo, neque in futuro: tam disertè à spiritu sancto expressus & distinctus indicat, in futuro quoque seculo aliquorum peccatorum remissionem posse fieri.

Et quæso te Illyrice, nū Gręci & Latini scriptores commēdantes orationem pro defunctis, hoc est, vt habet Dionysius, pro remissione cūctorum peccatorum ipsorū, propalam testantur se sensisse in futuro seculo posse impetrari defunctis aliquam remissionē peccatorum? Prorsus consistere non potest, vt ritè pro remissione peccatorum fiat precatio, si nō sit speranda vlla remissio post hanc vitam.

Sed audi quæso caullantem & obstrepetem Illyricum: Quam teter, inquiens, & pestilens error fuerit, dicere, peccata remitti in altera vita: ergo & ibi habebimus sacrificios nos expiantes. Ergo nō est necesse, sollicitè hic remissionem peccatorum querere & consēqui, quę adhuc in altera vita nobis contingere possit. Cogitare, inquit, homines possint: si etiam in altera vita remissio peccatorum contingit, siq; ibi adhuc est

Aug. li. 21. de cura. Dei, ca. 13. Ite contra Iulianum lib. 6. c. 5.

Tetra & pestilens Illyrici calumnia

A a iij pec-

*peccatorum expiatio, quid necesse est, vt hic sollicitè vi-
gilem, omni tempore agens penitentiam, & confugiens
fide ad vnicum agrum, peccata mundi tollentem, meq;
ad mortem præparans, tanquam si non superesset amplius
locus, aut tempus expiandi peccata?*

Animaduerte quæso Christiane Lector has
cauillationes, iam olim aduersus doctrinam de
purgatorio, & contra preces pro defunctis,
ac remissionem peccatorum in altera vita, de-
functis à viuētibus impetrandam, in hæreticum
Aëriū satanico spiritu euomuisse. Sic enim scri-
bit Epiphanius Aërium locutum esse: Qua ra-
tione post mortem nominatis nomina mor-
tuorum? Orat enim, inquit, viuens, aut dispen-
sationem facit, hoc est, eleemosynæ communica-
tionem faciens, quid profuerit moruo? Si verò
omnino preces eorum qui hic sunt, profunt illis,
qui isthic sunt: igitur nemo sit pius, neque boni
quicquam faciat, sed acquirat amicos quosdam
per quem vult modum, aut per pecunias per-
suadens, aut amicis id in obitu demandans: &
orent pro ipso, vt ne quid illic patiat, neque
immedicabilia peccata ab ipso perpetrata re-
quirantur.

Aërij igitur simul & discipuli eius impijs &
hæreticis cauillationibus iam olim validissimè
& solidissimè respōdit doctissimus Augustinus:
Neque negandum est, inquit, defunctorum a-
nimas pietate suorum viuentium releuari, cum
pro illis sacrificium mediatoris offertur, vel elee-
mosynæ in ecclesia fiunt; sed eis hæc profunt,
qui

Epiphan.
in hæresi
75.

Memoria
aeternæ di-
gna Augu-
stini do-
ctrina in
Enchiri-
dio ca. 110.

qui cum viuerent, vt hæc sibi postea prodesse
possent, meruerunt. Est enim quidam viuendi
modus, nec tam bonus, vt non requiratur ista post
mortem: nec tam malus, vt ei non profint ista
post mortem. est verò talis in bono, vt ista non
requiratur: & est rursus talis in malo, vt nec his
valeat, cum hæc vita transierit, adiuuari. Quo-
circa hic omne meritū comparatur, quo possit
post hanc vitam quispiam releuari vel grauari.
Nemo autem speret quod hic neglexit, se cum
obierit, apud Deum promereri. Non igitur ista
quæ pro defunctis commendandis frequentat
ecclesia, illi apostolicæ sententiæ sunt aduersa,
qua dictum est: Omnes enim stabimus ante tri-
bunal Christi, vt referat vnusquisque secundum
ea quæ per corpus gessit, siue bonum, siue ma-
lum. quia etiam hoc meritum sibi quisque cum
in corpore viueret, comparauit, vt ei possent ista
prodesse. non enim omnibus profunt. Et quare
non omnibus profunt? nisi propter differentiam
vitæ, quam quisque gessit in corpore. Cum ergo
sacrificia siue altaris, siue quarumcunque elee-
mosynarum pro baptizatis defunctis omnibus
offeruntur, pro valde bonis gratiarum actiones
sunt: pro non valde malis, propitiationes sunt:
pro valde malis, etiam si nulla sunt adiumenta
mortuorum, qualefcunque viuorum consolati-
ones sunt. Quibus autem profunt, aut ad hoc
profunt, vt sit plena remissio, aut certè tolerabi-
lior fiat ipsa damnatio. Hactenus Augustinus.
cuius sententiam tam prolixè citauimus, quod per

2. Cor. 5.

eam vanissimæ cauillationes validissimè confutentur. Docet enim, nō omnibus defunctis, piorum viuentium preces & sacrificia valere posse: sed ijs tantum, qui pœnitentia de peccatis nondū plenè peracta, hinc decedunt, & à iudice Deo, loco purgationis, purgandi adiudicati sunt. Docet deinde: Remissionem peccati, quæ post hanc vitā obtineri in ecclesia docetur, non alere segniciam aut ignauiam hominum viuentium, quando ea remissio nisi ijs qui in hac vita à peccatis suis auersi, pœnitentiam egerunt, & studio bonæ vitæ se dignos ea misericordia reddiderunt, non sit speranda.

Arceatur igitur impia cauillatio Illyrici cum suo magistro Aërio à fidelium Christianorū auribus, & assidua vitæ innocentia studeant sic viuere, vt pœnis purgatorijs post hanc vitam non debeant per seueritatem diuinæ iustitiæ subijci, ac purgatorio loco addici. Et si quid per fragilitatem humanam negligentius factum fuerit, viuentium precibus, atque imprimis altaris sacrificijs se commendare non negligant. quod videtur Augustinus pro salute matris Monicæ, & Monicam ipsam tam sedulè fecisse.

*Lib. Con
fess. 9.*

1. Cor. 3.

Alterum testimonium citaueram ex epistola priore ad Corinthios: Saluus erit, sic tamè, quasi per ignem.

Respondet Illyricus: *In eo dicto Pauli nihil omnino dici de igne purgatorio alterius vitæ. Sed quod talis in hac vita per tentationes & tribulationes ad pœnitentiam renouabitur vt seruetur.*

Respon-

Respondet Illyrico Augustinus: Si per ignem, qui communiter vtrosque explorabit, tam eos qui supra fundamentum Christum ædificauerunt aurū, argentum, & lapides pretiosos, quam qui ligna, fœnum, stipulam superædificauerunt, intelligatur tentatio siue tribulatio, aut tribulationis seu tentationis dolor, Paulum accipientem non solum de tribulatione præsentis vitæ, sed etiam de tribulatione futuræ vitæ, vsque ad tempus generalis omnium resurrectionis. Post istius sane corporis, inquit, mortem, donec ad illum veniatur, qui post resurrectionem corporis futurus est damnationis & remunerationis vltimus dies, si hoc temporis interuallo, spiritus defunctorum eiusmodi ignem dicuntur perpeti, quem non sentiant illi, qui non habuerunt tales mores & amores in huius corporis vita, vt eorum ligna, fœnum, & stipula consumantur: Alij verò sentiant, qui eiusmodi ædificia secum portauerunt, siue ibi tantum, siue & hic & ibi: siue ideo hic, vt non ibi: secularia quamuis à damnatione venialia concremantem ignem transitorie tribulationis inueniant, non redarguo. quia forsitan verum est.

*Aug. li. 21.
de ciu. dei.
cap. 16.*

Vides Illyrice dilucidè Augustinum ignem transitorie tribulationis communem facere & futuræ vitæ, & præsentis vitæ. Ex quo manifestè consequens est, sententiam Pauli etiam ad tribulationem futuræ vitæ, pro ijs qui ædificia fœni, stipulæ & lini secum, vt ait Augu-

*Dies Do-
mini in
scripturis.*

1. Cor. 1.
1. Cor. 5.
Philipp. 1.

2. Pet. vlt.

*Gagnei
scholia.*

August. in
Psalm. 62
& 37.

Augustinus, illic portant, pertinere: ac proinde purgatorium locum post hanc vitam statuere. Verum quoniam dies domini in scripturis, præsertim apud Paulum, referri solet ad diem extremi iudicij, vel certè ad diem cuiusque post mortem. Confirmabit vos vsque in finem in diem aduentus domini nostri Iesu Christi. item: vt spiritus saluus sit in die domini nostri Iesu Christi. item: Perficiet vsque in diem Iesu Christi. item. 1. ad Thessal. vltimo, & 2. ad Thessal. 2. item in 1. & 4. capite posterioris ad Timotheū. item 10. cap. ad Hebræos. item Lucæ 10. Zodomis in die illa remissus erit. Probabilior est interpretatio dicti Paulini de tempore futuro post hanc vitam, vt doceat Paulus, eos qui in hac vita super fundamento Christo ædificauerunt ligna, scœnum, stipulam, & ea secum post mortem attulerunt, transituros ibi per ignem, siue materialem, quemadmodum Petrus palam testatur de igne conflagrationis, tempore futuri iudicij vniuersalis, siue tribulationis & afflictionis & doloris. De qua expositione vide lector scholia Gagnei Parisini theologi, in quibus adducit & Græcorum Photij & Oecumenij testimonia de igne purgatorij. Vide etiam diuum Augustinum in explanatione Psalmi 6. & 37. vbi sententiam Apostoli constanter & clarissimè refert ad tempus post hanc vitam. Et quia purgatorium ignem post hanc vitam, purgatorialiq; pœnas suauiter irridet, & cõtemnit infœlix homo, audiat seriam Augustini sententiã: Qui hinc ædificanc

cant supra fundamentum aurum, argentum, lapides pretiosos, de vtroq; igne securi sunt, non solum de illo æterno, qui in æternum cruciaturus est impios: sed etiam de illo emendatorio igne, qui emendabit eos qui per ignem salui erunt. Dicitur enim: Ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignè. Et quia dicitur: saluus erit: contemnitur ille ignis. Ita planè, quamuis salui per ignem, grauior tamen erit ille ignis, quàm quicquid potest homo pati in hac vita. Non quidem disertè describit tantus doctor huius ignis emendatorij siue purgatorij naturam & qualitatem: sed sanè purgatoriarum pœnarum acerbiter fidelibus populis, quos erudiebat, clarè insinuauit. Quibus seductores isti contempibilem reddere student purgatorium siue emendatorium ignem.

Cum grauem contumeliam esse rectè intelligat Illyricus, notari de doctrinæ Aërij, iam olim damnati hæretici approbatione & defensione: studet hanc notam excutere, quæ magistro eius Luthero & discipulis meritissimè obiecta est. *Obijciunt, inquit, isti perpetuò Aerium quen-
dam, qui sit ideo ab ecclesia damnatus, quia negauerit
oblationes pro mortuis faciendas esse, teste Epiphano.
Respondeo, inquit, Epiphanius quidem multos errores
Aerij recenset: sed de precibus tantum & memoria eorum
loquitur. Ac dicit quidem Epiphanius se orasse etiam
pro euangelistis & martyribus: vnde apparet li-
quidò, longè aliam fuisse illam consuetudinem, quàm sit
nunc Papistarum. Sane expendatur prolixum illud ca-*

Augst. de
igne emē-
datorij si-
ue purga-
torij.

*de hæresi
Aerij.*

Epipha-
nius in hę-
ren 67.

put

put de Aërio, non reperietur, quod illi sunt soliti missas pro mortuis, aut funebria sacra celebrare. Hac Illyricus.

Placet Illyrice, vt caput illud Epiphaniij excutiatur. Non quidem de missis, aut sacris funebribus in eo scriptum aliquid reperitur. nec de eo nunc agimus. sed sanè non pauca in eo scribuntur, quæ te mendacij luculenti coarguât. Scribitur quod damnauerit Aërius orationes & dispensationes, hoc est, eleemosynas, quæ fiunt in ecclesia pro mortuis. quod & tu confiteris. Scribitur quoque disertis verbis, quod pro iustis & peccatoribus memoriam facit ecclesia. Pro peccatoribus quidem misericordiam Dei implorando: pro iustis verò, & patribus, & patriarchis, & prophetis, Apostolis, euangelistis, martyribus ac cōfessoribus, episcopisq; ac anachoretis, & pro vniuerso ordine, &c.

Luculentum mendacium Illyrici proditur.

Hic tuum mendacium liquidò patefit, quod scribis, oratione, quam dicit Epiphanius in Ecclesia fieri pro mortuis, longe aliam esse quàm Catholicorum. esse enim orationem gratiarum actionis pro martyribus, ac patriarchis. cum disertissimè dicat Epiphanius: Orationem etiam fieri pro peccatoribus mortuis, atque pro iis misericordiam Dei implorari, scilicet vt iis qui cum peccatis aliquibus minutis hinc discesserunt, veniam clementer donet.

August. in ench. cap. 116.

Sic paulo superius audiuius dicentem Augustinum: Cum sacrificia siue altaris, siue quarumcunq; eleemosynarum pro baptizatis defunctis

functis omnibus offeruntur, pro valde bonis gratiarum actiones sunt: pro non valde malis, hoc est, pro peccatoribus, siue qui adhuc peccatis venialibus obnoxij sunt, propitiations, &c.

Ex istis intelliges lector, Epiphanium palam dicere, Aërium damnatum esse, quòd orationes ecclesiæ, quibus pro defunctis spiritibus misericordiam & clementiam Dei implorat, vt peccata seu peccatorum reatus, quibus decinentur, eis remittantur, improbare. Quæ sane ecclesiæ orationes liquidò statuunt & comprobant, esse post hanc vitam purgatorias siue emendatorias pœnas, & locum purgatorium, in quo peccata, peccatorumq; reatus sub diuini iudicij seueritate expiantur.

Sed dicit Illyricus: *In Epiphaniij tam prolixo capite nihil de oblationibus aut missis scriptum esse.*

Respondeo, nobis abundè satis esse, quod de orationibus pro defunctis, atque talibus quibus misericordia Dei pro ipsis imploratur, disertè mentionem facit, & Illyrici dogma confutat. Sed tamen attentus lector facilè animaduertit, verba illa Epiphaniij de precatone pro mortuis in ecclesia, hoc est, in solenni precatone, de oratione pro martyribus & patriarchis, ac iustis, deniq; pro omni ordine ecclesiæ, omnino pertinere ad solenne altaris sacrificiū, in quo eiusmodi ritus & preces obseruari solita esse, ex Missis Basilij & Chryostomi euidenter cognoscitur. atq; etiam ex Augustini scriptis, vt videre licet in epistola ad Paulinum superius citata.

August. in epist. ad Paulinū.

At ve.

At verò quod nō difertè expressit Epiphanius, Augustinus suppleuit, sic Aërij hæresin cōmemorans: Aëriani, inquit, ab Aërio quodam sunt nominati. qui cū esset presbyter, doluisse fertur, quod episcopus non potuit ordinari: & in Arrianorum hæresin lapsus, propria quoque dogmata addidisse nonnulla, dicens, orare vel offerre pro mortuis oblationem non oportere, nec statuta solenniter celebranda esse ieiunia: sed cū quisque voluerit, ieiunandum, ne videatur esse sub lege. Quin Epiphanius ipsè libro 3. contra hæreses, pag. 531. sic difertè dicit: In his qui defuncti sunt, ex nomine memorias faciunt. orationes ad Deum perficientes, ad cultus diuinos, & mysteriorū dispensationes. Quæ verba quis dubitet ad solennem missarum seu sacrificii ritum pertinere?

Aug. testi-
monia de
purgato-
rio.

Quia sicut Epiphaniij testimonio, de quo iā diximus, ita & Augustini plurimis & validissimis testimoniis se grauius premi rectè intelligit Illyricus, conatur & Augustini sententias deprauare & eludere. Primū itaq; dicit: *sane apparere, eum doctrinam de purgatorio, nequaquam vt à Christo traditam, certam, & à tota ecclesia receptam proponere, atque hoc per sententiam quandam Augustini in Enchiridio probat. Expendamus igitur, num certæ, indubitatae, stabiles, & constantes sententiae in scriptis Augustini extent, quibus hæc doctrinam tanquam certam, & à tota ecclesia receptam proposuerit fidelibus populis.*

August. in
ench. c. 110

Et quoniam ex libello Enchiridij suam causam

sam probat Illyricus, primum sic scribit in eo libello: Neq; negandum est, defunctorum animas pietate suorum viuentium releuari, cū pro illis sacrificiū mediatoris offertur, vel elemosynæ in ecclesia fiunt: sed eis hæc profunt, qui cū viuerent, vt hæc sibi pro desse possent, meruerunt, &c. & post pauca: Non igitur quæ pro defunctis commendandis frequentat ecclesia, illi apostolicæ sunt aduersa sententiæ, quæ dictum est: Omnes enim astabimus ante tribunal Christi, vt referat vnusquisq; secundum eam quæ per corpus gessit, siue bonū, siue malū, &c.

Rursus in libro de cura pro mortuis: In Machabæorum libris legimus oblatum pro mortuis sacrificium. Sed etsi nusquam in scripturis veteribus legeretur, non parua est vniuersæ ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret, auctoritas. vbi in precibus sacerdotis, quæ domino Deo ad eius altare funduntur, locum suum etiam habet commendatio mortuorum.

Et in eodē libro: Non sunt prætermittendæ supplicationes pro spiritibus mortuorū, quas faciendas pro omnibus in Christiana societate defunctis, etiam tacitis nominibus quorumq; sub generali cōmemoratione suscepit ecclesia, &c.

Rursus in Confessionū libris: Ego nunc pro peccatis matris meæ deprecor te, exaudi me per medicinam vulnerum nostrorum, quæ pendit in cruce.

Rursus: Oblationes pro spiritibus dormientium, ipsos verè aliquid adiuuare credendū est.

Aug. lib.
de cura
pro mor-
tuis.

Ibidem
cap. 4.

Aug. lib. 9
confess.
cap. 13.

Idem in
epist. 64.
ad Aurel.

Bbb Rur-

Idem in
hæresi As-
rii 53.

Idem de
v. rbis A-
postoli
serm. 34.

Idem lib.
de civitat.
Dei. 21.
cap. 13.

Ibidè lib.
20. cap. 25

Rursus: Inter Aërij hæretica dogmata adnu-
merat dogma hoc: Orare vel offerre pro mor-
tuis oblationem, non oportere.

Rursus de verbis Apostoli: Orationibus san-
ctæ ecclesiæ, & sacrificio salutari, & eleemofy-
nis, quæ pro eorum spiritibus erogantur, non
est dubitandum mortuos adiuuari, vt cum eis
misericordius agatur à domino, quàm eorum
peccata meruerunt. Hoc enim à patribus tradi-
tum vniuersa obseruat ecclesia, vt pro eis qui in
Christi communionem defuncti sunt, ad ipsum
sacrificium oretur, ac pro illis quoque offerri
id commemoretur. &c. & post pauca: Non
omnino ambigendū est, ista prodesse defunctis,
sed talibus, qui ita vixerint ante mortem, vt
possint eis hæc vtilia esse post mortem.

Rursus: Temporarias pœnas alij in hac vita
tantum, alij post mortem, alij & nunc, & tunc:
veruntamen ante iudicium illud seuerissimum,
nouissimumque patiuntur. Non autem omnes
veniunt in sempiternas pœnas, quæ post illud
iudicium sunt futuræ, qui post mortem susti-
nent temporales. Nam quibusdam quod in isto
non remittitur, remitti in futuro seculo, id est,
vt nec futuri seculi æterno supplicio puniantur,
iam supra diximus.

Et rursus eodem libro capite 16. Purgatorias
autem pœnas nullas futuras opinandum, nisi
ante illud vltimum, tremendumque iudicium.

Sed ex his testimonijs arbitror lectori Chri-
stiano luce meridiana clarius, imò palpabiliter
constare,

constare, non solum quod certam & indubi-
tatam sententiam & fidem habuerit Augusti-
nus de purgatorijs pœnis post hanc vitam, deq;
purgatorio loco: sed etiam quænam fuerit ec-
clesiæ Catholicæ vniuersæ semper & vbiq; de
hac re cõstans sententia: & deceptoris ac seducto-
ris fraudes & calūnias dilucidè patefactas esse.

At producit contrà Illyricus Augustini sen-
tentiam ex enchiridio, iniquentis: Post hanc
vitam incredibile non est nonnullos fideles per
ignem quendam purgatorium, quanto magis,
minúsve bona pereuntia dilexerunt, tanto tar-
dius, citiusque saluari. *An liceret, inquit, tanto
dòctori de aliquo articulo fidei sic loqui, vt si diceret:
Non est incredibile Iesum esse filium Dei, aut pro ho-
minibus passum. cum ille soleat de certis dogmatibus
summa asseueratione pronunciare, dicendo: Firmiter
crede, & nullatenus dubita?*

Hic hæreticus homo, hæreticorum more sen-
tentiam Venerabilis Augustini detruncat. Nam
exordium capitis, vnde obiectionis solutio col-
ligi potest, non ponit. Habet enim Augustinus:
Tale aliquid etiam post hanc vitam fieri incre-
dibile non est. quo sermone insinuatur, ad an-
tecedentem sermonem respiciendum esse. Dispu-
tauit igitur Augustinus in capite præcedente,
quonam modo accipiendus sit ille ignis, per que
eos qui super fundamentum Christum ædifica-
uerunt ligna, fœnum, stipulas; transiuros dicit
Paulus: & quauis operum detrimentum accipiât,
ipso tamen saluos futuros per ignem. Et tradit

*Obijcitur
sententia
Aug. ex
Enchirid-
io cap.
69.*

*Aug. lib.
de fide ad
Petrum.
Solutio.*

Eccl. 27

& amplectitur eam explanationem sententiæ alioqui difficillimæ & perplexissimæ, vt per ignem intelligatur tribulationis tentatio, secundum illud Ecclesiastici: Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis. Interpretatur igitur Apostoli sententiam de die domini in præfenti vita, probantis & purgantis iustos in præfenti vita per tribulationem præfentis vitæ. Qui, inquit, ea dilexit, quorum amissionem cruciatur, saluus fit per ignem, quia vrit eum rerum dolor, quas malè dilexerat, amissarum. Sed non subuertit fundamentum, quia eas res Deo non præposuit. Ignem itaque interpretatus est, vrentem dolorem rerum amissarum, quas plus æquo dilexerat. Et mox subiicit: Tale aliquid etiam post hanc vitam fieri, incredibile non est, nonnullos fideles per ignem quandam purgatorium, simile videlicet ei, quo purgantur homines in præfenti vita: dum vrit eos dolor rerum amissarum male dilectarum: quanto magis, minùsve bona pereuntia dilexerunt, tanto tardius, citiusq; saluari. Quem sensum in lib. 21. de ciuitate Dei clarissimè insinuauit, vbi disputans, quomodo ignis ille, per quem saluus fit is qui super fundamentum Christum superædificat lignum, foenum, stipulas, accipiendus sit: postquam exposuit ignem illum posse rectè accipi ignem tribulationis, & doloris vrentis, quia quod sine illicente amore nõ habuit homo, sine vrète dolore non perdet, quætionem mouet: An possit ignis ille accipi, de quo dominus dicit:

Itc

Aug. lib. 21. de ciuit. Dei cap. 26.

Ite maledicti in ignem æternum. Et cum ostendisset, ignem, per quem aliqui salui fiunt, non videri posse esse ignem illum æternum, à quo nemo saluabitur, tandem concludit: Post istius sanè corporis mortem, donec ad illum veniatur, qui post resurrectionem corporum futurus est dånationis & remunerationis vltimus dies, si hoc temporis interuallo spiritus defunctorum eiusmodi ignem, nempe qualem in hac vita iusti tribulationibus subiecti patiuntur, dicuntur perpeti: quem non sentiunt illi, qui non habuerunt tales mores & amores in huius corporis vita, vt eorum ligna, foenum, & stipula consumantur: alij verò sentiant, qui eiusmodi secum ædificia portauerunt, siue ibi tantum, siue hic & ibi: siue hic, vt non ibi secularia quamuis à damnatione venialia, concremâtem ignem transitorie tribulationis inueniant, non redarguo. quia forsità verum est. Vides lector, de eo tantum non pronunciare Augustinum, quisnam sit ille ignis, per quem quidam salui fiunt cum suorum operum detrimento. Et sanè quod ad hanc vitam pertinet, eum ignem rectè intelligi tentationem transitorie præfentis tribulationis testatur. Verùm an, quod ad futuram vitam pertinet, in qua quidam sunt propter illicitos quosdam & inordinatos rerum periturarum amores, purgatorijs pœnis subijciendi, ignis ille similiter sit accipiendus pro vrète dolore, non audet definire: tamen si id non improbabile esse sibi dicat. De igne igitur,

Matt. 25.
1. Cor. 3.

per quem in futura vita quidā salui fiunt (quem ipse vocat ignem purgatorium. seu emendatorium) qualisnā esset: num ignis ille, in quē mittuntur maledicti, num verò fornax tribulationis transitorij, & vrens dolor, eius dubia est inquisitio. nequaquam autem de pœnis purgatorijs, siue de igne purgatorio post hanc vitam.

August. in
Psalm. 6.
& 32.

Probationes ex scripturis depravatis cōtra purgatoriū.
Psalm. 6. & 114.
Abacuc 2.
Matt. 25.
Lucæ 19.
Marci 16.
Luc. 16.
Ioan. 3. & 5.

August. de verb. apostoli, sermon. 32.
In enchir. cap. 110. & 63.

Tandem ad scripturas se confert: *Innumera, inquam, scriptura dicta testantur, in altera vita non fieri remissionem peccatorum, ut est sapius repetitum. In morte quis est memor tui, aut confitebitur tibi item: Non mortui laudabūt te. itē: Iustus ex fide vivit. Item quod in parabolis dominus suos servos sine ulteriore purificatione aut punit, aut premijs afficit, non admittens fatuas virgines, quæ post introitum sponsi se præparauerant: in forma etiam iudicij tantum huius vitæ cursum commemorat. Et in summa pronunciat scriptura, tantum duo esse loca, de quibus inquit: Qui crediderit, salvabitur: qui non crediderit, damnabitur.*

Quod ad remissionem peccatorum pertinet post hanc vitam, iam superius audiimus doctentem Augustinum: quod ijs tantum defunctis impetratur per ecclesiæ orationes, & sacrificia, & eleemosynas remissio, qui in fide per dilectionem operante, Christi que sacramentis, de corpore exierunt: quiq; sic ante mortem vixerunt, ut possint viventium orationes illis prodesse. item: Non omnibus profunt, inquit Augustinus, propter differentiā vitæ, quam quisque gessit in corpore, rursus: Nonnulli fideles per ignem quandam purgatorium salvantur, non tamen

tamen tales, de quibus dictum est: Regnum Dei non possidebunt: nisi conuenienter pœnitentibus eadem crimina remittantur. Scripturæ igitur, quæ testantur post mortē non remitti peccata, de impijs & iniustis loquuntur, qui in affectu criminum illorum grauium, quæ à regno Dei excludunt, diem clausurunt extremum.

1. Cor. 6

Abacuc 2.

Quod attinet ad scripturam: Iustus ex fide vivit: sicut clarissimum est quod fides per dilectionem operans viuificat quidem hominem, sed non continuò expurgat eum ab omni corruptione peccati, aut ab omnibus peccatorum reatibus: ita nec spiritus defunctorum exutos corporibus cōtinuò expurgat à reatibus & fordibus in hac vita contractis, ut continuò inducat hominem in regnum cœleste.

Quod ad parabolas seruorum, qui statim sine ulteriore purificatione puniuntur, aut premijs afficiuntur, & formam iudicij, in qua tantū huius vitæ cursus commemoratur, attinet, tam parabolæ illæ, quàm forma iudicij extremi descripta, hoc docent, quid premij & remuneracionis paratū sit à domino seruis suis fidelibus & sedulis: non autem de eo agunt, an per fordium quarundam per infirmitatē carnis in vita mortali contractarū impedimentū, ad tēpus aliquod differri contingat premiorū retributionē. Et in forma describenda extremi iudicij non cōgruebat de purgatorijs pœnis aliquid scribi, quando post extremi iudicij tempus, ut ait Augustinus, purgatoriarū pœnarum locus amplius non erit:

Matt. 25.
Luce 19.

Aug. lib. 21. de ciuit. Dei

Sed impij in ignem æternum, vnde nunquam liberabuntur: pij autem in regnum cœleste mittendi sunt.

Postremò quòd scriptura duo tantū loca indicat salutis æternæ & damnationis, ea tatum loca designat, in quæ tandem tanquam in habitacula æterna sint recipiendi homines. Non autem dicit: In alterum illorum locorum spiritum mox vt corpore exutus est, transferri. docet enim quosdam per ignem, siue per pœnas purgatorias post hanc vitam purgari & emendari, & sic tandem ad felicem & beatam vitam perducere.

Adfert & patrum testimonia, vt probet in altera vita non fieri remissionem peccatorum. *Ambrosius*, inquit, ita scribit: *Denique festinabat etiã David de hoc loco peregrinationis exire, dicens: Aduena ego sum apud te in terra, & peregrinus, sicut omnes patres mei. Et ideo tanquam peregrinus ad illam sanctorum communem omnium patriam festinabat, petens pro huius commorationis inquinamento remitti sibi peccata, priusquam decederet de vita. Qui enim hic non acceperit remissionem peccatorum, illic non erit. Non erit autem, quia ad vitam æternam non poterit peruenire. quia vita æterna, remissio peccatorum est. Ideoq; dicit: Remitte mihi, vt refrigerer priusquam abeam, & amplius non ero.*

In hac sententia Ambrosij notanda sunt illa verba: Si hic non acceperit remissionem peccatorum, ad vitam æternam non poterit peruenire. Ex ijs enim verbis liquidò constat cum loqui

1. Cor. 3.

Ambr. de bono mortis, cap. 2. Psalm. 39.

qui de criminibus quæ excludunt à regno cœlorum, quorū si hic remissio nõ impetretur, nunquam ad vitã æternam post hanc vitã peruenitur, quia taliū peccatorū remissio non datur post hanc vitam. vt suprã satis ostensum est. Et Ambrosium sensisse, quod quorundam peccatorum remissio post hanc vitam impetrari possit, testantur ardentissimæ eius preces, atque pia etiam sacrificia pro defuncto Valentiniano Imperatore, & similiter Gratiano eius fratre: rursus pro defuncto fratre suo Satyro: item pro defuncto Imperatore Theodosio.

Augustinum quoque adducit scribentem in hunc modū: *Quod autem apud Lucã, Abraham diuini dicit, ad ea loca, in quibus torquentur impij, iustos etiam si velint, non posse transire: quid aliud significat, nisi post hanc vitam ita receptis in carcere, vt inde non exeant, donec reddant nouissimum quadrantem, propter incommutabilitatem diuinæ sententiæ, nullum auxilium misericordiæ posse præberi à iustis, etiam si velint præbere? Quod admonet scilicet, vt in hac vita homines subueniant quibus possint, ne postea etiam si optimè recepti fuerint, eis quos diligunt opitulari non valeant.*

At manifestissimum est in hac sententia Augustinum de impijs loqui, qui iam torquentur in carcere damnationis. qualis erat diues ille superbus & immisericors: his certè post vitã sine pœnitentia clausam, nullam esse spem salutis. Neque potest illis iustus quisquam suis precibus aut eleemosynis subuenire. Quem senlum verba Augustini mox subiecta, quæ versutus homo

Ambr. in orat. sine bri super obitu Valentiniani. Itẽ in orat. super obitu fratris sui. Item super obitu Theodosii Imper. Aug. lib. 2. quæst. eua. ge. quæst. 38.

Responsio. Luce 16.

Lucę 16.

In Aërii
hæresi.

August. in
ench. cap.
110.

abrupit, per &c. clarissimè indicant. Illud enim quod scriptum est : Vt & ipsi vos recipiant in æterna tabernacula: non de superbis & immisericordibus scriptum est, qualis iste diues fuisse demonstratur, quod recipi à sanctis in æterna tabernacula mereantur: sed de his, qui sibi amicos officiosissimos operibus misericordiae fecerint. Et cum hæreticâ sententiâ esse pronunciauerit, vt suprâ, cū de Aërio ageremus, satis ostendimus, dicere quod orationes & oblationes uiuentium non sint vtiles defunctis spiritibus, luce meridiana clarius est, sensisse Augustinū post hanc vitam fieri aliquam remissionem peccatorum, quod & disertis verbis scripsit in Enchiridio: Valent, inquit, orationes, sacrificia, & eleemosynæ, vt sit plena remissio, aut certè tolerabilior condemnatio, hoc est, punitio. Nam de ijs loquitur quibus profunt, quos cōstat non esse condemnatos ad æternam mortem. Considera quæso attentè Christiane frater, quo pacto abutantur isti homines pro libidine sua patrum scriptis, etiam contra propriam conscientiam, ad stabiliendas suas hæreses per sceleratissimas fraudes & seductiones imperitorum fidelium.

Postremò scripseram, Confessioni non satis conuenire cum apologia Augustana, cum qua se tamen per omnia consentire iactaret: quia Apologia hætenus saltem purgatorium agnosceret, quod nō prohiberet preces pro mortuis, quas dicit se scire veteres pro mortuis facere solitos: Confessio verò in totum reijciendum

pur-

purgatorium iudicaret. Hic fraudulentus vir iste cauillatur, *Confessionem Antwerpiensem nihil pronunciare quidem de simplicibus precibus pro mortuis, sed tamen eas non improbare*. Sed ò bone Illyrice, non de tuis simplicibus orationibus, quas tu comminisceris: sed de precibus, de quibus loquuntur veteres, nunc agitur. quas dicit Confessio Augustana se non improbare: tu autem, tuaq; Cōfessio eas reuera damnat, dum in vniuersum purgatorium reijcitis. Porro qualesnam fuerunt veterum pro mortuis preces, ex Dionysio Areopagita, ex Epiphanio, ex Augustino liquidissimè demonstrauius, atque ostendimus non fuisse preces gratiarum actionis, quas tu pro tua autoritate simplices preces ad fallendos imperitos (quasi cum veteribus consentires de precibus pro mortuis) appellas: Sed fuisse preces, quibus implorabatur diuina clementia, vt misericorditer peccata ac reatus peccatorum, quibus defuncti spiritus obnoxius esset, condonaret & remitteret. Verissimè igitur scriptum est, vestram nouitiam Confessionem cum Augustana Confessione & Apologia non per omnia consentire, quod gloriose iactatis: cum gloriosum magis vobis esset & salutare, ab ea quàm maximè dissentire, & cum matre vestra Ecclesia Catholica in omnibus consentire.

DE

DE MAGISTRATV.

CAPVT XXI.



N hoc capite aduersarius eādem ferē cantilenam canit, quam habebat Confessio, neque ad nostram Cōfutationem respondet. Reprehendit acriter me, quod tanquam parasitus Pontificius tuear regnum & tyrānidem Papa, & Episcoporum, & aliorum spiritualium super politicos magistratus.

Respondeo maledico & mendaci homini, quod & in Confessione, scriptoribus Confessionis responderam: quod postea quā impertorum, regum, & principum religiosorum, religiosa munificentia pariter & reuerentia erga sacrum ordinem ecclesiasticorum, sacer pontificum, episcoporum, sacerdotum, ac cleri ordo est priuilegijs donatus & decoratus, quibus ordo ecclesiasticus politico magistratui non subijceretur, sed ei soli qui à Christo est princeps eius ordinis constitutus, non agat contra Dei ordinationem ordo ecclesiasticus, si magistratus politici legibus non subijciatur, non magis quā seruus, postquā manumissus est, & seruitutis pristinæ legibus exemptus, seruilibus legibus non amplius obediens. De ea verò munificentia, quā sit & naturali æquitati, & scriptæ etiam per Moſen legi consentanea, satis prolixè in Confutatione dixi: quamque per religiosissimos Cæsares, reges, & principes approbatam, lauda-

laudatam & confirmatam copiose ostendi.

At obiicit aduersarius, quod & Confessio obiecerat, esse Dei ordinationem, vt omnis anima sit subiecta alicui politico magistratui, nisi ipsemet sit summus monarcha: sicut etiam vicissim omnem animam oportet obedire pastori suo ex verbo Dei eam docenti. Quare etiam diuus Petrus præcipit, inquit, ipsis volentibus dominari non tantum in clero, sed etiam in toto mundo, vt sint subiecti regi, ducibus, eorumq; missis: Non licet autem cuiquam mandatum Dei inuertere aut infringere.

Obiectio
Illyrici.
Rom. 13.

1. Petri 2.

Respondimus in Confutatione, & iterum respondemus, Paulum non hoc agere in epistola ad Romanos, vt doceat, quis cui debeat esse subiectus: sed hoc tantū docere, quod vnaqueque anima, hoc est, vnusquisque homo, potestati præcellenti, cui subditus est, debeat obobedientiam præstare. ita enim ordinatum & institutum esse. Et proinde hominē iam in Christum credentem, & fidelem ac Christianum factum, non debere sibi persuadere, quod propter fidem susceptam sit exemptus ab obedientia præstanda magistratui politico, cui ante fidem legitime subiectus erat. Quod & in alijs suis epistolis tam diligenter inculcat, nè prætextu religionis Christianæ, aut seruus fidelis domino ethnico: aut cuius fidelis magistratui ethnico obedientiam & debitum officium deneget. Sed pariter omnes tam fideles quā ethnici præcellenti & præposito sibi magistratui pareant ex animo. Atque hoc quoque est, quod Petrus sollicitè admonet creden-

credentes, vt subiecti sint omni humanæ creaturæ, hoc est, vt Græca scholia habent, omni principatui & potestati, propter dominum, hoc est, propter domini ordinationē, siue regi quasi præcellenti, siue ducibus, tanquā ab eo missis ad vindictā malefactorū, laudem verò bonorum. Quod si verò quispiam legitima ex causā ab eo magistratu, cuius antea subiectus erat, transferatur ad aliū magistratū, manifestissimū est, eum iam citra violationē diuinę ordinationis, prioris magistratus potestati subiectū nō esse. Sed de ea re in Confutatione satis copiosè disputauimus.

Quod verò stomachatur homo, ordini ecclesiastico coniuratus hostis, non licuisse imperatoribus & principibus Christianis, suorum regnorum iura & dignitates imminuere, & alijs cedere, in Confutatione perspicuè & solidè refutatū est, tum autoritate religiosissimorū, & summorū principum, tum etiam cōprobatione sacrorū Conciliorū & Canonū.

Postea grauitè reges ac principes reprehendit, qui donauerūt ecclesię terras & prouincias, quibus politicus quoq; gladius adiunctus fuerit.

Non licuit, inquit, Casaribus aut regibus suum statum, functionēq; dilapidando; bonā ac iurā regni destruere, & episcoporum Christi officia, politicis negotijs occupare ac perturbare, denique politiciū ministerium cum ministerio ecclesiastico confundere & permiscere. Et ad me conuersus, exclamat: Heus tu bone vir, qui in capite de Cœlibatu scripseras: Quam non bene consentiat coniugalibus vita cū sacerdotio, id ex apostolo intelligi potest, dicente: Nemo militans Deo, implicat se secularibus negotijs:

Canō Militanus
19. & A-
gathensis
cōcilii 7.

De digni-
tatis
& opibus
ecclesiæ
Regis.

gotijs: an non centuplo magis se implicat secularibus negotijs episcopus, prælatus aut Papa, administrans seculares dignitates ac functiones? Hoc tu ipsum cur non iam quoque in hac defensione regni politici episcoporum super ciuilem magistratum profers ac expendis?

Respondeo Illyrice, me in familiari scripto & populari, quod perniciosæ Confessioni infirmis & imperitis Christi ouiculis à pseudopphetis vestris scriptæ opponebatur, nō debuisse tam sublimem & grauem quæstionem: Num dignitates, & opes seculares bene consistāt cum functione ecclesiastica: tractare. Quare neque patronum me earū, tanquam episcoporum parasitum, vt tu ore maledico ludis, ostendere potes, neque etiam improbatorē. Verum id vnū nunc liberè confiteri cogor: opes & dignitates olim ecclesiæ donatas, certe in hac calamitate religionis non solū vtilis ecclesiæ, verum etiā necessarias videri, quando corruptelæ doctrinarū vestrarū per fraudes, & seductricem blandiloquentiā vestram passim secularibus potestatibus & magistratibus, cū summo omnium piorum dolore instillantur & persuadētur: aduersus quorū violentiā, à vobis excitatam, fideles & potentes ecclesiastici se pro religione opponere cernūt.

Quod quoque calumniatur, non esse verum, quod plane libero, integroq; iudicio potentes ac monarchæ istas opes & dignitates Papis & episcopis largiti sint: sed partim circumuenti, dementatiq; multiplici superstitione, partim etiam Papatum variis fraudibus, ac denique violentis bellis: atque adeo Papis

non tam tyrannicè quàm furenter sibi rapuisse ius ponendi ac deponendi reges & Cæsares : id ex certissimis & probatissimis historioagraphis refellere liceret , si huius scripti ratio permitteret , & à multis doctissimis Catholicis copiose factū esse testantur eorum scripta.

De officio Magistratus , quod ad doctrinam religionis pertinet, satis copiose diximus in prologo. Aduersarius verò hoc loco illud scripture dictum, quod à nobis & illic & hic quoq; productū est, exagitat : Labia sacerdotis custodient scientiam, & ex ore eius requirent legē. Respondeo, inquit, verum esse, mandatum esse sacerdotibus vt legem Dei sincere discant, & doceant : sed tamen non propterea alios Christianos , & presertim magistratus esse pecudes, vt nec sciant, nec discant ex sacris literis, quid verum aut falsum sit , nisi quatenus sacrificuli ei innuant (Sed hanc odiosam calumniam in prologo satis confutauimus) Sed legatur, inquit, etiam ibidem quod sequitur: Et vos declinastis à via, & fecistis multos impingere in lege. Corruptistis pactum Leui, dicit dominus exercituum : Quare & ego dedi vos contemptos & abiectos coram omni populo.

Dilutio. Respondeo , Nos non de vno aliquo sacerdote aut pastore agimus, quando dicimus: Labia sacerdotis custodire scientiam, & ex ore eius legem requirendam : sed de ordine & ministerio sacerdotali . Huic autem ordini dicimus in nouo testamento promissam esse perpetuam assistentiam & gubernationē spiritus sancti vsque ad consummationem seculi , vt in ordine illo per

per continuam episcoporum, sacerdotū & pontificum successionem , perpetuo ad Christi vsq; aduentum sit permanens veritas, iuxta promissionem Christi: Ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi.

Postremo cōtra id quod scripseram in Confutatione: Sicut non est politici magistratus, ordinare & instituire ecclesiæ ministros : ita nec eius esse, ministros inutiles & malos , siue episcopos, siue presbyteros destituere: sed vtrumq; ad ecclesiasticum magistratum pertinere, obijcit exempla probatissimorum regum Iudaicorum, Ioas, Iosaphat, Ioziæ & Ezechia.

Respondeo Illyrice. Quod pij & religiosi reges Iudaici, Ioas, Iosaphat, Ezechias & Iosias, in deaustandis altaribus Baal consecratis, & abijciendis sacerdotibus Baaliticis, ac demoliendis lucis & excelsis, in quibus sacrificabant ipsi Baal, fecerunt: sed non sine Leuitarum & Pontificis consilio & consensu. Sicut de Ioab scribitur, quod omnia gerebat ex pontificis Ioadae gubernatione & magisterio . Quod vt faceret, seuerè per Mosen Dominus præceperat, id & politico magistratui concedimus, vt pseudopphetam manifestum, tanquam lupum mox arceat ab ouibus Christi, vtpote notoriū Lutheranum, aut Calvinistam: de cuius hæretica doctrina, nulla est à sacerdotibus iam requirenda examinatio, dijudicatio & exploratio, quippe quæ vniuersi Catholici orbis iudicio & sententia condemnata, anathematizata, & explosa iā est.

Ccc DE

Matth. 28.

4. Reg. 12.
18. 23.
2. Paralip.
17.

Deut. ca.
12. & 13.

DE CAEREMONIIS.

CAPVT XXII.



N capite de Cæremonijs tres Cõfessionis errores nota-
taueram.

Primũ, Cæremonias non posse institui, nisi secundum verbum Dei, scilicet expressum.

Secundum, Eas non posse institui vel seruari, nisi vt seruiant ordini, decoro, & imprimis ædificationi piorum, & gloriæ Dei: non autem cum opinione cultus Dei.

Tertium, Non posse eas aut institui aut seruari cum opinione coactionis aut obligationis sub peccati mortalis, damnationisq̃ue pœna.

Quod ad primum errorem attinet, dicit aduersarius, *me malitiosè hanc vocem, expressum verbum, addidisse, vt plausibilis Cõfessionem calumniari possem.*

Respondeo me absq; vllò dolo, optima fide eam vocem addidisse, eò quod mordicus vbiq; & semper inculcatum illud falsissimum axioma: Nihil recipiendum, vel admittendum esse sine verbo Dei scripto, & in scripturis expresso. Quam sententiam si iam damnent, libens & ego tollam vocem illam, expressum verbum. Porrò errorem hunc confutaueram apertissimis testimonijs Dionysij Areopagitæ, Tertulliani, Cypria-

Cypriani, Origenis, Ambrosij & Augustini, Basilij, Chrysolostomi: in quibus clarissimè approbant ritus illos, & cæremonias, quæ in celebratione sacramenti baptismatis ab ipso iam exordio ecclesiæ religiosè obseruatæ sunt. Quales sunt, exorcismus, & exufflatio, & similes. de quibus verbum Dei nihil prorsus, neque expresse, & disertè, neque implicite significat. De qualibus obseruationibus libera voce scribit Augustinus: Si quid, inquit, per totum orbem frequenter ecclesia, de hoc quin ita faciendum sit disputare, insolentissimæ insanis est. & rursus: Illa quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obseruantur, datur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel plenarijs Concilijs, quorum est in ecclesia celeberrima authoritas, commendata atque statuta retineri.

Exclamat hîc vir iste bonus: *Sed quæ tandem ista audacia est, quod iste pronunciat aliquid per orbem terrarum semper vsitatum fuisse, quod non sit verbo Dei expressum ac ordinatum? Num semper habuit fide dignissimos homines, qui sibi ab Oriente & occidente, à septentrione ac meridie, & denique ab Antipodibus, omnes ritus ecclesiarum diligentissimè perscripserint?*

Atqui Illyrice, dum aduersus me tam vehementer exclamas, non me petis, sed Augustinum: cuius sententia iam recitata, & in Confutatione quoque transcripta, id quod reprehendis, dilucidè testatur. Quod si hoc cauillaris, in

Aug. epist. 119. ad Ianuarium.

Vanissima exclamatione Illyrici.

Cauillatio.

Dilutio.

ea sententia non exprimi aliqua, quæ per totum orbem terrarum sine expresso Dei verbo obseruantur: Audi eiusdem validissimam & clarissimam sententiam: Illud etiam, quod circa baptizandos in vniuerso mundo sancta ecclesia vniformiter agit, non otioso contemplamur intuitu, cum siue paruuli, siue iuuenes ad regenerationis veniunt sacramentum, non prius fontem vitæ adeunt, quàm exorcismis & exufflationibus clericorum, spiritus ab eis immundus abigatur, vt tunc verè appareat, quando princeps huius mundi mittatur foras: & quo modo prius alligetur fortis, & deinde vasa eius diripiuntur, in possessionem translata victoris, qui captiuam duxit captiuitatem, & dedit dona hominibus. Quam sententiam Celestinus quoque Pontifex in sua retulit decreta. Et sicut in Confutatione ostendimus, tam celebres, tantique ponderis olim fuerunt apud grauissimos scriptores, vt ad confutandam Pelagij hæresin, isti ritus & cæremoniæ sint adhibitæ & productæ.

Cauillatur & argutatur hoc loco Illyricus de ritibus quibusdam etiam Apostolicis, vt est abstinere à sanguine & suffocato, & alijs olim obseruatis à grauib; scriptoribus: vt est, Paruulis mox à baptismo datam esse eucharistiam. Cuius obseruationis authores recenset Dionysium Areopagitam, Augustinum quoque & Innocentium.

Verum neque Augustinum, neque Innocentium

August. de ecclesia. dogmat. cap. 31.

Celestinus
Vide August. lib. 1. de peccat. merit. capit. 19.
De gratia Christi cap. 40.

Dionys. in hierarch. eccles. cap. 2. parte 2.

tium ita sensisse, facillimum foret demonstrare, si ad institutum nostrum pertineret. Hos itaque ritus, & similes quosdam cauillatur olim quidem fuisse obseruatos, iam verò exoleuisse. Quasi verò hoc in quæstionem & controuersiam proponeretur, vtrum omnes ritus semel obseruati perpetuò obseruari debeant. Nobis impræsentiarum satis est, primum errorem confutasse, & falsitatis conuicisse: Nullos ritus posse institui in ecclesia sine verbo expresso Dei, vel ordinatione. Constat enim apertissime de ritibus iam dictis, ac plerisque alijs: vt est aquæ baptismalis consecratio, sacra vnctio baptizandi: nihil in scripto verbo expressum esse.

Secunda Confessionis sententia est, quod cæremonias non liceat instituire cum opinione cultus.

Hic adfinxit Illyricus cæremonias verbo Dei carentes, vt possit calumniari plausibilis Confutationem, in qua pro exemplo proposui hymnos ac psalmodias & ieiunia: Quæ probat, inquit, in scripturis probata & laudata esse, quod sint cultus. Cum igitur vult refutare Confessionis sententiam, seipsum euertit.

Quo inanem calumniam perspiciat lector, ita habet Confutatio: Cæremonias, & ritus, siue traditiones non posse institui cum opinione cultus, hoc est, tanquam per eas colatur Deus: falsum esse facile cognoscit, qui considerat ad cultum Dei pertinere omne opus bonum, quod fit ob gloriam Dei. Quales ritus & traditiones

Ccc iij sunt,

De his vide de Dionysio sum loco supra notato.

funt, psalmi, hymni, statæ preces, ieiunia, &c. quæ esse bona opera, & cultus Deo acceptos, ipsa diuina scriptura multis locis testatur.

Hoc itaque dicit Confutatio: Opera bona, & ritus, & traditiones, quæ sunt Deo acceptæ testimonio scripturarum diuinarum, recte institui, præcipi, ac ordinari, idque cum intentione cultus: etiam si in scripturis mandatæ, præceptæ, & ordinatæ non sint. Nam hoc habet bellum istorum axioma: Nihil posse institui aut recipi, sine Dei mandato ac præcepto.

Sed reuera ipsa illa secunda sententia integre descripta seipsam evertit. Dicit enim, cæremonias non posse institui, vel seruari, nisi vt seruiant ordini, decoro, & imprimis ædificationi piorum, & gloriæ Dei: non autem cum opinione cultus Dei. Nam quæ fiunt, & obseruantur, & instituuntur ad ædificationem piorum, & ad gloriam Dei: quis nisi vecors dixerit non pertinere ad cultum Dei? Qua enim re colimus Deum, si non ædificando per charitatem proximum, & celebrando gloriam Dei?

Tertia Confessionis sententia est: Non licere instituere ritus aut cæremonias, obligantes ad peccatum mortale. Quæ sententia tum in confutatione, tum in hoc scripto, supra in capite de Ecclesia copiosè tractata, discussa est & confutata: & quæ hic Illyricus objicit, ibi sunt excussa.

DE

DE ANTICHRISTO.

CAPVT XXIII.



IN hoc capite cum conspicerem indignissimis & scurrilibus conuitiis & opprobriis lacerari summum ecclesiæ episcopum, Christi vicarium, vt infirmum & ineredum lectorem aduersus furentis aduersarij contumelias & blasphemias munirem, ob oculos posui lectori sententias & testimonia martyris diui Cypriani, & eruditissimi atque sanctissimi doctoris diui Hieronymi, optima fide descripta, vt ex eis intelligeret Christianus Lector, quid de Romani Pontificis dignitate & autoritate sanctissimi illi viri sensissent, & eorum testimoniis communiretur aduersus furores perditissimorum & sceleratissimorum hominum. Et sicut vbique istius aduersarij malitiosum studium & fraudes (si quis modò attentè obseruet) cernuntur: ita etiam hic admodum luculenter Scribit, *me Antichristum Romanum alienis plumis ornasse, Cypriani ac Hieronymi dictis abutendo in cõmendationem autoritatis, dignitatis, & præeminentiæ Papæ Romani.* Itaque vires suas exerit studiosè, vt ea testimonia patrum lectori syncerissimè & optima fide proposita deprauet, inuertat, imo (si diis placet) ad suum errorem detorqueat.

Quoniam igitur in citanda Cypriani sententiâ nefariæ imposturæ me, ipse verissimus impostor,

Ccc iij &

Deteguntur Illyrici malitiosi fraudes.

& æternę simplicium fidelium salutis hostis accufat, quod ea pro augenda dignitate & præminetia Romani Papæ citauerim, quæ à Cypriano pro defendendo suo iure contra Papam, & appellantes ad eum, dicuntur: quodque epistolam tertiam primi libri sic adduxerim, tanquam si ipse Cyprianus in ea Papæ Romani auctoritatem depredicaret, & eius aduersarios infestaretur: cum potius Cyprianus ibi ius suū, dignitatemque tueatur contra Papam, & suos aduersarios, qui eum apud Cornelium Papam, & totam ecclesiam Romanam accusare conati fuerant: non grauabor testimonia ex epistola Cypriani adducta repetere, & ea lectori optima fide ob oculos ponere, vt nefariam imposturam aduersarij clarissimè cernat.

Testimonia Cypriani ex epist. 3. libri 1. excutuntur & defenduntur.

Testimonium igitur, quod ex epistola 3. libri primi citaueram, ita habet: Neque enim aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata sunt schismata, quàm inde, quod sacerdoti Dei non obtemperatur: nec vnus in ecclesia ad tempus sacerdos, aut ad tempus iudex vice Christi cogitatur: Cui si secundum magisteria diuina obtèperaret fraternitas vniuersa, nemo aduersus sacerdotum collegium post coepiscoporum consensum, iudicem se iam non episcopi, sed Dei faceret. Nemo dissidio vnitatis, Christi ecclesiam scinderet: nemo sibi placens & tumens, seorsim foris nouam hæresin conderet. An non his verbis Christiane lector magna auctoritas & dignitas sacerdotis cuiuspiã propalã describitur, vt pote qui

qui sit vice Christi iudex hic constitutus: cui omnis fraternitas, & sacerdotum etiam collegium obtemperare debeat. Impudentissimus fuerit Illyricus, si id negare audeat. Ac quenam intelligat esse eum sacerdotem, Christi vice iudicem constitutum Cyprianus, disertissimè postea insinuat: Nauigare, inquit, audent hæretici, & ad Petri cathedrã atque ecclesiam principalem, vnde vnitas sacerdotalis exorta est, à schismaticis & prophanis literas ferre, nec cogitare eos esse Romanos, quorum fides apostolo prædicante laudata est, ad quos perfidia non possit habere accessum. Et rursus in eadem epistola: Petrus, super quem (scilicet tanquam iudicem vice Christi constitutum) ædificanda ab eodem domino fuerat ecclesia, vnus pro omnibus loquens, & ecclesiæ voce respondens, ait: Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes. Atq; huius epistolæ testimonio, adiunxeram & aliud eiusdem authoris testimonium luculentissimum. loquitur dominus ad Petrum: Ego tibi dico, quia tu es Petrus, & super istam petram ædificabo ecclesiam meam. & c. & post pauca: Super vnum ædificat ecclesiam, & illi pascendas oues mandat. Et quamuis Apostolis omnibus post resurrectionem parem potestatem tribuat, & dicat: Sicut misit me viuens pater, & ego mitto vos: tamen vt vnitatem manifestaret, vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem sua auctoritate disposuit. & post pauca: Sed exordium ab vnitatem proficiscitur, vt ecclesia

Ioan. 6.

Cypr. lib. de vnitatem Ecclesiæ. Matth. 16. Ioan. 20.

Epist. ad
Iubaianū.

Cypr. ad
Quirintū.

Epist. 11.
lib. 3.

Epist. 4.
lib. 1. ad
Antoniana-
num.

Christi vna monstratur. Et si hæc tibi non sufficiunt Illyrice, audi eundem: Ecclesia vna est, & super vnū, qui clauēs eius vice accepit, voce domini fundata est. rursus: Petrum primū dominus elegit, super quē ædificauit ecclesiam suā. Rursus ad Cornelii scribens de nonnullis ad ecclesiam conuersis, eorū propriam confessionē transmittit ad eum, in qua & hæc cōtinentur: Nec ignoramus vnum Deum esse, & vnum Christū dominum, quem confessi sumus, vnum spiritum sanctum, vnum episcopum in Catholica esse debere, &c. Et quod Cyprianus intellexerit Cornelium Romanum pontificem in Petri locum surrogatum, ipse palam testatur: Cūm Fabiani, inquiens, locus vacaret, factus est Cornelius episcopus de Dei & Christi eius iudicio, &c.

Cernis Christiane frater testimonia Cypriani à me producta, partim ex libro 1. epistola tertia, partim ex libro de vnitae ecclesiae, validissime & euidentissime prædicare auctoritatem, dignitatem, & præeminentiam Romani pontificis, secundum Christi voluntatē & ordinationem: quem ipse rabida & venenata lingua tanquam Antichristum insectatur & lacerat.

Cernis quoque me non nefaria impostura vsum ad fallendum simplicium, vt scribit, animos: sed eū potius dissimulata apertissima Cypriani sententia, statū disputationis nostræ aliò transferre. Non enim de eo quæstio à nobis proposita fuit, de quibusnam hæreticis ageret Cyprianus, aut aduersus quos Cornelij papæ Roma-

Romani auctoritatem tueretur: sed ad comprobandam lectori synceram & catholicam de Romano pontifice, quem tam impiè insectarentur hæretici, sententiam: testimoniū sanctissimi martyris ob oculos posui, in quo luculentissime dignitatem & auctoritatem eius astruit.

At obstrepit Illyricus: *In citato testimonio Cyprianus suum ius, dignitatemq; tuetur contra Papam Cornelium, & suos aduersarios, qui eum apud Cornelium & totam ecclesiam Romanam accusare conati fuerant, & suis minis ac comminationibus Cornelium quoque nonnihil commouerant, vt clarè in epistola habetur. Constat enim ex epistola, Fortunatum quendam & Felicissimum hæreticos, & ab ecclesia per Cyprianum & Coepiscopos Africanos eiectos, turbantes ecclesiam Carthaginensem contra Cyprianum, Romam accusatores ad Cornelium misisse, tanquam appellantes à sententia Cypriani & coepiscoporum. Tum verò Cyprianum sibi, alijsq; coepiscopis parem cum Romano episcopo auctoritatem vendicauisse, nec illi subesse voluisse, imò Cornelium admittentem appellationes ex Africa, obiurgasse.*

Cum statutum sit, inquit Cyprianus, ab omnibus nobis, & æquum sit pariter, ac iustum, vt vnusquisque causa illic audiatur, vbi est crimen admissum, & singulis pastoribus portio gregis sit adscripta, quam regat vnusquisque ac gubernet, rationem sui actus domino reddaturus: oportet ritque eos quibus præsumus, non circumcur sare, nec episcoporum concordiam coherentem, sua subdola & fallaci temeritate collidere: sed agere illic causam suam, vbi & accusatores habere, & testes

Cauillat.
Illyrici.

Verba Cy-
priani ad
Corneliū

testes sui criminis possint: nisi paucis desperatis & perditis minor videatur esse auctoritas episcoporum in Africana constitutorum, qui iam de illis iudicauerunt, & eorum conscientiam, multis delictorum laqueis vinculam, iudicij sui nuper gravitate damnarunt. Iam causa eorum cognita est. iam de eis dicta sententia est. Nec censura congruit sacerdotum, mobilis atque inconstantis animi leuitate reprehendi, cum Dominus dicat: Sit sermo vester, Est, est, Non, non, &c.

Dilutio.

Respondemus, id de nobis falso dicere Illyricum, quod citaueramus testimonium Cypriani, tanquam in eo Cyprianus hostes & aduersarios Cornelij insectaretur, & contra eos Cornelij auctoritatem tueretur. Tantum enim ex testimonio Cypriani demonstrare lectori volumus, quanto aliter sensissent sanctissimi patres de auctoritate Romani episcopi, quam sentirent & scriberent scelerati hæretici. Quod autem attinet ad prolixam Cypriani sententiam, quam hic citat Illyricus contra auctoritatem Romani Papæ, & contra appellationes ad eadem Romanam ex alijs prouincijs: animaduertere debet lector, quod cum Faustinus & Felicissimus cum paucis aliquot perditissimis, ab Africani episcopis propter grauissima scelera de ecclesia pulsi essent, & sine legitima satisfactione se recipi non posse viderent, falsas literas tum ad Cornelium, tum ad clerum Romanum plurimas transmiserint, de seueritate Cypriani & Africani episcoporum conuergentes, & mentientes sibi adiunctos esse viginti

ginti quinque episcopos, qui seueritatem eorum non sustinerent: & nisi Romanus pōtifex Cornelius prouideret, graue malum in ecclesijs Africanis exoriturum: Sanctum Cyprianum diligenter Cornelium per literas de mendacijs eorum commonefecisse. Tantum enim quinque esse perditissimos homines episcopos, qui illis consentirent, cum iactarent esse viginti quinque. Itaque Cyprianus libertate Christiana admonuit Cornelium, vt ne temerè sibi imponi pateretur à perditissimis, flagitiosissimis & mendacissimis hominibus, & ne Africanorum episcoporum bene explorata iudicia, contra ius & æquitatem rescinderet. Quibus sanè literis ad Cornelium scriptis adeo non derogat auctoritati Romani pontificis in Africanas prouincias, vt eam magis statuatur ac confirmet. Nisi enim agnosceret Cyprianus legitimam & ordinariam auctoritatem Romani pontificis in alias prouincias, haudquaquam debebat sollicitis literis Cornelium monuisse, ne sibi imponi pateretur ab hæreticis mendacibus, ne temerè rescinderet, quod ab Africanis episcopis actum erat: sed tanquam ea res, eiusque rei cognitio nihil ad Cornelium pertinuisset, omnino omnem admonitionem eius neglexisset. Quin si res attentius consideretur, ipsa perditorum hominum appellatio à sententia Africano- rum episcoporum ad Cornelium Papam, palam testatur ea ætate grauatos sententijs episcoporum suæ prouinciæ, solitos fuisse per appella-

pellationem ad Romanū episcopum confugere, tanquā eum, qui posset sententias episcoporum corrigere & emendare.

Itaque sententia hæc Cypriani, quam exultans tam prolixè citat aduersarius, euertit potius eius impiam sententiam, quàm confirmat. Et quid Cyprianus de ecclesiæ Romanæ auctoritate & dignitate senserit, palam testatur, dum ita scribit ad Cornelium: Nos singulis nauigātibus, ne cum scandalo vllō nauigarent, rationem reddidisse nos scimus, & hortatos esse, vt ecclesię Catholicę matricem ac radicem agnoscerent, ac tenerent. item dum Cornelij electionem & virtutem describit.

Epist. 8.
lib. 4.

Epist. 2.
lib. 4.

Cauilla
tio.
Cyp. de
vnitate ec-
clesiæ.

Quod autem argutatur aduersarius, Cyprianum in epistola de clericorū simplicitate dicere: *Vnumquemque in solidum suum episcopatum possidere*: non hoc significat, quod vnusquisque episcopus, sit supremus episcopus, nec aliquem superiorem agnoscere debeat: sed quod quisque episcopus omnia officia episcopi in suo grege peragere possit. Nam in eodem loco palam & disertè dicit Cyprianus, quod à Christo vnus sit omnibus reliquis præpositus, vt vnitas & concordia in episcoporum vniuersorum collegio conseruetur: quodque Christus dispositione sua instituerit, vt vnitas sacerdotum & ecclesiæ ab vno originem duceret.

Cauilla
tio. Postremò nugatur: *Sola*, inquit, epistolarū Cypriani ad Romanos episcopos scriptarū inscriptio potest triplicem coronam de capite eorum decutere. *Simpliciter enim*

enim habet Cyprianus Cornelio fratri aut Stephano fratri salutem: nusquam ei prorsus vllius superioritatis aut præeminentia titulum adscribit.

Respondeo, omnes episcopos, fratres quidem esse & collegas: regiminè tamen & gubernatione non esse omnes pares, ipse Cyprianus in libro de vnitate ecclesiæ palā professus est, dum dixit: Christū vnum præfecisse cæteris, vt vnitas monstraretur, & conseruaretur. Et, vt paulo superius dictum est, Romanā ecclesiam, ecclesiæ Catholicæ matricem & radicem appellat. Et sanè primis illis ecclesiæ syncerissimis exordijs, charitatis appellationes & nomenclaturæ magis quàm superioritatis aut præeminentia congruebant. Patres quoque Concilij Carthaginensis, & similiter Mileuitani, Innocentium vocant Papam beatissimū, papam sanctissimum. epistola 90. & 92.

Lib. de vnitate ecclesiæ.

Iam Christiane lector iudicare potes, egone impostura aliqua nefaria vsus sim, qui optima fidè Cypriani testimonia validissima & euidētissima de auctoritate & dignitate Romani episcopi produxi: An verò impostor Illyricus, qui perspicua & solida testimonia veritatis, impijs fraudibus ad falsitatem persuadendam imperitis & pusillis detorquet.

Citaueram quoque Hieronymi testimonium clarissimū & validissimū ad muniendū animum Christiani lectoris aduersus impostorū fraudes. quod quia admodū est memorabile, non fuerit inutile reperere. Ego cum successore, inquit, pi-

Hiero. ad Damasum in epist. quoniam vetusto.

sca-

scatoris, & discipulo crucis loquor. Ego nul-
lum primum, nisi Christum, sequens, beatitu-
dini tuæ, id est, cathedræ Petri communione
confocior: super illam petram ædificatam ec-
clesiam scio. Quicumque extra hanc domum
agnū comederit, prophanus est. Si quis in arca
Noë non fuerit, peribit regnante diluuiο. Non
noui Vitalem, Meletium respuo. Ignoro Pau-
linum. Quicumque tecum non colligit, spargit.
hoc est, qui Christi non est, Antichristi est.

Huius sententiæ clarissimam lucem cum non
videret aduersarius, quam cauillatione & ne-
bulis peruertere & obtenebrare posset, aliam
sententiam Hieronymi subobscuram opponit,
quam ad clarissimam lucem propositæ senten-
tiæ exigere, & secundum eam rectè interpreta-
ri debebat: nec facere tantū doctorem tanquam
leuem ac inconstantem, à seipso dissidentem, ac
pugnantia scribentem.

*Hieronymus, inquit, clarè episcoporum authorita-
tē exæquat: nec altera Romanæ vr̄bis ecclesia inquitens,
altera totius orbis existimāda est. Et Gallia, & Britan-
nia, & Aþbrica & Persis, & Oriens & India, & om-
nes Barbara nationes vnum Christum adorant, vnam
observant regulam veritatis. Si authoritas queritur,
orbis maior est vr̄be. Vbicunque fuerit episcopus, siue
Roma, siue Eugubij, siue Constantinopoli, siue Rhegij,
siue Alexandria, siue Tanais, eiusdem meriti, eiusdem
& sacerdotij est. Potentia divitiarum, & paupertatis
humilitas, vel sublimiorem vel inferiorem facit. Cæ-
terum omnes Apostolorum successores sunt.*

Respon-

Respondeo, Hieronymus disertissimè pro-
nunciat, ne Apostolos quidem ipsos inter se,
hedum apostolorum successores paris fuisse au-
thoritatis. Propterea, inquit, inter duodecim
vnus eligitur, vt capite cōstituto, schismatis tol-
larur occasio. Sed cur non Ioannes eligitur vir-
go? ætati delatum est, quia Petrus senior est. &
rursus: Ecclesiæ, inquit, salus in summi sacerdo-
tis dignitate pendet. Cui si non exors quēdā, &
ab omnibus eminēs detur potestas, tot in eccle-
sijs efficientur schismata, quot sunt sacerdotes.

Ex his perspicuis sententijs constat falsissimū
esse, quod Hieronymus exæquat episcoporum
authoritatem. Et in testimonio ex epistola ad
Euagrium producto, clarissimum est, Hierony-
mum loqui non de authoritate gubernationis
siue iurisdictionis, sed de dignitate & gradu sa-
cerdotij siue ordinis. Quantū igitur ad potestatē
sacerdotij & ordinis, pares sunt omnes episcopi.
Omnibus enim apostolis (vt inquit Cyprianus)
pariter dictum est: Sicut misit me pater, & ego
mitto vos. accipite spiritum sanctum. Si cui re-
miseritis peccata, remissa sunt: si cui tenueritis,
tenebūtur. & tamē inter ipsos quoq; apostolos
Petrus eligitur, & reliquis præficitur. Et cōstat in
ea epistola agi de cōprimendo diacono, qui cum
esset ordine & sacerdotio inferior presbytero;
tumore tamē quodā se præferebat presbytero.

Stant igitur solida & immota testimonia
tantorum virorum, Christiane lector, quibus vt
animum tuum aduersus nefarias imposturas Il-

D d d Ilyrici

Dilubio.

*Hieron.,
in dialog.
contra Lu-
ciferianos
Idem lib.
1. contra
Pelag.*

*Cypr. de
vnitate
ecclesiæ.*

*Cauilla-
tio.
In epist.
ad Eua-
grium.*

lyrici communias, & in communionem cathedrę Petri immotus perseveres, per Christum & salutem tuam te obtestor.

Prima probatio Cōfessionis.

Prima probatio. Quod Papa Romanus, sit verus Antichristus: erat. Quia Papa non patitur solum Christum audiri, sicut pater de eo præcipiens, clamavit.

Responderam: in ecclesia non aliam vocem audiri, quantum ad religionis dogmata pertinet, quàm ipsius filij Dei Christi. Eam verò audiri non per solum scriptum ab Apostolis, & Evangelistis: sed etiam per traditiones apostolicas, quæ per episcoporum continuam successionem ad nos usque perductæ sunt, traditione per apostolos inde à Christo propagata. Atque hac ratione conservari veritatem religionis in ecclesia Christi, iuxta scripturas: Ego vobiscum sum usque ad consummationem seculorum. item: Ecclesia, est columna & firmamentum veritatis. item: Si ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus & publicanus. denique: Spiritus sanctus ducet vos in omnem veritatem.

Matt. 28.

2. Tim. 3.

Matth. 18.

Ioan. 14.

Cauillatio Illyrica.

Cauillatur Illyricus: Si ratiocinationem meam firmam & solidam esse voluissim, debuissim me evidētissimis verbis Dei demonstrationibus euincere, quod prædicta scripturæ oracula pertineant ad pontificem & pontificiam ecclesiam.

Dilutio.

Verùm eam demum esse veram Christi ecclesiam, quæ cathedrę Petri communionem confociatur, putabam superius in proprio loco de eccle-

ecclesia satis demonstratum esse. Et doctissimum illum Hieronymum audivimus paulò superius, libera voce profitentem: Ego cathedrę Petri cōmunionem confocior, hoc est, beatitudini tuæ, (Damaso Pontifici Romano loquitur) super illam petram ædificatam ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est: si quis in arca Noë non fuerit, peribit regnante diluvio. Habes Illyrice evidētem verbi divini demonstrationem, ab ipso Hieronymo clarissimè traditam, & à nobis superius adductam, quã puto pro præsentis instituti aduersus lycophanticas vestras calumnias sufficere.

Hieron. ad Damasum in epist. Quoniam verus.

Cauillatur deinde: Non eam esse Christi sententiam, quod ecclesia simpliciter in omnibus citra omnem exceptionem audienda sit, etiam si nova dogmata religionemq; condant. Non enim is sensus est, quod spiritus sanctus ita ecclesiæ aderit, ut subinde ei nova dogmata revelet: sed suggeret tantum, & illustrabit ea quæ antea Christus & Apostoli & Prophetæ tradiderunt, & prædixerunt. Illa enim divinitus inspirata scriptura, sufficiens est, inquit, ad omnem instructionem, ita ut homo Dei fiat perfectus.

Cauillatio Illyrica.

Ioan. 14.

2. Tim. 3.

Dilutio.

Hæc manifestaria & scelerata calumnia est. Non enim docet ecclesia, aut Pontifex nova dogmata, novamq; religionem, sed eam religionem, quam ab apostolis tum per scripta ipsorum, tum per traditionem viuæ vocis sine scripto accepit, fideliter custodit, docet & tradit. Quod verò sententia domini: Si ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus & publicanus: non

Aug. de
vnitate ec-
clesiæ cap.
19.

pertineat tātum ad dogmata religionis scripta, quæ in ecclesia traduntur: sed etiam ad apostolicas traditiones & consuetudines ecclesiæ ab Apostolis acceptas, & semper obseruatas, clarissimè docet Augustinus: Quamuis, inquit, huius rei (nempe quomodo suscipiendus sit veniens ab hæreticis) certum de scripturis canonicis non proferatur exemplum, earundem tamen scripturarum, etiam hac in re à nobis tenetur veritas, cum hoc facimus, quod vniuersam placet ecclesiæ, quam ipsarum scripturarum commendat autoritas. vt quoniam sancta scriptura fallere nō potest, quisquis falli metuit huius obscuritate quæstionis, eandem ecclesiam de illa consulat, quā sine vlla ambiguitate, sancta scriptura demonstrat. Et in libro de vnitate ecclesiæ: Dicit nunc mihi hæreticus: Quomodo me suscipis? Citò respōdeo. Sicut suscipit ecclesia, cui Christus testimonium perhibet. Hic fortè dicis: Lege ergo mihi, quemadmodum Christus suscipi iusserit eos, qui ab hæreticis ad ecclesiam transire volunt. Hoc apertè & euidenter nec ego lego, nec tu. & post pauca: Nunc verò cum in scripturis non inueniamus aliquos ad ecclesiam transisse ab hæreticis: & sicut ego dico, aut sicut tu dicis, esse susceptos. puto si aliquis sapiens extitisset, cui Dominus Iesus Christus testimoniū perhibet, nullo modo dubitare deberemus id facere, quod ille dixisset, ne non tā ipsi, quàm domino Iesu Christo, cuius testimonio commendabatur, repugnare iudicemur.

Per-

Perhibet autem dominus testimonium ecclesiæ suæ, &c. Quomodo ergo suscipit illa ecclesia, sic suscipiendus es. Quod si non vis, ipsi saluatori perniciosissimè reluctaris contra salutem tuam, qui suo testimonio commendat ecclesiam.

Ex qua Augustini doctrina animaduertat lector, quæ sit intelligentia dicti Paulini quod iactant aduersarij: Scriptura diuinitus inspirata utilis est ad erudiendum in iusticia, vt perfectus sit homo Dei, ad omne bonū instructus. Interpretatur enim sanctus ille & eruditus doctor, per scripturam diuinitus inspiratam, ad omne opus bonum instrui hominem Dei, in eo quod si quid in scriptura expressè positum non est, id doceat ab ecclesia, cui scriptura expressè testimonium perhibet, accipiendū & discendū esse.

Quod autem hostis iste, & inimicus veritatis cauillatur, *Romanum pontificem, sub pretextu & titulo ecclesiæ Christi, & spiritus sancti perpetuò assistentis, quasuis abominationes venditare*: purum putum mendaciū est. Et quod ille de Romano episcopo scribere audet, hoc de ipso verissimè scribere possumus. Qui vult hosti ecclesiæ Christi Illyrico assentiri, ille suo periculo ac exitio assentiatur. Nos sanè in communionem cathedræ Petri immoti persistimus.

Est & illud similiter putidissimum mendacium, quod scribit (vt traducat Papā apud imperitum lectorem) Papam Romanum sibi vendicare potestatem dispensandi contra Apostolum & Euāgelistas, & contra vetus & nouū Testa-

D d d iij men-

2. Tim. 3.
Aug. in-
terpreta-
tur illud
Apost. 2.
ad Tim. 3
Scriptura
diuinitus
utilis est
ad profici-
endū ho-
minē, &c.

mentum. Quod sine vlla probatione audet scribere, neque vllam veram probationem eius mendacij adducere poterit vnquam.

*Cauillas
tio fœda
Illyrici.*

At exclamat vir bonus: *Audet verò, inquit, illam teterrimam blasphemiam hoc loco euomere: Ecclesiam Dei fundatam esse super cathedram Petri. Paulus verò manifestè docet, ecclesiam tantum super Christum & fundamenta Prophetarum & Apostolorum extructam esse. adeo istos nihil tam tetrae vanitatis pudet.*

Respondeo ô bone, nobis hanc sententiam, quam tu teterrimam blasphemiam appellas, cum probatissimis & sanctissimis veteribus communem esse. Disertè enim & crebrò dicit martyr ille Christi Cyprianus: Super vnum edificat ecclesiam, nempe Petrum, & illi pascendas oues mandat. rursus: Ecclesia super vnum qui clauis eius vice accepit, voce domini fundata est. rursus: Petrum primum elegit, super quem edificauit ecclesiam suam. & rursus: Super Petrum edificanda ecclesia erat. Sic & disertè Hieronymus: Cathedræ Petri communionem conuocior: super illam petram edificatam ecclesiam scio. & rursus: Super Petrum fundatur ecclesia. Licet id ipsum in alio loco super omnes apostolos fiat, & cuncti clauis regni cœlorum accipiât, aut ex æquo super eos ecclesiæ fortitudo solidetur: tamen propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite constituto, schismatis tollatur occasio. Et libro 1. cõtra Pelagianos. Quid Aristoteli & Paulo, quid Platoni & Petro? vt ille enim princeps philosophorum, ita hic apostolorum fuit.

Super

*Cypr. de
vitate ec
clesiæ ad
Iubaianũ.
Idẽ epist.
3. lib. 1.*

*Hieron.
ad Dama
sum in e
pist. Quo
niam ve
tuito.
Lib. 1. cõtr.
Iouinia
num.*

Super quem ecclesia domini stabili mole fundata est: quæ nec impetu fluminis, nec vlla tempestate concutitur. Sic & Augustinus ipse: Numerate, inquit, sacerdotes vel ab ipsa Petri sede, & in ordine illo patrum quis cui successit, videte. Ipsa est petra, quam non vincunt inferorum portæ. Hos igitur doctissimos & sanctissimos patres, teterrimæ blasphemie reos facis Illyrice, dũ me imprudens petis. Sed de hoc infra copiosius.

*August. in
1. salmo
cõtra par
tẽ donati.*

Quod verò apostolus dicit, ecclesiam edificatam esse super fundamentum apostolorum & prophetarum, Apostolus ipse ad Corinthios scribens interpretatur, hoc fundamentum esse Christum, vel fidem veram & vitam in Christum: Fundamentum, inquit, aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Cui fundamento tanquam spiritualementem vitam edificio ecclesiæ conferenti & sustentanti non repugnat, ecclesiam edificatam quoque esse super pastorem vice Christi constituto, qui in spiritali & Christiana vita per externam gubernationem, membra ecclesiæ super Christo edificata contineat & conferuet. quod testatur aliæ scripturæ: Pisce oues meas. & Ecclesiam super pastorem illum, tanquam petram quandam solidam & firmam per spiritum sancti perpetuam in ijs quæ sunt religionis assistentiam, edificatam esse: Tu es Petrus, & super hanc petram edificabo ecclesiam meam.

Eph. 3.

1. Corin. 3

Ioan. 20.

Math. 16

Sed vociferatur Illyricus: *Audiant ergo, inquit, Augustinum, quomodo eos ob hanc sacrilegã audaciã con-*

*Cauillas
tio.*

D d d iij demet.

Auguf. de agone Christiano no. cap. 31. demnet. Etiam ne ò bone Cyprianum & Hieronymum, atque adeo feipsum? Is, inquit, de agone Christiano sic scribit: Nec eos audiamus, qui negant ecclesiam Dei omnia peccata dimittere. Itaque miseri, dum in Petro petram non intelligunt, & nolunt credere datas ecclesie claves regni caelorum, ipsi eas de manibus amiserunt.

Respondeo, manifestum esse, eo loco loqui Augustinum cōtra hæreticos, qui negabant ecclesie esse datas claves à Christo, quibus omnia peccata dimittere posset pœnitentibus, & non intelligebant, in Petro datas esse ecclesie claves, & non tantum personæ Petri, quibus semper peccata dimittere posset, vt per Petrum, ita & per Petri successores. Accidebat autem illis error, quod in Petro non considerarent petram Christum, à quo claves in vtilitatem ecclesie accepisset. Nam si id considerassent, facile intelligere potuissent, quod petra Christus Petro non pro se, sed pro ecclesie perpetua salute claves donasset: ac proinde intellexissent, Petro demortuo, clauibus ecclesiam destitutam non fuisse.

Scripseram contra opprobria hostium cathedræ, nunquam quicquam cathedram Romanam contra euangelistas ac apostolos docuiffe.

Opponit hostis cathedræ. Atqui manifestum est, inquit, pugnare missam cum expressa institutione Christi, per euangelistas & apostolum recitata.

At nos Illyrice existimamus supra clarissimè ostensum esse, missam Catholicam in verbis euangelistarū & Pauli verè comprehensam esse, secun-

secundum omnium veterum & sanctorum patrum expositionem.

Addit Illyricus: Manifestum quoque est, pugnare regnum & tyrannidem Papæ cum doctrina Christi: qui amplius quater questionem de superioritate in ecclesia grauissimè condemnauit. Pugnat etiam expressè cum doctrina Pauli & Petri: Omnia sunt vestra, siue Cephas, siue Paulus. &: Non dominantes in clero.

Respondeo, regnum, hoc est, dominationem & tyrannidem in apostolis, apostolorumq; successoribus, episcopis & pastoribus, pugnare cum doctrina Christi, nos agnoscere: at superioritatem & præminentiam vnus super alios in ecclesia, ab ipso spiritu sancto approbatam non dubitamus: qui, vt inquit Lucas, constituit episcopos & presbyteros ad regendam ecclesiam Christi. & Paulus: Christus postquam ascendit in caelos, quosdam dedit apostolos, quosdam autem pastores & doctores. & Christus ipse ad Petrum: Pasce oues meas, hoc est, pastor esto ouium mearum. & in epistola ad Heb. Obedite præpositis vestris, & subiaceite eis. Hæc spiritus sancti testimonia manifestissimè approbant superioritatem, non quidem illam dominationem & tyrannicam, sed quæ ex sincera charitate seruit vtilitati proximorum.

Illà verò Pauli sententia: Omnia vestra sunt, siue Cephas, siue Paulus: non aduersatur superioritati, aut præminentie apostolorum & pastorum supra ecclesiam Corinthiacam: sed signi-

D d d v licat,

Matth. 18.
Marci 10.
Lucæ 9.
& 22.
1. Cor. 3.
1. Pet. 5.

Acto. 20.

Eph. 4.

Ioan. 20.

Hebr. 13.

1. Corin. 3.

ficat, tam Cepham, quàm Paulum, aut quemlibet alium apostolum esse à Christo, tanquam Christi ministros, datos Corinthijs: non vt Corinthijs dominantur, aut vt ex Corinthijs quæ sui suo studeat: sed vt seruiant ex charitate Corinthiorum æternæ salutis. non quidem tanquam serui subiecti Corinthijs, sed serui Christi, Christo seruientes in procurationem salutis Corinthiorum. Significat igitur ea sententia, quod apostoli serui sunt, & ministri Christi, præpositi à Christo ecclesijs, vt earum salutem studiose ad gloriam Christi operentur. Itaque non in hominibus gloriandum esse, sed in Christo vno, qui & homines ministros constitueret, & fructum omnem in cordibus electorum, ad ministerium externum suorum seruorum operaretur. Adeo igitur hic locus superioritatem non tollit, vt eam verius insinuet & approbet.

Cauillatio. Postremò cauillatur, *pugnare decretum Papisticum de communionè sub vna specie cum verbis expressis Christi: Bibite ex eo omnes.*

1. Cor. 11. Respondemus, euangelistam Marcum clarissimè testari verborum Christi sensum esse: Bibite ex eo omnes vos, qui hic in cœna præsentestis estis. dum mox post verba Christi subiecit: Et biberunt ex eo omnes. Et Paulus subindicat non semper ministrandum calicem omnibus, quando scripsit: Hoc facite, quotiescunque biberis in mei commemorationem. cum de sacro pane absolutè dicat: Hoc facite in meam

comme-

commemorationem. Nisi existimamus spiritum sanctum temerè tam diserta distinctione vsum esse. Vanissimæ igitur & mendacissimæ cauillationes sunt, quæ ex ratione doctrinæ Romani Pontificis colliguntur, ad probandum, Romanum pontificem esse verum Antichristum.

Dictum est in Confessione: In eo quoque Papam adimere Christo sacerdotium, quia officium sacerdotij eius, sanctis cum Deo regnantibus tribuit, dum homines mortuos facit mediatores & intercessores pro viuus apud Deum.

Responderam, aliter sanctos constitui nostros mediatores & intercessores apud Deum, quàm Christum. Christum enim esse mediatorum Dei & hominum, quia dedit sanguinem suum pro nobis, tanquam sufficientissimè pretium pro culpis totius mundi. Quem sanguinem tanquam sacerdos sempiternus semper in cœlis patri cœlesti offert & præsentat pro peccatis nostris, & salute nostra. Quam ratione mediationis & intercessionis nullus Catholicus tribuit sanctis, quamlibet Deo acceptis.

Obiectio. Obijcit Illyricus: *Contrà scripturam testari, vnum tantum esse Dei & hominum mediatorem, hominem Iesum Christum.*

Respondeo, Apostolum Paulum singularem quandam & propriam rationem mediationis insinuare: quæ in eo posita est, quod mediator sua potestate & virtute, hoc est, pretij iusti

per-

De mediatioe & intercessioe Christi & sanctorum.

1. Tim. 2.

perfolutione partes diffidentes conciliat. Quæ ratio propria est vni Christo, qui dedit semetipsum in lytrum pro redemptione captiui generis humani: lytrum, inquam, sufficientissimum & potentissimum, ac iustitiæ faciens plenissimè satis, iniuriam patri cœlesti ab homine illatam sufficientissimè compensans. Eiusmodi sane mediator inter Deum & homines, vnus est Christus, qui lytro corporis sui redemit perditum hominem: & obedientia sua vsque ad mortem, compensauit iniuriam cœlesti patri irrogatâ. De huiusmodi mediatione scripsit Augustinus contra Parmenianum: Homines, inquam, omnes Christiani inuicem se commendant orationibus suis. Pro quo autem nullus interpellat, sed ipse pro omnibus, hic vnus, verusque mediator est. & post pauca: Paulus se orationibus fidelium & ipse commendat: nec mediatorem se facit inter populum & Deum: sed rogat, vt pro se orent inuicem omnia membra corporis Christi: ac sic oratio pro inuicè membrorum omnium adhuc in terra laborantium, ascendat ad caput quod præcessit in cælum. in quo est propitiatio pro peccatis nostris. Nam si esset mediator Paulus, essent vtique & cæteri coapostoli eius, ac sic multi mediatores essent, nec Paulo constaret sua ratio, qua dixerat: Vnus enim Deus, vnus mediator Dei & hominū. Vides Christiane lector, propriam quandam, & veram ac singularem rationē mediationis Augustinum in dicto Pauli intelligere: secundum quam

Aug. lib. 2.
cont. Parmenianū,
cap. 8.

quam ille solus mediator est, qui cōdigno sanguinis sui lytro patri cœlesti satisfacit, & iram eius placat. atque hæc verè vni Christo propria est. Cæterum quando sacri scriptores, Cyprianus, Nazianzenus, Basilus, Chrysostomus, Ambrosius vocant sacerdotes & episcopos mediatores inter Deum & populum, interpellatores, intercessores, legatos, recōciliatores, sequestros, aliam mediationis & interpellationis rationem intelligunt, per quam Christi illi mediationi & interpellationi singulari nihil adimunt.

At obiicit Illyricus: *Dicunt alia ratione Christum esse mediatorem, quàm sanctos: neque tamen diuersitatem solidè monstrare possunt. Nempe enim Christus est secundum scripturas mediator merito & precibus: idem isti sanctis tribuunt, vel potius eos vt viuos Deos inuocant.* Obiectio.

Respondeo. Nisi te odium veritatis excæcasset, manifestam differentiam inter mediationem Christi & sanctorū palam cernereres, eamq; à nobis disertè monstratam agnosceres. Christi enim mediatio primum in eo posita est, quod suum pretiosum sanguinem tanquam lytrum sufficientissimum patri cœlesti pro peccatis hominum obtulit & persoluit. Deinde quod tanquam sacerdos sempiternus, patri cœlesti in cœlis assistens interpellat pro hominibus, in ea interpellatione, qua proprium sanguinem tanquam hostiam offert assidue, & præsentat, hostiæ suæ virtute & merito salutem donari hominibus petens. At sanctus homo siue in cœlis

cœlis, cum Christo iam regnans, siue in terris adhuc agens, sicut nec pro se supplicans & orans, condignam aliquâ hostiam suam pro peccatis offert, nec proprium, & sua virtute comparatum meritum Deo præsentat: ita nec per propriam hostiam, aut suum proprium meritum pro alijs supplicat, intercedit, & interpellat: sed omnes suas preces & interpellationes ad Christi vnicam illam hostiam & meritum alligat. id vnum petens, vt propter hostiam, meritum & supplicationem Christi; suas preces Deus exaudiat, & vel viuorum misereatur, vel commembrorum vnus & eiusdem corporis. Quemadmodum disertè dixit Augustinus: Orationem pro inuicem membrorum omnium adhuc in terra laborantium, ascendere ad caput, quod præcessit in cœlum. Habet iam Illyricus apertissimam differentiam inter mediationem Christi, & intercessionem, siue etiam mediationem sanctorum pro viuis. Habet præterea (nam & hoc cauillatur médacissimè) mediationem Christi, non solum quantum ad passionem & meritum Christi, sed etiam quantum ad Christi intercessionem & orationem. De quo interpellationis modo satis copiose, vt ipse aduersarius hic confitetur, in tractatu de Missa differueram, in solutione obiectionis, ex textu apostoli ad Hebræos de sempiterno Christi sacerdotio desumptæ.

Ad retundendam scdam calumniam, qua cauillatur Confessio, Christo sacerdotium media-

In cap. de
Missa.

Hebr. 7.

diationis & interpellationis adimi, in eo quod sanctis officium intercedendi pro nobis tribuimus, desumpti ratiocinatione ex intercessione, & oratione mutua membrorum Christi hic in terris viuentium. Et perspicua sane & solida est ratiocinatio: Si viuorum hominum pro seiuicem sollicita oratio & intercessio apud Deum nihil adimit sacerdotio & mediationi Christi, vnici mediatoris Dei & hominum: non adimit quoque quicquam sanctorum spirituum cum Deo iam agentium sollicita deprecatio & intercessio pro membris eiusdem corporis, cuius ipsi sunt membra. Quam ratiocinationem Pauli testimoniis confirmabam, in quibus ipse quoque pro se ecclesiarum deprecationem expetit.

Rom. 15.
Hebr. 13.
1. Cor. 12.

Cauillatur Illyricus, Paulum probare, vt pij pro seiuicem in hac vita orent, sed non vt mediatores. Nec etiam vsquam scripturam præcipere, vt mortuos inuocemus, quo pro nobis orent. Quin potius eam dicere de presenti hominum dormitione: Non mortui laudabunt te Domine. Nec est in sepulchro qui memor sit tui.

Psal. 114.
Psal. 6.

Considera quæso Christiane frater hominis istius blasphemam impietatem. Primum itaque respondemus: orationem, deprecationem & intercessionem absque vlla controuersia esse quendam mediationis modum. vnde tam viuentes, quam sanctos defunctos interpellantes & supplicantes pro hominum salute apud Deum, non verentur probatissimi scriptores, mediatores appellare. Sed de eo superius satis dictum est. Certè supplica-

plicatio & deprecatio pro alio, intercessio quædam est. Cùm igitur intercessionis officiũ viuis hominibus attributũ non adimat aliquid sacerdotio Christi, consequens planè est, vt nec sanctorum intercessio pro viuis, illi quicquã déroget.

*Illyricus
Vigilantiũ
sectator.*

Quod autem dicit, scripturam nusquam præcipere, vt mortuos inuocemus, vt pro nobis orent: quin potius oppositum docere, dum dicit: Mortuos non laudare dominum. &: Qui in sepulchro sunt, non esse memores Dei: Agnoscis lector Vigilantiũ heretici studiosum discipulum & sectatorem, qui scribere audeat: Dormientium spiritus non laudare Dominum, nec memores esse domini: sed (vt opinor eum velle dicere) in custodia aliqua profundo somno immerfos detineri, sine cognitione & laude Dei vsque ad diem iudicij: & proinde neque intercedere, aut interpellare pro viuis. Vanè itaque & inaniter mortuos & dormientes sine villo sensu spiritus à viuis inuocari, vt pro ipsis orèt.

*Hieron.
contra Vi-
gilantiũ.*

HÆC errorum monstra cùm iam olim eruditissimus scriptor Hieronymus, libro contra Vigilantiũ, horum errorum authorem conscripto confutauerit, debet Christianus frater vel ex hoc vno agnoscere imposturas istius hominis, qui polliceri non veretur, se traditurum puram & sinceram Christi doctrinam fidelibus, cùm modò Iouiniani heretici, modo Aërij heretici, modo Vigilantiũ heretici prodigiosos, & ab vniuersa Christi Ecclesia iam olim damnatos, & anathematizatos errores propinet auditoribus.

Sed

Sed requirit vir bonus scripturam, quæ præcipiat, vt mortuos inuocemus, quo pro nobis orent.

Sed pro nobis respondeat illi Hieronymus: Post hæc, inquit, de barathro pectoris tui cœnosam spurcitiem euomens, audes dicere: Ergo cineres suos amant animæ martyrũ, & circumuolant eos, semperque præsentés sunt: ne fortè si aliquis præcator aduenerit, absentes audire non possint. O portetum in terras vltimas deportadum. Agnoscit igitur Hieronymus, & approbat preces viuorum ad martyres: idq; apud martyrum cineres vel memorias, quas isti tam odiosè insectantur. Scripturam verò non aliam profert aduersus calumniam Vigilantiũ, quàm eam, quæ approbat viuorum pro se mutuo orationes. Ex qua ratiocinationem firmam & solidam colligit. Si apostoli & martyres adhuc in corpore constituti possunt orare pro cæteris, quando pro se adhuc debent esse solliciti, quanto magis post coronas, victorias, & triumphos? De eo autem, An viuètes homines, martyres iam cum Deo triumphantes rectè inuocèt, sicut rectè inuocant viuentium preces: nullam quæstionem facit, certissimus, quod qui iam cum Deo sunt, preces per eum cognoscant eorum qui eos inuocant. Et ad cœnosam spurcitiem pectoris Vigilantiũ refert, quod scurriliter & ludicrè scriberet, animas martyrum cineribus suis, hoc est, sepulchris suis & monumentis adesse semper præsentés, ne fortè si quis præcator aduenerit, absentes audire non possint.

E e e Anti-

Antiquam igitur hæresin iam olim in ecclesia ante annos mille ducentos damnatam, non est opus in hoc brevi scripto prolixius confutare. Sed ex ea, tanquam ex vngula, leo contra Christi ecclesiam rugiens, agnoscendus est.

Contra calumniam de adempto ipsi Christo officio expiandi peccata hominum, & attributo sacrificijs pōtificijs, qui offerūt in missa sacrificiū corporis & sanguinis Christi pro mortuis, & pro expiatione peccatorum: Responderam, non pontificis eam esse doctrinam, sed ipsius Christi, qui tanquam sacerdos secundum ordinem Melchisedech Missæ sacrificium instituit. Idque factis in capite de Missa demonstratum esse.

Iterum de Thomæ Aquinatis sententia: Christum pro originali peccato satisfecisse: Sacerdotes verò pro quotidianis peccatis sacrificare, cavillatur. Sed supra eius malitiosam cavillatione satis confutavimus, & sancti doctoris synceram doctrinam exposuimus.

Postremo, contra calumniam de officio non solum sacerdotij, sed etiam regis, adempto ipsi Christo per Papam Romanum, dum ipse vult esse eius caput, rex, & dominus, habens plenitudinem potestatis in imperando, agendo, & constituendo:

Responderam, Pontificem Romanum, legitimum Petri successorem à Christo institutum esse, non quidem regem aut dominum, sed pastorem vice Christi in ecclesia. idq; per scripturas probaveram. Tandem subieci: Non patrum tantum

Matth. 16.
Ioan. 21.

tantum vetustissimorum eam esse sententiam, è quibus duorū testimonia memorabilia & celebrata prius citassem Cypriani & Hieronymi; sed etiam œcumenicorum illorum primorum conciliorum, in Christi ecclesia per totum orbem indubitata autoritatem obtinentium, Nicæni, Constantinopolitani, Ephesini & Chalcedonensis. Ac pro ratione instituti & scripti brevis & popularis, confessionem publicam concilij illius primi & celeberrimi Nicæni tribus verbis commemoravi: Romana ecclesia nullis synodis decretis prælata est cæteris ecclesijs, sed euangelica voce domini & saluatoris nostri primatum obtinuit: vbi dixit Petro apostolo: Tu es Petrus.

*Confessio
Nicæna
de Primatu Petri.*

Hic exclamat Illyricus. *Citat hoc loco adversarius dictum primæ synodi Nicænae. Nec tamen adscribit, in quo canone aut epistola id habeatur, nimirum quo suum figmentum tanto melius tegere possit. Non dubito igitur eum hoc aliqua simili fraude citare, ut illud supra ex Cypriano.*

Respondeo ô bone, me prorsus eadem fide citare dictum Nicænae synodi, qua prius dictum Cypriani, hoc est, optima & integerrima. Quod sicut de Cypriani testimonio paulò superius perspicuè mōstravi, idè nunc de dicto Nicænae synodi accipe. Præfatione in Nicænum concilium in primo tomo Conciliorum tu rejicere non potes, qui contra veritatem producis nobis præfationes in concilium Milevitanum. In ea igitur præfatione eam confessionem prolixè conscriptam

Ecc ij &

IUD. RAVESTEYN APOLOGIA

& clarè comperies . Et ante concilium Nicæ-
num eadem Confessio legitur in 3. epistola
Anacleti.

Canon 6.
cōcilii Ni-
cæni reci-
tatus in
Concilio
Chalced.
actione 16

At obijcit aduersarius Canonem sextum il-
lius synodi Nicænae longè aliter loquentem:
Sicut ipsimet legati Papæ in Chalcedonenſi sy-
nodo proponunt: Teneat Ægyptus, vt episco-
pus Alexandriæ omnium habeat potestatem.
quoniam & Romano episcopo hæc est consue-
tudo . Similiter autem & qui in Antiochia
constitutus est episcopus, & in cæteris prouin-
cijs, primatus habeant ecclesiæ ciuitatum am-
pliorum. *Hinc, inquit Illyricus, clarè videmus, Ni-
cænam synodum primum in hoc canone primatum in
singulis prouincijs suo metropolitanò dare, omnesq; epis-
copos ac sacerdotes suæ prouinciæ ei subijcere . Deinde
omnes metropolitanos episcopos, Alexandrinum, Ro-
manum, Antiochenum, & aliarum prouinciarum inter
se se planè exæquare: ita vt nullus alteri imperare in
vlla planè re possit aut debeat: denique ne vllius sub-
diti ad alium metropolitanum appellare possint.*

Cauilla-
tio Illy-
rici.

Gratian⁹
dist. 65.

Respondeo, Approbamus, quod canonem
hunc sextum Nicænae synodi recitet, vt à lega-
tis pontificijs in Chalcedonenſi concilio est
propositus (nam Gratiani recitatio non satis
cum Græco canone consentit. Nam in eo non
habetur: Romano pontifici parilis vel par mos
est. Sed clarè habetur: Quandoquidè & Romano
pontifici ea cōsuetudo est.) Verùm quod per ca-
nonem illū dicit exæquari planè omnes omniū
prouinciariū metropolitanos, id falsissimum esse
ex eo

ex eo clarissimè constar, quod in Chalcedonenſi
synodo celeberrima, palam ab omnibus episco-
pis agnitus est & celebratus Leo episcopus Ro-
manus, tãquam primus omnium episcoporum
& metropolitanorum, & concilij caput, & om-
nibus alijs metropolitanis præpositus, & deniq;
totius ecclesiæ Catholice episcopus . sicut in
actis ipsius synodi frequenter repetitum lector
comperiet. Vnde & acta vniuersa synodi Chal-
cedonenſis ad sanctissimum Leonè approbanda
& confirmanda ipsa synodus transmisit. Quod
ergo dicit Canon ille sextus: Etiam Romano
episcopo eam esse consuetudinem, quam Ale-
xandrino attributam vult & conseruatam, eò
tantum pertinet (vt etiã in actione tertia Con-
cilij Chalcedonenſis dicitur) vt metropolitanis
prouinciariū sua seruentur priuilegia, ne vnus
alterius iurisdictionem inuadat & vsurpet: sed
presbyterorum & episcoporum controuersie &
quæstiones ad metropolitanos deferantur. Quod
& metropolitanus episcopus Romanus obser-
uat, non perturbans gubernationem metro-
politani in suis prouincijs: si per metro-
politanos controuersie & quæstiones exortæ sol-
ui & terminari possunt. Verùm vbi à metro-
politani quoque sententijs & iudicijs iure
videtur interponenda appellatio, non decernit
synodus ad Romanum pontificem, tanquam
supremum gubernatorè, & pastorem omnium
ecclesiarum, non posse prouocationem fieri.
Sicut igitur metropolitanus episcopus suæ

prouinciæ iurisdictionem & potestatem non potest perturbare & usurpare, sed tum deum suam auctoritatem exercere, quando inter episcopos non conuenit, aut quando ab episcoporum sententia probabilis appellatio fit: ita quoque facere ex consueto more Romanum episcopum testatur synodus.

Porro quid Carthaginenses, Aphricani de primatu Petri senserint, liquidò cognosci potest ex ipsorum conciliorum literis, etiam nomine conciliorum ad pontificem Innocentium scriptis, & rescriptis ipsius Innocentij. Quamuis enim de appellationibus ex prouincijs ad episcopum Romanum, propter canonum Nicenorum varia exemplaria, nonnulla dubitatio fuerit: de præminetia tamen & superioritate Petri nulla quæstio mota est ab eis. Sicut ex Cypriani scriptis manifestum est, atque etiam Augustini.

*Cauilla-
tio de cri-
mine falsi
si admisi-
so per
tres pon-
tifices,
Zozymū,
Bonifacium
&
Celestinū.*

Cauillatur præterea: *Olim tres pontifices Romanos in sexta Carthaginensi synodo regnum sibi super ecclesias flagitasse, & crimen falsi sedesimè patrassè, de quibus eo propalam conuictos esse. Cui synodo etiam Augustinus inierat.*

Respondemus, Non de regno in concilijs Aphricanis à pontificibus actum esse, nec etiam de præfectura & præminetia, quæ episcopo Romano, beati Petri successori à Christo donata est super omnes alias ecclesias: sed de peculiari quadam causa, utpote appellationis seu prouocationis à sententijs episcoporum Aphricanorum contra hæreticos vel sceleratos homines

mines latis ad episcopum Romanum, tam procul ab Aphrica distitum: qui propter tantam locorum distantiam non facile de rei veritate informari posset, & quem facile esset fallere. Multo verò rectius & certius causam ibi cognosci posse, ubi crimen admissum est, ubi & probationes certæ colligi possunt, & inanes cauillationes & exceptiones excludi. Non igitur primatus Petri, aut Romani pontificis negabatur ab Aphricanis episcopis: sed hoc tantum eis videbatur, futilibus & temerarijs atque iniustis appellationibus ad transmarinum episcopum, cui facillimum esset imponere, resistendum esse. Quæ appellationes si non admittantur, nihil de auctoritate Romanj pontificis detrahi existimabant, donec de veritate actorum Nicenorum edocti essent. Hæc ita se habere, ex Cypriano & Augustino cognosci potest, qui constanter & perspicue primatum Petri constantur & tuentur.

Deinde quod ad crimen falsi attinet, perspicue & solide confutat mendacem hominem, & mendacij conuincit celeberrima illa epistola Athanasij Alexandrini pontificis cum vniuersis Ægyptiorum orthodoxis episcopis ad Marcum, Syluestri in cathedra Apostolica successorem: Ad vos, inquit episcopi, peruenisse non dubitamus, quanta & qualia ab hæreticis, & maxime ab Arrianis quotidie patiamur: quoniam in tantum ab eis persequimur, ut etiam viuere iam nos tædeat.

Epist. Athanasij ad Marcum Papam.

Eee iij Nam

Nam instanti tēpore subito & insperato in nos irruētes, nos quidem fugientes comprehendere non potuerunt, sed omnia nostra depopulari sunt. & post pauca: Nicænam quoq; synodum propter veritatis fidem, qua clerus & populus imbuebantur, in contumeliam nostram & omnium Christianorum incenderunt. Quapropter precamur pater beatissime, quia nō dubitamus apud vos esse plenaria Nicæni Concilij exemplaria, vt nobis illa, quæ sanctæ recordationis prædecessoris vestri Syluestri fuerunt, sub tuta mittatis stipulatione, quæ sub nostræ præsentia testimonio per Victorem & Vincentiū presbyteros, apostolicę sedis apocryfarios missa sunt prædicto Papæ Syluestro capitula septuaginta. Nunc ergo quoniam ab inimicis sanctæ ecclesiæ Dei præfata septuaginta Nicæni Cōcilij capitula, quæ iubente dōmino meo Alexandro, decreto omnium episcoporum attuli, sunt igne combusta, optamus vt à vestrę sanctæ sedis auctoritate, quæ est mater & caput omnium ecclesiarum, ea ad correctionem & recreationem fidelium orthodoxorum, percipere per præsentēs legatos mereamur. Ad quæ respondens Marcus, testatur rem ita se habere, extareque Romæ septuaginta illa capitula Nicæna, illa etiam, & eorum authentica exemplaria ad Athanasium transmittit.

Intelligis Lector veritatem canonum Nicænorum non ab Alexandrinis, nec à Constantinopolitanis, apud quos rabies Arriana omnia eccle-

ecclesiastica vastauerat, diripuerat, ac incēderat, petendam fuisse ipsis Aphricanis, sed potius à Romana sede, apud quam 70. illa capita integra extarent.

Et sanè cū post Marcū Iulius in Cathedra Apostolica præsideret, celebrata est celeberrima illa synodus Sardicenis, plus minus 20. annis post synodū Nicænam, in qua præsentibus circiter 376. episcopis sententia canonis illius Nicæni (de quo quęstionē mouebāt Carthaginenses Episcopi) clarissimè describitur & repetitur: haud dubiè ex memoria Canonū Nicenorum, qui iā per oriētem ferè oppressi & exusti erant. Falsissimū igitur est, quod cauillatur Illyricus, Romanos legatos vnā cum suis Papis, quorum erant vicarij, criminis falsi cōuictos fuisse in synodis Carthaginensibus aut Aphricanis. Quod mendacium clarè etiam redarguunt ipsius Iulij Pontificis, temporibus Nicæni Concilij proximi, epistolæ: quas scripsit ad synodum illam Antiochenam, quæ sub Eusebio illo Nicomediensi, Arriane factionis signifero, aduersus beatum Athanasium, orthodoxæ, Nicenæque fidei propugnatorem coierat.

Scripteram Lutherum potius, quàm Romanum pontificem, Antichristum esse, ex eo vel maximè posse agnosci, quod violenter interpretatur & corrumpit verbum Dei.

Respondet Illyricus, *me non posse vllum scripture verbū proferre, quod sit ab eo violenter corruptum.*

Accipe igitur Illyrice, nō vnā Dei verbum

Eee v vio-

Sardicenis Synodus tempore Iulij

Iulius in epist. 1. & 2. ad Antioch. synodum.

violenta & extorta interpretatione ab eo corruptum, sed plurima. Tunc dicit rex ijs qui à dextris eius erunt: Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare: Sitiui, & dedistis mihi bibere. &c. id est, venite, & possidete paratum vobis regnum propter vestram fidem, quam operibus declarastis, at non propter opera.

Act. 2. Rursus: Baptizamur in remissionem peccatorum, hoc est in foedus & pactum, quod semper nobis parata est remissio peccatorum, quoties veniam & condonationem petemus propter Christum. Nulla damnatio est ijs qui sunt in Christo Iesu, hoc est, Christus Iesus tegit peccata credentium, ne propter ea damnentur, ob quæ alioqui condemnatione digni sunt. Rursus: Sicut per vnius inobedientiam peccatores constituti sunt multi, scilicet verè & formaliter, sed per imputationem: ita per vnius obedientiam iusti constituti sunt multi, scilicet per imputationem, & nō in seipsos formaliter. Rursus: Quod impossibile erat legi, Deus mittens filium suum in similitudinem carnis peccati, de peccato damnauit peccatū, vt iustificatio legis impleretur in nobis, scilicet non opere nostro, sed imputatione obedientiæ Christi. Rursus: Omnia detrimentū feci, & arbitror vt stercora, hoc est, omnia omnino bona opera siue ante fidem in Pharisaismo, siue in fide facta. Rursus: Factores legis iustificabuntur, scilicet iusticia legis,

gis, sed non apud Deum. Rursus: Abraham ex operibus legis iustificatus est, hoc est, iustus ostensus. Rursus: Cursum consummaui, fidem seruauit, reposita est mihi corona iustitiæ, scilicet in foro approbationis seu iustificationis gratiosæ, sed non in foro diuinæ iustitiæ. Rursus: Dimissa sunt ei peccata multa, quoniā dilexit multum, hoc est, ex dilectione, tanquam fructu monstratum est, quod sint ei peccata remissa. Atque innumeras alias diuinorum oraculorum corruptelas, proferre liceret. Sed impræsentiarum existimo perspicuum satis esse lectori, quomodo istorum discipulorum præceptor Lutherus foedissime & sceleratissime passim verbum Dei corrumpat & peruertat.

Postremò arrodit iterum memorabilem illam diui Hieronymi sententiam, qua scribit se post Christum nulli, nisi cathedræ Petri communionem consociari: & quisquis ei non consociatur, profanum esse, & tanquam extra arcam Noë positum; periturum regnante diluuiō. & eam inuertere studet varia sophistica.

Primum, inquit, si quid amicus amico magnis affectibus perturbatus, gloriosus aut etiam blandius scribat, non id mox est oraculum fidei. Verum ex epistolæ illius initio clarissime constat, Hieronymū, quod ad Damasum ibi scripsit, ex animo & studiosè & sollicitè scripsisse: Quoniā, inquit, verustus oriens inter se populorū furore collisus, indiscissam domini tunicā minutatim per frustra discerpit, & Christi vineam exterminat vulpes,

Iacobi 2.
2. Tim. 4.
Luc. 7.
Sententia Hiero. de cōmunionem cū cathedra Petri defenditur in epist. ad Damasum.
vt

vt inter lacus contritos, qui aquam non habet, difficile vbi fons ille signatus, & hortus conclusus sit, possit intelligi. Ideo mihi cathedram Petri, & fidem apostolico ore laudatam censui consulendam: inde nunc meae animae postulans cibum, vnde olim Christi vestimenta suscepi. Perspicuum est Hieronymum perturbatum quaestionibus episcoporum orientis, consuluisse studiosè cathedram Petri, quam tum tenebat Damascus, tanquam eam, in qua traderetur sincera & orthodoxa doctrina contra errores varios orientis.

A. Erasmi⁹
in scho-
liis in epi-
Hieron.

Secundo cauillatur Hieronymi scholiasten Aerasmum, ea verba: Beatitudini tuae, id est, cathedrae Petri, communionem consocior: Super illam petram, ecclesiam aedificatam. scio: exponere, *Super illam Petram. non super Romam, vt arbitror. Nam fieri potest, vt Roma quoque degeneret: sed super eam fidem, quam Petrus professus est.*

Sed Aerasmi commentarium sententiae Hieronymi non congruere, ex eo perspicuum est; quod hoc loco quaestio non est de ea fide, quam Petrus professus est, quando ei Christum agnoscanti & consentienti esse non hominem tantum, sed etiam verum & viuum filium Dei, dictum est: Super hanc petram aedificabo ecclesiam meam: sed de erroribus Arrianicis per orientem de tribus hypostasibus. Deinde cum cathedram Petri affirmat esse ipsam beatitudinem: Damasci, plane significat, super Damasci sanctitate siue cathedra & autoritate fundatam esse ecclesiam.

Vnde

Vnde & à Damasci sanctitate & autoritate, quae agnoscit illi in Petro datam esse, flagitat animae suae cibum, clarè profitens, quod in Petro data sit & Damasco Petri successori autoritas, per diuini spiritus perpetuam assistentiam & praesentiam, sinceram & veram doctrinam conseruandi, & alijs tradendi. Et sanè Hieronymus disertè scribit alibi: Super Petrum principem apostolorum, ecclesiam domini stabile mole fundatam, vt nec impetu fluminis, nec vlla tempestate concutiatur. Sentit ergo Hieronymus super Damasci, sicut & Petri autoritatem, illi à Christo ad pascendam, gubernandam, & docendam ecclesiam datam, fundatam esse ecclesiam, quae eius autoritatem & doctrinam in ijs quae sunt religionis sequens, neque impetu fluminis & errorum, nec tempestate euertere possit. Et si Aerasmi commentarius Illyrico probatur, cur non quod in eodem commentario sequitur, amplectitur: Omnes ecclesias debere subesse Romanae sedi?

Lib. 1. c. 6.
Pelagianos.

Tertio cauillatur Illyricus: *Sicut per Cathedram Moysi intelligit Christus dum dixit: Super cathedram Moysi sederunt scribae & Pharisei: Moysi doctrinam ac libros: ita per Petri cathedram Hieronymum intelligere doctrinam aut scriptum Petri. Quare sicut Christus non voluit audiri scribas & Phariseos, sua fermenta & maiorum traditumculas proponentes, ita multo minus audiri vult istos, Petri cathedram iactantes.*

Matth. 23.

Respondemus: Sicut per Moysi cathedram Christus intellexit non doctrinam Moysi, sed autho-

authoritatem docendi à Mose Dei mandato in synagoga institutam : ita per Petri cathedram intelligitur authoritas regendi, pascendi, gubernandi, & docendi ecclesiam Christi, ab ipso Christo in Petro institutam, & Petro, atque omnibus eius legitimis successoribus attributam. Inter hanc autem cathedram, quam Christus in ecclesia instituit, & inter cathedram, quam Moses in synagoga instituit, hoc discrimen insinuat scriptura diuina, quod cathedræ Petri promissa est perpetua præsentia, & directio Spiritus sancti in ijs quæ sunt religionis : vt ecclesiæ nihil tradat summus eius pastor, in ea cathedra sedens, hoc est, ea authoritate, quam Christus in Petro instituit, vtens, credendum aut tenendum in religione, nisi quod syncerum & orthodoxum sit : nullam autem fermentatam doctrinam, aut ab hominibus vanis inaniter excogitatam. Ego, inquit Christus, pro te rogavi Petre, vt non deficiat fides tua : & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos. & : Ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi. At vero Cathedræ Mosaicæ eiusmodi promissionem factam esse, vt nunquam à veritate doctrinæ religionis prolaberetur : sed vsque in finem duceretur in omnem veritatem, non tradit scriptura. Quæ de re eximia extat sententia Agathonis Pontificis ad Constantinum Imperatorem, & Augustos, in Concilio sexto vniuersali transcripta : Hæc Apostolica Christi Ecclesia, nempe

Ro.

Luc. 22.

Agathonis
in 6. syno-
do eximia
sententia

Romana, per omnipotentis Dei gratiam à tramite Apostolicæ traditionis nunquam errasse probabitur, nec hæreticis nouitatibus deprauata succubuit : sed vt ab exordio normam fidei Christianæ percepit ab authoribus suis, Apostolorum Christi principibus, illibata fide hætenus manet, secundum ipsius Domini Saluatoris diuinam pollicitationem, quam suorum discipulorum principi in suis euangelij fecit : Petre, inquit, ecce Satanas expetiuit, vt cribraret vos, ego autem rogavi pro te, vt non deficiat fides tua : & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos. Et eandem sententiam celeberrimi illius Leonis Pontificis videre licet in actis Concilij Chalcedonensis.

Leonis
sententia in
cōc. Chal-
cedon.

Stant igitur firmæ, solidæ, & immotæ sententiæ diui Cypriani & diui Hieronymi, quibus nos hortantur, vt in communionē cathedræ Petri stabiles persistamus, certò persuasi, quod quisquis se ab ea communionē & vnitatem subtraxerit & auulserit, tanquam extra arcam Noë positus, urgente diluuiō periturus sit, quisquis extra hanc communionis domum agnum comederit, prophanus sit.

Cypriani quidem sententia est : Qui cathedram Petri, supra quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse non confidat.

Hieronymi verò : Quicumque extra hanc domum, puta Ecclesiam, super cathedram Petri ædificatam, agnum comederit, prophanus est.

Cypr. li. 4.
epist. 9. &
citatur di-
stinct. 93.
Hieron. e-
pist. ad Da-
masum.
Quoniã
ueterusto
tomio 2.

est. Si quis in arca Noë non fuerit, peribit regnante diluio. Tantorum igitur virorum testimonii clarissimis & validissimis præmoniti, & muniti Christiani lectores, nihil commoueri debent imposturis, calumniis, erroribus, & mendaciis, quæ hæretici scelerati in perniciem in-eruditorum & simplicium fratrum committuntur.

MENDACISSIMAE LEGENDÆ siue historiæ de Sancti Petri Papatu, quam Illyricus iactat collectam ex Diui Pauli Scriptis, verissima, euentissima, & solidissima CONFUTATIO.

Aliud regnū, aliud pontificatus, aliud primatus



PRIMUM obseruandum est, quod in descriptione istius historiæ, nefarius impostor, vt facilius pusillos Christi fallat, & ab vnitate oculis Christi abducatur, odiose & infidiosè regnū cum Papatu seu Pontificatu, & primatum cum regno commiscet. quasi Catholici doceant, Petrum à Christo regem quendam constitutū esse, cui mundi regna donauerit, Petrumque Romæ regni sui sedem cōstituisse. Facit autem hoc pessima fide, imò scelerata fraude, & contra propriam conscientiam.

scientiam. Optimè enim nouit, Catholicos perspicuam differentiam tradere inter functionem, seu munus episcopale, & munus regionum: ac potestatem episcoporum spiritualem esse, qua diuini verbi prædicatione, sacramentorum administratione, & legitima iurisdictione, salus æterna hominum procuretur, non autem qua regna huius mundi constituentur & gubernentur. Neque Apostolos & discipulos suos Christum reges instituisse, sed æternæ hominum salutis ministros: Regnum meum, inquit Christus, non est de hoc mundo. & Euntes in mundum vniuersum, prædicate euangelium omni creaturæ, & docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij & spiritus sancti: docentes eos obseruare omnia quæcunque mandauit vobis. Porro quid de donatione religiosissimorum Imperatorum sentiendum sit, qui ecclesiæ ditiones temporales donauerunt, prorsus non pertinet ad quæstionem de primatu Petri. Non enim primatus Petri in regnorum mundi administratione ac dominatione cōsistit, sed in suprema potestate ecclesiam gubernandi, & spiritualem hominum salutem procurandi. Scelerata itaque fraude homo iste spiritualem authoritatem, potestatem, & primatum, cum regia & seculari potestate, authoritate & dignitate permiscet.

Ioan. 18.

Marci 16.

Math. 28.

2. Est & hoc diligenter obseruandum, quod simili fraude permiscetur quæstionem de primatu Petri cum quæstione alia: vtum Petrus

Alia quæstio de primatu Petri.

Fif Romæ

*Alia que
stio: utrū
Romæ
25. annos
federit.*

Romæ primatu perfunctus sit 25. annis. Quas quæstiones longe diuersissimas esse constat, & priorem illam de primatu, ad fidei religionisq; dogma pertinere: alteram verò, ad probabilem grauissimorum scriptorum sententiam ac doctrinam. At verò fraudulentus iste homo sic posteriorem: quod Petrus federit Romæ, ibiq; pontificatum gesserit per annos 25. oppugnat. quasi si eam sententiam de 25. annis infirmauerit, & incertam ostenderit, priorem quoq; illam de Petri primatu labefactauerit aut euerterit.

Ac Petrum quidem Romæ fuisse, Romæque diem extremum vitæ sub Nerone clausisse, non audet cum Urbano illo & Vellæo, & alijs impudentissimis ecclesiæ aduersarijs negare, sed Papistarum figmētum & vanissimum somnium esse iactitat: Petrum Romæ annis 25. episcopatu vel papatu perfunctum esse.

Hoc luculentum mendaciū impudentissimus homo audet obtrudere imperitis lectoribus, cōtra suam conscientia: cum non ignoret eius sententiæ nō papistas, sed probatissimos atq; vetustissimos scriptores, authores esse: Eusebiū Pamphili dico, D. Hieronymum, Damasum, Bedam, ac alios plerosque. Non opinor autem quod istos tam præclaros & antiquos scriptores ausurus sit ad papisticos scriptores relegare, quasi aliquid de primatu Romæ tot annis obtento, in gratiam Papæ confinixerint, vt supra illud figmētum papam collocarēt, vt ita tyrannidem in ecclesia Dei exercere possit. Et ad consutan-

*Eusebius
in Chroni-
cis.*

dum palpabile de papistarum figmento mendacium & calumniam, suffecerit doctissimi illius Hieronymi sententiam lectori proposuisse: Simon Petrus, inquentis, filius Ioannis, prouinciæ Galileæ, vico Bethsaida, frater Andreæ apostoli, & princeps apostolorum, post episcopatū Antiochenis ecclesiæ, & prædicationem dispersionis eorum, qui de circumcisione crediderant in Pōto, Galatia, Cappadocia, Asia, & Bythynia, secundo Claudij anno ad expugnandum Simonem Magum Romam pergit: ibique 25. annis cathedram sacerdotalem tenuit vique ad vltimum annum Neronis, id est, decimum quartum. Hanc D. Hieronymi sententiam posteriores scriptores plerique sequuti sunt: verum non ita mordicus eam tenēt ac tuentur, vt arbitrentur ad fidei dogma eam pertinere, aut primatū Petri consistere non posse, si paucioribus annis aliquot Romæ sedisse, certa aliqua & euidente ratione demonstrari possit. Certè Petrum Romæ fuisse, Romanam ecclesiam fundasse, in eaque cathedram constituisse, ac denique ibi vitam glorioso martyrio finisse, certissimis, euidentissimis & solidissimis probationibus demonstrari potest. Sed nos ad primatus Petri oppugnationem (quæ principalis quæstio est) confutandam accedamus.

D. Paulus (inquit Illyricus) Petri sui collegæ legendam optima fide recitat ad Gal. 2. Atq; huius legendæ prima pars est: Quod Deus S. Petrū apostolū, episcopum vel papam Iudæorū, & Paulū Gentium cōstituerit.

Fff ij Ab

*Hieron.
de script.
eccles.
Beda in
lib. de tem-
poribus.*

*1. pars le-
gendæ de
Papatu
Petri, seu
cundum
Illyricū.*

Ab ijs autem qui aliquid videbatur esse, quales aliquando fuerint, nihil mea refert. Personam hominis Deus non accipit. Nam mihi qui videbantur esse in pretio, nihil contulerunt. Imò contra, quum vidissent mihi concreditum fuisse euangelium præputij, quemadmodum Petro circumcisionis, quumq; vidissent gratiam mihi datam. &c.

Confutatio.

Primum constat manifestè ex ipsa epistola ad Galatas, atq; aded ex hoc ipso secundo capite epistolæ, Pauli institutum in ea epistola non esse, Petri collegæ sui papatum aut pōtificatum describere, atque historiam de ratione administrati Papatus texere: sed aduersus pseudo-apostolos, qui Galatas in seruitutem legis protrudebant, autoritate & dignitate apostolorum illorum, qui Christum vidissent, quos legem & ipsos obseruare, & obseruandam alijs qui salui esse vellent, præscribere dicebāt, suam autoritatem & dignitatem tueri ac vindicare. Itaque mox in exordio epistolæ palam profitetur, se Apostolum constitutum esse à Iesu Christo, non ab hominibus, neque per hominem: atque euangelium illud quod Galatis annuntiabat, se non didicisse ab homine, sed accepisse illud per reuelationem Iesu Christi. Et cum post quatuordecim annos euangelium à se prædicatum, Hierosolymam profectus contulisset cum primarijs apostolis, Petro, Iacobo, & Ioanne, ab illis suum euangelium approbatum fuisse. Nec quicquam illi additum, aut in eo correctum esse: sed dextris mutud datis, eos in suam

in suam societatem Paulum asciuisse, ac coapostolum suum confessos esse: hoc tantum constituentes, vt Paulus Gentibus pergeret prædicare, illi autem Iudæis. Sanè si de papatu Petri veram historiam texere instituisset, ab institutione primatus eam exorsus esset. videlicet quod super Petrum, tanquam saxum quoddam solidum & immotum, suam ecclesiam Christus ædificasset, quodq; illum pastorem supremum ouium suarum constituisset: deinde rationem administrati pastoratus & primatus scripsisset. Non igitur Paulus suscepit historiam Papatus describendam, vt cauillatur Illyricus.

2. Quod verò Paulus scribit, sibi concreditum esse à Deo euangelium præputij, quemadmodum Petro circumcisionis: non ita accipiendum est, quasi Paulo Iudæis non licuerit euangelizare: aut Petro Gentibus. Nam ex actis apostolicis constat Paulū, mox vt ad Christum conuersus & baptizatus fuit, ingressum esse synagogas Iudæorum, & prædicasse, quod Iesus esset filius Dei, & quod Iesus esset Christus. Et etiam post societatem illam cum apostolis, Petro, Iacobo, & Ioanne, datis mutud dextris, initam, vt ipse Gentibus Christum prædicaret, ipsi verò Iudæis, vbiq; synagogas Iudæorum ingreditur: Quum, inquit Lucas, iter fecissent Paulus & Syllas per Amphipolim & Apolloni-
 AA. 9.
 AA. 2.
 Act. 17.
 iniam, venerunt Thessalonicam. vbi erat synagoga Iudæorum. Secundum consuetudinem autem suam Paulus introiuit ad eos, & per
 Fff iij sabba-

Act. 18. sabbata tria differebat, eis ex scripturis adaperiens, & allegans, quod Christum oportuisset pati, & resurgere à mortuis, & quod hic esset Christus Iesus, quem Paulus annunciabat eis.

Act. 9. Ex mox eodem capite, cum venisset Athenas, disputabat in synagoga cum Iudæis. Rursus capite sequenti: Disputabat autem in synagoga per omne sabbatum, suadebatq; Iudæis pariter & Græcis. Ac manifesta est sententia Christi ad Ananiam de Paulo: Vaqe, quoniã vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum coram gentibus, & regibus, & filijs Israël.

Act. 10.

Similiter & ex actis apostolicis liquidò constat, quod Petrus quoque dum in Ioppe ageret, & oraret, per visionem diuinitus didicerit, gentibus quoque prædicandam euangelij gratiam: quodque postea per totum ferè orbem terrarum Iudæis primum diulgato euangelio, gentibus euangelium prædicauerit. Quod igitur dicit Paulus sibi concreditum euangelium præputij siue gentium: Petro autem euangelium circumcisionis seu Iudæorũ: hoc tantum significat, Petro principalem curam Iudæorum de Christi gratia informandorum concreditam, Paulo verò gentium præputiatarum.

Sicut autem per hoc quod scribit Paulus sibi concreditum esse euangelium præputij, non significat se constitutum esse summum pastorem, & gubernatorem Gentium: ita nec ex eo quod scribitur, Petro concreditum esse euangelium circumcisionis, insinuat, quod sit constitutus

stitutus summus pastor & gubernator gētis Iudæicæ: sed hoc tantum significatur, quod ministerium colligendæ Ecclesiæ ex Iudæis concreditum fuerit Petro, & cæteris coapostolis Petri: Paulo verò ministerium colligendæ ecclesiæ ex Gentibus. Quis verò totius ecclesiæ ex Iudæis pariter, & Gentibus in Christum credentibus, à Christo institutus esset summus & primus pastor & gubernator, id hoc loco non exprimitur: sed tantum vtriusque partis, Petri videlicet cum coapostolis, & Pauli ministerium & officium, vt duplici ministerio ecclesia Christi tota colligeretur, fieretq; vnum ouile, cui præsideret vnus pastor. Itaque hæc Pauli sententia, quam primo loco adducit Illyricus, ad describendam legendam, vt ait, Papatum Petri, nihil ad papatum, hoc est supremum pontificatũ Petri pertinet: sicut nec pertinet ad statuendum summum Pontificatum Pauli, vel etiam aliorum Apostolorum, Petri collegarum. De quibus scribit disertè Paulus, Galat. 2. quod societatem cum Paulo inierint, vt non solum Petrus, sed ipsi quoque circumcisionem docerent, ipse verò Gentes: Sed tantum pertinet ad explicandam ministerium & functionem apostolatam, tam Petro cū collegis, quàm Paulo concreditam à Christo.

Quod verò per istam ministerij Apostolici paritatem non voluerit significare Paulus se Petro in regimine & gubernatione Ecclesiæ parem, eruditè colligit D. Hieronymus, ex eo

Fff iiii quod

Galat. 1.
Hieron.
in ca. 1 ad
Galatas.

quod Paulus scribat, triennio post suam conversionem se venisse Romam ut videret Petrum: non, inquit, discendi studio, qui & ipse eundem haberet prædicationis authorem, sed honoris, priori apostolo deferendi.

Ambro in
comenc.
in 1. ca. ad
Galat.

Cum Hieronymo consentit & Ambrosius, idem dictum Pauli exponens: Dignum fuit, inquit, ut cuperet videre Petrum: quia primus erat inter apostolos, cui delegauerat saluator curam ecclesiarum, non utique ut aliquid ab eo disceret, qui iam ab authore didicerat, à quo & ipse Petrus fuerat instructus. Petri igitur summus pontificatus non in hoc Pauli loco fundatur & constituitur à Catholicis, sed in alijs sententijs spiritus sancti, quæ testantur: Super petram, tanquam solidum quoddam saxum, ædificasse Christum ecclesiam suam: & Petro tanquam summo pastori ecclesiæ Christi, dictum à Christo: Pasce oves meas. Et cum satan expetiturus esset, ut collegium apostolorum, imò & eius ecclesiam cribraret sicut triticum, Christum peculiariter rogasse pro Petro, ut non deficeret fides eius: ipseque firmus & immotus in fide perseverans, fratres confirmaret, & in recta fide ecclesiam retineret.

Matth. 16.

Ioan 21.

Luc. 22.

2. Pars le
gendæ se.
cundum
Illyrii. ñ.

Secunda pars legendæ, inquit Illyricus, hæc est: Quod Petrus totis octodecim annis à Christi in cælum ascensione vsq; ad synodum Apostolorum, præcipuè Iudæis, & Paulus Gentibus prædicauerit. Nam qui efficax fuit in Petro ad Apostolatam circumcisionis, efficax fuit erga me & in Genes, &c.

Re.

Respondemus. Quanquam inter scriptores ecclesiasticos non satis conueniat, quoniam anno celebratum sit concilium illud Apostolorum in Hierosolymis (Eusebio enim & Hieronymo placet anno 18. post Christi ascensionem in cælum, id factum esse. quæ sententia Paulo magis congruere videtur, qui scribit post triennium à sui conversione se venisse Romam visendi Petri gratia: & deinde, hoc est, post triennium illud, rursus post quatuordecim annos venisse ad concilium illud. Quibus si addatur annus secundus ab ascensione Christi, quo Paulus conuersus videtur, conficiuntur anni octodecim. Venerabili verò Bedæ, ac alijs quibusdam placet, quod tres illi anni, post quos peractos Paulus scribit se primum Petrum visisse Hierosolymis, contineantur in illis quatuordecim, post quos Paulus secundo Hierosolymam venit: quodque Concilium Apostolorum habitum sit anno 14. ab ascensione Christi in cælum) Quanquam, inquam, de hoc inter scriptores non satis conueniat, ac etiam probabilis videatur, anno 18. à Christi passione, & ascensione in cælum, hoc concilium celebratum: tamen nullus probatorum, & veterum scriptorum hoc sensit, quod asserit hic Illyricus, Petrum totis octodecim annis à Christi in cælum ascensione vsque ad synodum Apostolorum, præcipuè Iudæis prædicasse. Nam constanter Eusebius Pamphili Cæsariensis, D. Hieronymus, Orosius, Venerabilis Beda, affirmant Pe-
Fff v trum

Confutatio.

trum vel secundo vel quarto anno Claudij, qui est annus vndecimus aut decimus quartus ab ascensione Christi ad cœlum, Petrum Romam profectum, ibique Romanis, hoc est, Gentibus euangelium prædicasse, non paruo tempore ante annum 18. ab ascensione Christi in cœlum.

Verùm vt ita sit, Petrum ad annum vsque 18. ab ascensione Christi in cœlum, Iudæis præcipuè prædicasse, Paulum verò Gentibus: non tamen de Petri Papatu tantum super Iudæis, quicquam probare poterit. Iam enim ostendimus, Paulum non de summo pontificatu Petri aut suo agere, sed tantum de ministerio & functione colligendæ ecclesiæ Christi ex Iudæis & gentibus, cui tandem collectæ vnus aliquis pastor secundum Christi ordinationem præficere-tur. Suum autem ministerium in colligendis & docendis gentibus Deo acceptum fuisse, inde probat, quod per Christi spiritum efficax fuerit eius prædicatio in gentibus, sicut Petri inter Iudæos.

3 pars legenda cõmentitiæ Illyrici de Papatu Petri.

Tertia pars, inquit Illyricus, est hæc: Quod Petrus & Paulus de consensu reliquorum Apostolorum constituerint, additaq; sacra dextrarum fide concluderint, vt hic quidem Gentilium, ille verò Iudæorum doctor, apostolus aut episcopus in posterum quoque sicut antea permaneret. Qui contractus inter eos vt minimum. 18. annis post Christi passionem factus est.

Iacobus & Cephas & Ioannes, qui videbantur esse columnæ, dextras dederunt mihi ac Barnabæ societatis,

ris, vt nos quidem in Gentes, ipsi vero in circumcissionem apostolatu fungerentur, tantum vt pauperum memores essemus. In quo & diligens fui, vt hoc ipsum facerem. Hic apparet, inquit Illyricus, Petrum de facto, tum de iure diuino ac humano, non Gentilium apostolum per totam vitã fuisse. Quid ergo ad nos eius apostolatus, qui ex Gentibus sumus conuersi?

Respondemus. Sicut teste Paulo, ab exordio, Petro fuit concreditus apostolatus circumcissionis, & Paulo præputij: ita & in cõcilio quoque apostolico constitutum esse, vt Petrus cum suis collegis permaneret in apostolatu & ministerio Iudæorum, Paulus verò in ministerio & apostolatu Gentium. Verùm sicut ab exordio, nec Petrus cum collegis fuit exclusus à colligendis gentibus, nec Paulus à docendis Iudæis: ita nec per synodi apostolicæ illam conclusionem Petrus intelligendus est à docendis Gentibus exclusus, aut Paulus à docendis Iudæis. Sed sicut ab exordio, ita & in synodo commẽdata est Petro & collegis cura Iudæorum, & Paulo institutio Gentium. Vbi verò Iudæorum institutio longè lateque diuulgata est, certissimæ & fidelissimæ historiæ testantur, Petrum per Gentium plurimas nationes, Christi euangelium disseminasse. Ac de prædicatione Petri apud Romanos, illustres testes sunt, Eusebius Cæsariensis tum historiæ libro 2. tum in Chronicis suis. D. Hieronymus in cõmentario primi capituli ad Romanos. & in libro de viris illustribus.

Consultatio.

Petrus apost. circumcissionis prædicauit euãgelium gentibus.

Eusebius

Hieronymus.

Verùm,

Act. 15.

Verum, sicut supra ostendimus, quod ab exordio Petrus constitutus est Apostolus circumcissionis, nihil pertinere ad Petri supremum pastorem seu papatum, sed tantum ad peculiarem & præcipuam Petri functionem & ministerium in colligenda ecclesia Christi ex Iudæis: ita & constitutio illa synodi apostolicæ, ut Petrus cum collegis permaneret præcipue in officio ac ministerio Iudæorum, nihil pertinet vel ad statuendum vel ad improbandum pontificatum, siue summum pastorem Petri. Quanquam igitur non ex hoc dicto Pauli, Petri Pontificatus ad Gentes pertineat: ex ea tamen ordinatione Christi ad Gentes pertinet, qua constitutus est summus & primus pastor ouium Christi, quæ non ex Iudæis tantum, sed vel potissimum ex Gentibus collectæ sunt.

Alia Illyrici Cautilatio circa hanc partem suæ legendæ. Addit Illyricus: *Numeratio temporis Actorum Apostolicorum, & epistolæ Pauli dilucide & aperte ostendunt, Petrum nunquam Romæ 25. annos episcopatu vel papatu perfunctum esse, ut Papistæ fingunt. Quoties enim Paulus Petrum querit, Hierosolymæ eum querit, non Romæ: Toties & tam multa Romæ, aut ex Roma scribit, & tam multos Romanos nominat, nec tamen quicquam de Petro ibi sedente dicit.*

Consultatio.

Superius diximus, Illyricum fraudulenter permiscere quæstionem de Pontificatu Petri per 25. annos Romæ obtento, cum quæstione de summo pontificatu & primatu Petri super totâ ecclesiam, ex Iudæis pariter ac Gentibus collectâ. Atque priorem non pertinere quidem ad fidei dogma,

dogma, sed tamen non esse à sophistis & Papistis confictam, sed à grauissimis scriptoribus, Eusebio Cæsariensi, doctissimo Hieronymo, ac Venerabili Beda constanter traditam. Quas vero cauillationes contra eam sententiam adfert Illyricus, sanè non fit verisimile, eas non fuisse animaduersas aut cognitatas tantis ac tam diligentibus scriptoribus: sed eas tanquam futes & inanes, ac nihil momenti habentes eos neglexisse ac contempnisse. Quid enim obsecro ponderis habet ea cauillatio: *Paulus è Roma scribens secundam epistolam ad Timotheum, nullam facit mentionem Petri: nõ fuit igitur Petrus Romæ, dum eam epistolam scriberet?* Imò cum eam epistolam cõstet eum scripsisse sub finem vitæ suæ, utpote extremis annis Neronis, conuincitur ex ipsa epistola, Petrum id temporis fuisse Romæ, cum & vitæ eius finis eodem tempore immineret: & tamen Paulus in ea epistola Petri nullam facit mentionem.

Similiter quod Paulus Romam sæpius scribens, Petri non meminerit, cum tamen tam multos Romanos nominarit, multis ex causis fieri potuit: quas Catholici scriptores in iustis de hoc argumento scriptis libris diligenter & copiosè explicat. Quas prolixius persequi nostri instituti ratio non patitur.

Quarta & vltima pars legendæ Petri, ab Illyrico desumptæ: qua ostenditur *Petrum aliquatenus & successores eius (quicumque vel quocumque in loco demum sint, si qui sunt) penitus potuisse & posse errare.*

Vide Rosense mar tyre cõtra Vtrichum Velleum. Vide Albertum Pighium lib 3 eccle. hier. 4. pars legendæ secundum Illyricum.

errare. Ideo si merito ab alijs taxados ac reprehendendos esse.

Ad Galatas. 2. Cum autem venisset Petrus Antiochiam, saluta illi vestiti. eo quod reprehensibilis esset. Nam antequam venissent quidam à Iacobo, una cum Gentibus surnebat cibum. Quum autem venissent, subsedit & separavit se ab illis, metuens eos qui erant ex circumcissione: ac simulabant cum illo cateri quoque Iudei, ita ut Barnabas simul cum abduceretur in illorum synagoga. Verum ubi viderem, quod non recto pede incidere ad veritatem evangelij, dixi Petro coram omnibus: Si tu, cum sis Iudeus, Gentiliter vivis, ac non Iudicis, cur Gentes cogis iudaizare?

Consultatio.

August. de Bapt. con. Donat. li. 2. cap. 10

Cyprianus ad Quirinum.

Super Petri ad diffinita ecclesie.

Respondemus. Inanis hæc argutia nihil commouit eruditissimum Augustinum, ut Petro primum adimeret, aut de eo dubitaret. Qui sic de hac Pauli reprehensione scripsit: Magnum quidem meritum nouimus Cypriani episcopi & martyris, sed nunquid maius quam Petri apostoli & martyris? De quo idem Cyprianus in epistola ad Quirinum ita loquitur: Nam nec Petrus inquit (quem primum dominus elegit, & super quem ædificauit ecclesiam suam) cum secum Paulus de circumcissione disceptaret, postmodum vendicauit sibi aliquid insolenter, aut arroganter assumpsit, ut diceret se primum tenere, & obtemperari sibi à nouellis & posteris potius debere. Nec despexit Paulum, quod ecclesie prius persecutor fuisset, sed consilium veritatis admisit, & rationi legitime, quam Paulus vendicabat, facile consensit. documentum scilicet nobis & concordie & paciencie tribuens, ut non

nō pertinaciter nostra amemus: sed quæ aliquando à fratribus nostris & collegis vtiliter & salubriter suggeruntur, si sint vera & legitima, ipsa potius nostra ducamus. Ecce commemorat Cyprianus, quod etiā nos in scripturis sanctis didicimus, apostolū Petrū, in quo primatus apostolorū tam excellenti gratia præeminet, aliter quam veritas postulabat, de circumcissione agere solitū, à posteriore apostolo Paulo esse correctū. & post pauca: Cæterū magis vereri debeo, ne in Petrū contumeliosus existā (scilicet conferens eū cum episcopo Cypriano) Quis enim nescit, illū apostolarum principatū cuiuslibet episcopatu i præferendū? Vides lector Christiane, vnde hostis ecclesie Illyricus argutiam inanem cōtra veritatem primatus texit. Inde Cyprianum & Augustinum, scriptores sanctissimos pariter & eruditissimos, salubre documentum paciencie, humilitatis & concordie desumere. Et constanter Petri excellentem primatum asserere, atq; eum cum Pauli illa necessaria correctione probè consistere.

Respondemus igitur, quod reprehensio illa Pauli nihil derogat authoritati Petri. Nō enim existimamus incōueniens esse, superiores ac prepositos, si aut ipsi aberrent à fide, aut alios aut verbo aut exemplo aberrare faciāt, ab inferioribus admoneri, corripi, & corrigi, quando hoc causa fidei postulat. Et superius iam diximus, Paulum & Petrum in ministerio & doctrina prædicationis euangelicæ æquales fuisse, quauis in regimine ecclesie fuerint dispares, & proinde Paulo

In Petro primatus apostolorum excellens gratia præeminet.

Apostolus ad Quirinum primum Petri in ecclesia.

tanquam æquali licuisse Petrum in ijs quæ ad ædificationem fidei & doctrinæ pertinebant, aberrantem corrigere.

Hanc suam legendam ex quatuor partibus, prava interpretatione corruptis consutam probat Illyricus per doctrinam Christi, qui interdixit suis discipulis primatum aut principatum super alios gerere.

*Illyrici
causillatio
ex doctrina
na Christi
sibi contra
texta.
Mat. 18. 20
Mar. 9. 10.
Luc 9. 22.*

Quæstio, inquit Illyricus, vel certamen de primatu, quis apostolorum supremus esse debeat, quater, & deum etiam post ultimam cœnam ab apostolis Christo proposita est. verum ille eam semper ac penitus damnavit, nec vel Petrum, vel Paulum, supremum aut primarium elegit, imò potius eos infimos & ministros omnium esse voluit ac iussit.

Idem Paulus in suis epistolis acerrimè impugnat, & contendit se nec in se, nec in ceteros ullam potestatem Petri agnoscere, aut probare.

Consultatio.

Respondemus. In quæstione de primatu tria esse diligenter consideranda. 1. Potestatem super alios, siue superioritatem, siue, vt vocat Augustinus, locum superiorem. 2. Appetitum seu expeditionem potestatis supra alios, & loci superioris. 3. Rationem ipsam exercendæ potestatis, & administrandi loci superioris.

Act. 10.

Ex his tribus, potestatem super alios, siue superioritatem, quæ videlicet legitimè imposita est & concredita, non improbari nec damnari à Christo, manifestum satis est. Nam spiritus sanctus, vt ait Paulus, in ecclesia episcopos ad regendam ecclesiam constituit. Porro sine potestate

testate, & loco superiore, vt ait Augustinus, populus regi non potest. Ac Paulus ipse palam testatur, sibi datam esse potestatem à Christo in ædificationem ecclesiæ.

*Aug. de ciuitate Dei
lib. 19.
cap. 19.
Luc. 12.
2. Cor. 10.
13.*

Christus quoque cum dixit: Qui maior est in vobis, fiat sicut iunior: insinuat se approbare, quod aliquis sit maior: sed maiorem illum admonet sui officij, vt per humilitatem alijs ministret. Non igitur Christus in sententijs citatis ab Illyrico voluit auferre & abolere potestatem, superioritatem, aut primatum.

Deinde de appetitu, expeditione, seu cupiditate potestatis super alios, & loci superioris, tanquam loci honoratoris, ita pronunciat Augustinus: Locus superior, sine quo populus regi non potest, tamen administratur ita vt decet, tamen indecenter appetitur.

*Aug. lib.
19. de ciuitate Dei
cap. 19.*

Hac cupiditate cum videret Christus laborare Apostolos, qui quoties de morte sua locutus esset, inter se de eo disceptare solebant, quisnam ipsorum, eo per mortem ab eis sublaro, primus esset, eorum cupiditatem castigat, docens eos humilitatis studium amplecti, non autem primatus aut superioritatis honorem ambire.

Postremò tertium illud, quod est legitima administratio & perfunctio potestatis & superioritatis, in eo positum est, vt cui concredita est & imposita primatus ac superioritas, ea vtatur in vtilitatem, commodum, & salutem inferiorum: non autem in proprium commo-

Ggg dum

dum & vtilitatem, aut propriam gloriam & honorem: atque agnoscat se ob hoc alijs præpositum, vt eorum saluti seruiat ac ministret: non autem vt super eos dominetur aut reguet. Duplicem itaq; superioritatis administrandę rationem Christus palam significat. Alteram, qua superior habens inferiores tanquam seruos, omnem gubernationem inferiorum in suum commodum & honorem confert, & eis tanquam seruis dominatur. Quam gubernationem, dominationem appellabat, eamque principum gentium propriam esse dicit: atque hanc seuerè suis apostolis & discipulis interdicit. Alteram verò, qua superior agnoscens se constitutum, vt ministerium impendat subditis, quo eorum & salutem & commoda sollicitè & humiliter procuret. Atque hanc aded non improbat, vt ipse huiusmodi superioritatem & administrationem in sua ecclesia instituerit: constituendo episcopos & præpositos, qui ecclesiam suo sanguine comparatam regerent & gubernarent: & potestatis supereminentiam ac primatum in Petro ordinans & instituens. (vt ait Cyprianus) Christus igitur non damnauit aut improbauit potestatem aut superioritatem legitimam: sed tantum inanem ambitionem, dominationem & tyrannidem, hoc est, potestatis seu primatus abusum.

*Cauilla-
tio Illy-
rici.*

Quod verò dicit Illyricus, *Paulum in suis epistolis primatum acriter impugnare*, quid sibi velint sententię Pauli, quibus suam authoritatem &

& dignitatem apud Galatas studiose vindicauit & asseruit, iam superius satis monstrauimus: atque eas penitus nihil detrahere Petri primatui.

Confutatio.

Quod postremò cauillatur, *Paulum nec in se, nec in ceteros apostolos vllam potestatem Petri vsquam agnoscere & probare:*

*Cauilla-
tio.*

Respondeo, Quod ad ceteros apostolos attinet, perspicuum est ex euangelio Ioannis, cum Christus pastorem ouium suarum institueret ac ordinaret, præsentès fuisse multos ex apostolis, quos certissimum est Christi sermonem rectè intellexisse, Christi que ordinationem obedienter amplexos & secutos esse. Et sanè post ascensionem Christi in cælum præclara testimonia suę authoritatis & primatus dedit. 1. in ordinatione Marthiæ. 2. in die Pentecostes, quando omnes apostolos defendit aduersus calumniam Iudæorum, quod musto pleni essent, Act. 2. 3. quando in Ananiam & Saphiram sententiam mortis protulit, Act. 5. 4. quando in synodo apostolorum primus sententiam dixit, Act. 15.

*Confutatio.
Ioan. 21.*

Quod ad Paulum autem attinet, qui posterior ad apostolatam vocatus est, sicut euangelij doctrinam testatur se à Christo non per hominem accepisse, sed per reuelationem: ita & ordinationis illius Christi, qua Petrus à Christo institutus est supremus ecclesię seu ouilis Christi pastor, cognitionem per eandem reuelationem accepisse omnino existimandum est.

Ggg ij HACTE

HACTENVS de bella legenda primatus Petri, ex Pauli scriptis ab Illyrico conscripta, dictum est. Nunc audiamus, quàm bellè eandem legèdam patrum testimonijs comprobet.

Cauillas Ireneus, inquit, Nicephorus, & *Vispergensis* te-
stio Illy- stantur, Petrum initio Romam expugnandi *Simonis*
rici. Magi, non collocandi ibi sui solij causa venisse: ibique
 breui tempore docuisse. Ac mox regente eam ecclesiam
 Cleto aut Lino, abiisse in *Egyptum*, inde in *Asiam*,
 ibiq; multas ecclesias fundasse aut confirmasse, & tan-
 dem ultimo Neronis anno Romam redisse, ab eoque
 occisum esse: vt secundum hanc numerationem Pé-
 trus non magis Romanus episcopus esse queat, quàm
 Antiochenus, aut Ponti, aut aliarum ecclesiarum,
 quas innumeras docuit, fundauit, aut confirmauit.

Consultas
tio.
Eusebius
 in *Chro-*
nicis Hie-
ron. de vi-
 ris illustri-
 bus Vene-
 rab. Beda
 in acta A-
 postolorū

Damasus
 Ireneus
 lib. 3. cōtr.
 heret. cap.
 3. & 3.

Contra celeberrima testimonia antiquissimorum scriptorum, ante annos mille ducentos Eusebij Cæsariensis & D. Hieronymi superius citata: qui disertissimè testantur Petrum Romæ sedem & cathedram collocasse, idque per annos 25. opponit bonus iste vir Nicephori historiam, quæ paucissima quædam de Petri apostolatu commemorat, nec ea etiam bona fide recensens. Irenei quoque testimonium contra Petri in Romana vrbe sedem, cathedram & episcopatum producere non veretur. Cùm luce meridiana clarius constet Ireneum Martirem antiquissimum scriptorem, vtpote Polycarpi illius, qui fuit Apostoli Ioannis discipulus & auditor, discipulum & auditorem, illustre testimonium perhibere de Petri in vrbe Ro-

Romana sede, cathedra & episcopatu, dum successione episcoporum Romanæ ecclesiæ recensens, à Petro tanquam capite, origine, & primo pontifice exordium facit. quod & Augustinum perpetuò fecisse paulò post ostendemus.

Sed quid scribat bonus Illyricus, nihil pensi habet, modò imperito lectori imponere, & fumos offundere possit, ac Romani episcopi cathedram ac primatum euertere. At eiusmodi fumos & cauillationes, qui vel ex tempore quo Petrus Romam venerit, vel ex numero annorum, quibus Romæ federit (de quibus per religionem Catholicam libera scriptoris sententia, sine præiudicio alienæ sententiæ relinquitur) meritò contemnit Christianus frater. Cui id satis est, certissimis testimonijs vetustatis & antiquitatis constare Petrum Romæ euangelium Christi prædicasse, ibique suam sedem constituisse, in eaque primatu perfunctum, diem extremum clausisse.

Quod quoque scribit Illyricus, Antherum Papam scribere, teste Nicephoro, lib. 14. Petrum Roma sorte Alexandria translatum: in epistola decretali Antheri non extat, quã ad episcopos Beticæ & Toletanæ prouinciæ scripsit, de mutatione sedium episcopaliū. Sic enim in ea legitur: De mutatione episcoporum, vnde sanctam sedem Apostolicam consulere voluistis, scitote eam communi vtilitate atque necessitate fieri licere, sed non libitu cuiusquam, aut

Nicepho-
 rus lib. 14
 cap. 39.
 Antherus
 in epist.
 decretali
 in tom. 1.
 Cencil.

Ggg iij domi-

dominatione. Petrus sanctus, magister noster, & princeps apostolorum de Antiochia utilitatis causa translatus est Romam, ut ibi potius proficere possit. Hic autem in Nicephoro insertum legitur: & inde postea Alexandriam transijt, ut isthic magis proficere possit. Ex quo colligere licet, quæ fides Nicephori historię, ut nunc extat, adhibenda sit. Certè Romani Pontificis auctoritatem & primatum in ea decretali Antherus disertè & constanter asserit, docens translationem episcoporum sine auctoritate & approbatione Romani pontificis fieri non posse.

*Illyrici
censura
de decretalibus
epistolis
primorū
pontificū*

Quæ pro primatu & auctoritate Romani Pontificis à Catholicis adferri solent ex decretalibus epistolis & scriptis primorum pontificum Romanorum, Clementis, Cleri, Anacleti, Euaristi, & aliorum, magno supercilio vanitatis arguit censor Illyricus. Cuius superbam & insolentem censuram redarguere, non est huius instituti. Neque hoc loco necesse est. quando pro statuendo Petri primatu, certissima & indubitata vetustissimorum & doctissimorum scriptorum monumenta in promptu esse, dilucidè & perspicuè constat.

*Adducit
Illyricus
patrum
testimo-
nia cōtra
primatū
pōtificis.
Cypri. lib.
1. epist. 3.*

Sed iactat Illyricus, contra primatum Romani Pontificis, hominum testimonia sibi quoque non deesse.

Sanctus, inquit Cyprianus, Archiepiscopus Carthagenensis & martyr, graviter redarguit Cornelium Papam,

Papam, admittentem appellationes ex Aphrica ad se, ac dicit: Vetusissimum canonem in ecclesia esse, ut unusquisque episcopus per se, suam gregem, secundum verbum Dei regat, redditurus soli Deo rationem.

Hunc locum Cypriani in capite præcedenti *Confutatio.* prolixè tractauimus. Nam & ibi eum citaue- rat Illyricus: & manifesti mendacij conuictus hominem istum. Ostendimus enim in ea epistola Cyprianum non redarguere Cornelium, quod appellationes ex Aphrica ad semitteret: sed inuehi in perditissimos quosdam hæreticos, Fortunatum & Felicissimum, ab Ecclesia eiectos: qui per accusatores ad Cornelium profectos appellassent à sententia Cypriani & collegarum, admonereque Cornelium, ne iniustam appellationem cum iniuria Africanorum episcoporum admitteret. In quo magis confirmatur, quàm infirmatur Romani pontificis primatus & auctoritas in Africanas ecclesias. Non enim scribit Cyprianus, non licere interponere appellationes ab Africanorum sententijs, ad Romanum pontificem: Sed hoc tantum dicit: Perditorum hominum aut sceleratissimorum appellationes iniustas non esse admittendas.

Atque ibi quoque plurima testimonia, eaque manifestissima produximus, quibus ille martyr asserit Romani pōtificis primatū, dum dicit Romanā ecclesiam esse matricē catholicæ ecclesiæ: Ecclesiam esse super Petrum à Christo fundatā,
Ggg iij dum

dum dicit: Christum sua autoritate disposuisse, vt vnitatis ecclesiasticæ origo ab vno Petro inciperet. dum dicit: Super vnū qui clauēs Christi vice accepit, fundatam esse ecclesiam. dum dicit: vnum episcopum in ecclesia catholica esse debere, sicut vnum Christum. dum dicit: Locum Fabiani vacantem, esse locum Petri, & gradum cathedræ sacerdotalis vacantem. dum dicit: Super vnum ecclesiam ædificatam, cui clauēs Christus dedit.

Conc. Ni
ceni 6. ca.
nonē ci-
tat & cor-
rupit.

Pergit Illyricus: *Concilium Nicænum*, inquit, *statuit; vt episcopus Romanus tantum suburbanis ecclesijs præsit: Alij verò patriarchæ, aliarum provinciarum ecclesijs.*

Confutatio.

De hoc Nicæni Concilij canone satis prolixè superius disseruimus, & mōstrauimus, eum non aduersari primatui Romani pontificis. Et quo pacto quæso canon actis Concilij Nicæni contrarius, à patribus Concilij statueretur. Constat enim ex actis, quod licet Nicæa esset in Asia, tamen Osius Cordubensis, nomine & vice Papæ Romani, præfederit Concilio, & primus subscripserit, non suo nomine, veluti reliqui episcopi omnes: sed nomine Papæ. Quod sanè non permissus fuisset facere, nisi in Asianos quoque primatus Romani Papæ se porrigeret.

Sed hoc loco consideret lector. Cùm superius hunc Nicæni Concilij canonem recitasset syncerè, ex actis Concilij Chalcedonenfis, nunc eum corrumpat, dicens concilium statuisse, vt Episcopus Romanus tantū suburbanis Ecclesijs præsit

præsit, cùm de suburbanis ecclesijs in canone Concilij nulla fiat mentio. Et sanè ea adiectio prorsus ipsi canoni repugnat. Cùm enim discrete Canon dicat, quod episcopo Romano par consuetudo siue mos est cum Metropolitano Alexandrino: prorsus repugnat cùm Canone, quod Romanus episcopus tantum ecclesijs suburbanis præsit: cùm Alexandrinus non suburbanis tantum ecclesijs, sed Ægypto, Lybiæ, & Pentapoli, hoc est, latissimis terrarum spatijs præsit. Odio itaque satanico Romanæ sedis & cathedræ, tam nefarium mendacium imperito lectori obtrudit Illyricus.

Adducit Illyricus etiā Hieronymi quandam sententiam, ex epistola ad Euagrium: in qua contendit, *D. Hieronymum Papam Romanum cum alijs episcopis exæquasse.*

Hierony.
testimo-
nium ex
episto. ad
Euagriū.

Sed cùm superius paulò in capite de Antichristo, hoc ipsū testimonium citauerit, & nos ibi eius cauillationem satis confutauerimus: superuacaneum foret, hinc quoque de eo Hieronymi dicto disserere.

Addit deinde Illyricus: *Tres Papas, Zozymum, Bonifacium, & Celestinum, per plures annos acerrimè cum sexta Carthaginensi (cui vltra ducenti episcopi, inter quos etiam ipse Augustinus, interfuerunt) prolatis falsis Nicænis canonibus, de primatu litigasse: tandemq; illos tres sanctissimos, euidentissimè criminis falsi conuictos, ac maxima cum ignominia repulso esse.*

Hanc impudentissimam calumniam paulò
Ggg v lupe.

superius quoque ab Illyrico propositam solidissimè & validissimè ibi confutauimus. Admonendus tantum est lector, vt diligenter consideret, Aphricanos episcopos, & inter eos Cyprianum & Augustinum, non de primatu Romani pontificis super alias Ecclesias quæstionem mouisse. quem Cyprianus & Augustinus clarissimè confitentur (sicuti ex testimonijs eorum supra citatis manifestum est: & de Augustini testimonio mox dicendum erit) sed tantum de peculiari quadam causa, vtpote appellatione à sententijs Aphricanorum episcoporum ad episcopum Romanum, Transmarinum scilicet episcopum. Videbatur enim eis æquum esse & iustum, quod & inter se constituerant, vt vniuscuiusque causa illic audiretur, vbi est crimen admissum, & vbi & accusatores, & testes criminis haberi commodè possent: non autem subdola & fallaci temeritate appellantium & circumstantium episcoporum in Aphrica positorum autoritatem collidendam. Quales appellationes si ne ad episcopum quidem Romanum fieri admitterentur, non tamen ob id sublatus foret primatus Romani episcopi. In hac sententia probabili, persistenter Aphricani episcopi, donec de veritate actorum Nicænorum sufficienter edocti essent.

Vide epif.
90.91.92.
93.95.96.
inter epif.
August.

Porro quid Carthaginenses & Mileuitani, ac Numidici patres senserint de cathedra Apostolica sedis Romanæ, liquidò & perspicuè cognoscitur

ex epistolis eorum ad pontificem Romanum Innocentium; & rescriptis Innocentij ad eas. Antecessit autem Innocentius proximè Zozyum. Ex quo manifestissimè redarguitur impudentissima Illyrici calumnia, quod tres pontifices, Zozymus, Bonifacius, & Celestinus primatum vsurpare sunt conati.

Vide sermonem 2.
de verbis
Apostoli.

Postremò quod ex legitimis causis ad sedem apostolicam seu Romanam episcopi de suis sedibus ab hæreticis deiecti, appellare olim sint soliti, constat manifestissimè ex restitutione Athanasij in sedem Alexádrinam per Iulium Papam, Chrysofomi per Innocentium, Appiarij per Zozyum. Itaque in iustis appellationibus semper viguit autoritas Apostolicæ cathedræ.

Audet Illyricus & Augustinum contra primatum Petri producere. Augustini quoque, inquieti, memorabile dictum est: *Totam ecclesiam super petram Christum, non super Petrum hominem fundatam esse. super quem & Petrus ipse sit constructus. Ita enim inquit tractatu 124. in Ioannem: Quando Petro dictum est: Tibi dabo claves regni cælorum. Et quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: Et quodcumque solueris super terram, erit & solutum in cælis: vniuersam significabat ecclesiam, quæ in hoc saculo diuensis tentationibus, velut imbribus, fluminibus, tempestatibus quatitur, & non cedit: quoniam fundata est supra petram. vnde & Petrus nomen accepit. Non enim à Petro, Petra: sed Petrus, à Petra.*

Aug. super
Ioã. tract.
124.

Respon-

Confutatio.

Exponuntur verba Matth. 16

Augu. lib. retract. 1. cap. 21.

Respondemus, Sicut in alijs quibusdam locis Augustinus in verbis illis Christi ad Petrum: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam: ita & in hoc tractatu super Ioannem, per petram intelligit quidem Christum, & non Petrum. Verum non dicit vsquam, per petram nõ posse etiã intelligi Petrum: quin potius alibi disertè dicit, vtroque modo dictum Christi intelligi. Sic enim scribit libro Retractionũ 1. cap. 21. In hoc libro, nempe quem scripsit contra epistolam Donati hæretici, dixi in quodam loco de apostolo Petro, quod in eo tanquam in petra fundata sit ecclesia. Qui sensus etiam cantatur ore multorum in verbis beatissimi Ambrosij, vbi de gallo gallinacio ait: Hoc, ipsa petra ecclesiæ canente culpam diluit. Sed scio me postea sæpissimè sic exposuisse, quod à Domino dictum est: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam: vt super hanc petram intelligeretur quæ confessus est Petrus, dicens: Tu es Christus filius Dei viui. Ac sic Petrus ab hac petra appellatus, personam ecclesiæ figuraret, quæ super hanc petram ædificatur, & accepit claves regni cœlorum. Non enim dictum est illi: Tu es petra: sed tu es Petrus. petra autem erat Christus. quem confessus Simon, sicut eum tota ecclesia confitetur, dictus est Petrus. Harum autem duarũ sententiarum quæ sit probabilior, eligat lector.

Cernis Christiane lector fraudulentum istum impostorem, sensum illum, quo per petram intelli-

telligitur Christus, adducere contra primatum, cum disertè profiteatur Augustinus, alterum quoque sensum, quo per petram, Petrus intelligitur, catholicum esse, & ab Ambrosio sanctissimo, etiam carmine celebratum. Non igitur vult Augustinus, per petram intelligens Christum, negare Petri primatum: sed quia fundamentum & origo prima omnis soliditatis & firmitatis est in tota ecclesia ex Christo, non ex Petro: ideo magis amplexus est eum sensum, quo per petram intelligitur Christus, qui est primum & summum ecclesiæ fundamentum, sustinens totius ecclesiæ structuram, sua propria potestate & virtute. Quod & ex ipso testimonio, quod truncatum protulit Illyricus, clarissimè perspicere licet. In quo semel & iterum Petro primatum apostolatus attribuit verbis disertissimis: Cuius inquit, ecclesiæ Petrus apostolus propter apostolatus sui primatum, gerebat figurata generalitate figuram. Quod enim inquit, ad ipsum propriè pertinet, natura, vnus homo erat, gratia vnus Christianus, abundantiore gratia, vnus, idemque primus apostolus. Et post pauca interposita: Ecclesia, inquit, quæ fundatur in Christo, claves ab eo regni cœlorum accepit in Petro. Et Augustini sententiæ clarissimæ de primatu Petri, ac summo pontificatu Romani episcopi passim extant: Nam nec Petrus, inquit contra Donatistas, quem primum Dominus elegit, & super quem ædificauit ecclesiam suam, cum secum Paulus discepta-

Aug lib 2 cõc. Donatistas, ca. 1

Galat. 2. ret,

ret, postmodum vendicavit sibi aliquid insolenter. & paulo p̄d̄t: In scripturis sacris didicimus apostolum Petrū, in quo primatus apostolorum tam excellenti gratia præminet, aliter quàm veritas postulabat, agere solitum, à posteriore Paulo esse correctum. & rursus ibidem: Quis enim nescit illum apostolatus principatum cui libet episcopatu præferendum? Et alibi: Quid ergo incongruum est, si Petrus post hoc peccatum factus est pastor ecclesiæ? sicut Moses post percussum illum Ægyptium factus est rector illius synagogæ. Alibi Petri sedem, disertè vocat petram ipsam, quam non vincunt inferorum portæ. Rursus scribens ad Bonifacium Papam, dicit Romanū episcopum alijs episcopis altius præsidere. Quodq; licet omnibus episcopis cōmunis sit specula pastoralis, tamen Romanus in ea celsiore fastigio præmineat. Et contra Iulianum libro 1. citatis contra dogma Pelagianum Orientis & Occidentis Græcis & Latinis patribus & episcopis, tandem de Innocentio Romano subiicit: Cum his etiam, etsi posterior tēpore, prior tamen loco Innocentius episcopus Romanus. Et alibi: In Romana, inquit, ecclesia semper viguit apostolicæ cathedræ principatus. Nec sanè potuit Augustinus à beatissimo martyre Cypriano dissentire, qui passim luculenter asserit, super Petrum ædificatam esse ecclesiam. Verum diuerso sensu ab eo, quo super petram Christum singulariter ædificatur ecclesia. Secundum quendam enim modum est Christus, petra

Aug. cōtra Faustū li. 22. cap. 70

August. in psal. aduersus partē Donati.

August. ad Bonifaciū lib. 1. ca. 10.

Aug. epist. 126.

petra & fundamentum Ecclesiæ. qui nec Petro, nec vlli successori competit. De quo dicit Apostolus: Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est. quod est Christus Iesus. 1. Cor. 3.

HÆC cū ita sint, Christiane lector, cernis sceleratā istius hominis malitiam, qui cū non ignoret clarissima extare apud Augustinū testimonia pro primatu, fraudulēter obtrudit lectori imperito subobscurā sententiam, cauillationi obnoxiam, quam debebat ex alijs euidentibus & luculentis eius dictis rectè exponere.

Simili malitia & fraude, citat postremo loco testimonia Gregorij Magni, aut primi Papæ, ex epistolis ipsius ad Mauricium Augustum de Ioanne episcopo Cōstantinopolitano, qui sibi nomen episcopi seu patriarchæ arripuit: ad Constantiam Augustam, ad Eulogium episcopū Alexand. & Anastasium episcopū Antiochenum de superbia Ioānis Constantinopolitanī, ad Ioannem episcopū Constantinopolitanū, denique ad Anianum diaconū Constantinopolitanum.

In his locis Gregorius Magnus aut primus Papa clare, inquit, supremi episcopi super omnes ecclesias titulum detestatur. Quin & aliquoties in suis epistolis prophetizat eum qui primus istum titulum supremi aut vniuersalis episcopi acceperit, fore præcursorem Antichristi. Quem tamē antichristianū titulum Bonifacius eius successor à periuro & parricida tyranno Phoca imperauit.

Respondemus, detestari quidē sanctissimum illum pontificem Gregoriū, vniuersalis episcopi appella-

*Cauilla-
tio Ilyris
ci de vera
bis Gre-
garii.
Epist. 32.
lib. 4.
Epist. 14.
Epist. 36.
Epist. 38.
Epist. 39.*

*Confusio
110.*

appellationem & titulum, tanquam scelestum, nephandum & ambitiosum : verum quo sensu & intellectu illum titulū detestetur, id ex eius verbis esse manifestissimum, quæ sceleratus iste cauillator lectori proponere debebat, si veritatem amaret. Primum igitur quod cōtra primatum Petri, & supremam in ecclesia Christi potestatem, non pertineant sententiæ Gregorij, id ex verbis eius clarissimis, luce meridiana clarius perspicui potest. Sic enim scribit in epistola ad Mauritium Augustum: Cunctis euangelium scientibus liquet, quod voce dominica, sancto & omnium apostolorum principi Petro, totius ecclesiæ cura commissa est. Ipsi quippe dicitur: Petre, amas me? Pasce oves meas. Ipsi dicitur: Ecce satanas expetiit cribrare vos, sicut triticū, & ego pro te rogavi Petre, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando cōuersus, confirma fratres tuos. Ipsi dicitur: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meā, & tibi dabo clauēs regni cœlorum. & paulo post: Cura ei totius ecclesiæ & principatus committitur, & tamen vniuersalis apostolus non vocatur.

Cernis Christiane lector luce meridiana clarius, non eò pertinere sententias Gregorij, quibus detestatur titulum vniuersalis episcopi vel patriarchæ, vt primatum vel superioritatē Romani episcopi super ecclesiam Christi improbet aut damnet. Clarissimis enim & euidentissimis verbis, atq; etiā euangelicis testimoniis eam asserit, in iis ipsis locis, in quibus vniuersalis Pape vel

Greg. epi.
32. lib. 4.

Ioan. 21.
Luc. 22.

Matth. 16.

De appellatione
vniuersalis episcopi.

vel episcopi appellationem improbat, quod non ignorat bonus Illyricus, cui id vnum studio est, vt imperitum lectorem fraudulentis imposturis, ab vnitatem ecclesiæ, & pacis vinculo seducat. Porro quo sensu sanctissimus & integerrimus pontifex Gregorius appellationem vniuersalis episcopi damnet & detestetur, ipse satis apertis verbis expressit in illis ipsis epistolis, quas Illyricus citat. Quia, inquit, si vnus patriarcha vniuersalis dicitur, patriarcharum nomen cæteris derogatur. Si enim hoc dici licenter permittitur, honor patriarcharum omnium negatur. Et cum fortē is in errore perit, qui vniuersalis dicitur, nullus iam episcopus remansisse in statu veritatis inuenitur. & rursus: Qui indignum te esse fatebaris, vt episcopus dici debuisses, ad hoc iam perductus es, vt despectis fratribus, episcopus appetas solus vocari. & ad Mauritium Augustū: Certē multos Constantinopolitanæ ecclesiæ in hæreseos voraginem incidisse nouimus sacerdotes, & non solum hæreticos, sed etiam hæresarchas factos, vt Nestorium & Macedonium. Si igitur illud nomen in ea ecclesia sibi quisquam arripuit, quod apud bonorum omnium iudicium fuit: vniuersa ergo ecclesia, quod absit, à statu suo corruit, quando is qui appellatur vniuersalis, cadit. Sed absit à cordibus Christianorū nomen istud blasphemix, in quo omnium sacerdotum honor adimitur, dum ab vno sibi dementer arrogatur. Ex quibus perspicuum est, Gregorium

Gregorij
in Eulog.

Greg. Ios
ni Con-
stantino-
politano.
Gregorij
Mauritio.

Hhh hoc

hoc sensu dānasse vniuersalis episcopi titulum, quae unus aliquis, solus sit episcopus: reliqui autem omnes sacerdotes, eius commissarij & vicarij. Ipse autem solus sit cuiusque ecclesiae proprius pastor & rector. Et iuxta hunc sensum, appellatio vniuersalis episcopi, superba plane, blasphema, & scelestā est: per quam reliquis sacerdotibus omnibus honor, dignitas, & gradus episcopalis derogatur, & vni cuius authoritas episcopalis attribuitur. Verum si vniuersalis episcopi titulo & appellatione, intelligatur episcopus, qui vniuersae siue totius ecclesiae curā gerit, sine exclusione aliorum episcoporum, primatum quidem & principatum diuo Petro attribuit Gregorius, dum scribit: Cunctis euangelium scientibus liquere, quod voce dominica, sancto & omnium apostolorum principi, totius ecclesiae cura commissā est: sed tamen vniuersalem apostolū appellatum negat, eo quod vniuersalis apostolus perperam intelligi possit, qui solus sit in tota ecclesia apostolus. Ad quam prauam intelligentiam deuitandam, de se scribit Gregorius, quod oblatum sedi apostolicae, cui deterruiebat, vniuersalis episcopi titulum à sancta synodo Chalcedonenſi recusaue- rit. sicut antecessores eius eundem recusaue- runt. Non itaq; Gregorius damnat primatum Romani episcopi, dum non vult eum appellari vniuersalem episcopum, quia vniuersale episcopum superbi quidam episcopi aut patriarchae intelligebant per exclusionē omnium aliorum episco-

episcoporum. At verò quando in Chalcedonenſi synodo beatissimus Leo appellatus est vniuersalis episcopus; longè diuersus fuit patrū sensus: qui vniuersale episcopū intellexerunt vniuersalis ecclesiae episcopū, vel episcopum; cui tota ecclesia commissā fuit. A qua tamen appellatione pōtifices Romani propter causam supradictā abstinerūt, nunquā se vniuersales episcopos scribentes, sed potius vniuersalis ecclesiae episcopos.

Quod postremò cauillatur, Antichristianum titulum vniuersalis episcopi vel patriarchae, mox post mortem Pelagij & Gregorij, Bonifacium, Gregorij successorem à periuro & parricida tyrannò Phoca impetrasse, merum est figmentum, & mendacium. Cōstat enim ex certissimis historijs, quod cum sub Pelagio Romano Pontifice, & Mauritio imperatore, Ioannes quidam tunc Constantinopolitanus episcopus eò prorupisset audacię, vt conuocato episcoporum aliquot concilio, in eo œcumenicum, hoc est, vniuersalem se pronuntiaret episcopum, aduersus eius insolentiam insurrexerit Pelagius, & concilium illud apostolica authoritate deduxerit in irritum. Quo paulò postea sublato è viuīs, eadem tempestas etiam Gregorium excepit: qui, quod Ioannis illius ambitioni resisteret, etiam Mauritij Imperatoris grauiſſimas inimicitias pertulit. Cui in epistola ad ipsum Mauritium respondens non suam eam causam esse, sed Dei & totius ecclesiae, testatus est in ea clarissimis verbis, primatum Romani

Vera historia de Phoca Imperatore stabiliēte Romano, primatum.

Gregori⁹ in epistol. ad Mauritium,

Hhh ij episco-

episcopi asserens. Aduersus quem imperatorem cum Phocas præualuisset, contentio illa & insolentia episcoporum Constantinopolitanorum sublata est: sanciente & constituente Phoca Imperatore, ne quis alius nominaretur vniuersalis ecclesiæ patriarcha aut episcopus, præter vnum Romanæ ecclesiæ pontificem. quæ vt caput fuit semper ecclesiarum omnium, ita & eius episcopus, vniuersæ ecclesiæ Christi princeps, caput & gubernator est habitus. Neque igitur Phocas Imperator, primus ecclesiæ Romanæ primatum instituit, neque primus ei vniuersalis ecclesiæ episcopi appellatione tribuit: sed Constantinopolitani episcopi Ioannis insolentiam compescuit, & Romanæ ecclesiæ suam prærogatiuam, quam ab ipso Christo acceperat iam ab exordio, Romanoque episcopo auctoritatem, primatum & dignitatem à Christo acceptam tutatus est & stabiliiuit.

EX HIS manifestum, ac luce meridiana clarius est, historiam siue legendam, quam hic confirmauit pacis, vnitatis, & concordie nefarius hostis, contra Romani Pontificis primatum & prærogatiuam ac superioritatem, ex fœdis ac putidis mendacijs contextam esse.

DE

DE EPILOGO.



N Epilogo non tam meis, quam ecclesiastici illius scriptoris celeberrimi Vincentij Lirinensis verbis, qui ante annos 1200. librum scripsit aduersus prophanas hæreticorum nouationes, adhortatus sum Christianum lectorem, vt in antiquitate fidei Christianæ constantissime acquiescat, ac detestetur omnes nouationes, siue noua dogmata, tanquam profana, impia, ac perniciofa.

Hic sceleratus impostor, quo saluberrimam exhortationem eludat, miras tragedias excitat de antiquitate, & de nouitate fidei, quænam censenda sit, & quam censuerit Vincentius esse antiquam fidem, & quam nouam. Considerandum est, inquit, quid tandem Vincentio antiquum fuerit. Certè quandoquidem vixit ante 1200. annos, reperiemus id demum ei fuisse antiquum, quod tempore apostolorum, & proximo post apostolos seculo in vsu ecclesiæ fuerit. Non certè id voluit esse antiquum, quod eius tempore, aut circiter 100. vel 200. annis ante eum natum est. Quare aduersarius impudenter pientissimum illum patrem adducit, quasi ea appellet antiqua, aut ea vetustatis nomine ecclesiæ commendet: quæ longè post eius mortem sunt cupiditate potentia & opum à Papis excogitata, vel temporis

*Cauilla
tio Illy-
rici de an-
tiquitate
aut noua
tate fidei*

H h ij poris

poris iniuria, qua omnia ruunt in peius, vel superstitione aliqua in ecclesiam inuecta. Summa igitur impostura (inquit Illyricus) seductor iste pusillos Christi dementat, dum sub nomine vetustatis ac antiquitatis, quæ fuit Lirinensi vetustas, venditat eam, quæ sibi ac nobis qui tot seculis post illos vivimus, aliquo modo potest esse aut dici vetustas & antiquitas. Non autem omnis vetustas religionis bona est: sed ea demum, quæ Lirinensi, Augustino, Hieronymo & Cypriano fuit antiquitas, quamque illi propriè commendant.

Respondemus, contumeliosum hic esse aduersarium in spiritum sanctum, dum vult ea demum tanquam antiqua & vetusta, & proinde tanquam certa, & indubitata habenda esse, quæ tempore Augustini, Hieronymi, Cypriani & Lirinensis antiqua erant & vetusta, hoc est, quæ circiter trecentos annos ab apostolorum temporibus recepta in ecclesia & tradita fuerunt. Ea verò omnia, quæ post primam illam vetustatem postea obseruata sunt & tradita, ad nostram vsque ætatem per annos mille ducentos & amplius non mereri nomen vetustatis & antiquitatis: nec mereri indubitam veræ religionis & doctrinæ fidem, & antiquitatis auctoritatem. Cum enim Christus promiserit suum spiritum futurum semper præsentem ecclesiæ, vsque ad consummationem seculorum, & spiritum sanctum ecclesiam docturum omnem veritatem: grauis sanè contumelia est aduersus gubernatorem ecclesiæ, spiritum

Matth. 28.
Ioan. 14.

ritum sanctum, si ea quæ à nostro seculo per annos 200. 300. 400. 500. 600. 700. 800. 900. 1000. 1100. 1200. eo gubernante obtinuerunt, falsa, profana & impia esse possent. Hac sane ratione, quæ ætate Hieronymi & Augustini contra Pelagianos, contra Vigilantium de inuocatione sanctorum, & martyrum reliquijs venerandis, contra Heluidium de perpetua virginitate Mariæ: item quæ in concilio Chalcedonenfi publica patrum confessione de primatu Romani pontificis Leonis: in Concilio Nicæno 2. de imaginum Christi, & sanctorum veneratione, de veritate corporis Christi in eucharistia: in concilijs pluribus contra Berengarium hæreticum: in Concilio denique celeberrimo Lateranensi de vera trãsubstantiatione panis & vini in corpus verum & sanguinem Christi, & pleraque alia, quæ tot annos semper & vbique contra hæreticos prædicata, defensa & tradita sunt in Christi ecclesia, antiquitatis & vetustatis commendatione defendi & confirmari aduersus hæreticos novos non possent. Summa sanè impostura seductor iste hanc cauillationem excogitauit. Nam cum non ignoraret antiquitatis & vetustatis magnam esse apud hominum animos venerationem, & eius contestationem pondus magnum apud omnes habere (non enim falsa esse posse ea, quæ gubernante spiritu veritatis in ecclesia per tã multa secula ab omnibus pijs obseruata, credita & prædicata essent) callidè & insidiosè conatur vetuita

H h h iij tis

gis & antiquitatis fidem & commendationem detrahere omni doctrinæ, quæ non fuerit ætate Hieronymi, Cypriani, Augustini & Lirinensis vetusta & antiqua, omnemque eiusmodi doctrinam ad profanas & impias nouitates reijciendam esse.

Verùm vt maximè donemus, Vincetium Lirinensem eam demum antiquitatem & vetustatem vt sacrosanctam, custodiendam, & constanter retinendam docere, quæ eius seculo erat antiquitas, hoc est, quæ trecentis annis post Christum in ecclesia prædicata & tradita erat, cum Vincentio probè Catholici consentimus, atque eius testimonium ad exhortandos Christianos homines, vt perseuerent constantes in doctrina, quæ iam in ecclesia prædicatur, tanquam antiqua & vetusta, & detestentur eam quam tradit Confessio Antuerpiensis, tanquam profanam nouitatem, & antiquæ doctrinæ superadditam & contrariam, rectissimè usurpamus. Nihil siquidem (quod quidem ad capita religionis, ad articulos religionis, ad substantiam denique religionis pertinet) in ecclesia catholica proponitur, docetur, & defenditur: nihilque à nobis in scripto Confutationis defensum ac propugnatum est contra profanas nouationes Confessionis Antuerpiensis, quod non certis, perspicuis, & firmis rationibus monstrari potest, atque etiam monstratum est in prima illa & antiqua, & sola vetusta, vt placet Illyrico, ecclesia, ad tempora vsque Cypriani, Hic

Hieronymi, Augustini, Lirinensis, traditum, creditum, & prædicatum fuisse.

At furenter exclamat hic Illyricus: *Papistici* *Exclama*
cos seductores sub hoc titulo antiquitatis & vetustatis, tio & Ca
obtrudere ecclesie quasiis suorum Paparum nugas, a
uillatio
abominations, & abusus longè post patres illos natas, Illyrici.
ne de quibus illi nunquam nec somniantur. Recenset autem quàm potest odiosissimè & calumniosissimè huiusmodi nugas, abominations & abusus, vt vocat, 22. vt pusillorum Christi animis tanquam in extremo actu, potentius eas infingat. Quas sicut ipse obiter calumniosissimè sine vlla probatione proposuit: ita nos eas verissimè sine vlla probatione confutabimus. Præsertim cum ipse ad eam confutationem superbè nos tanquam triumphum agens prouocet.

1. *Dicant, inquit, Papistici, si audent, tale regnum tenuisse istum tricornem ipsorum Pharaonem, inde à Christo vsque ad nostra tempora.*

Ad hanc scurrilem petulantiam & improbitatem scelerati istius hominis, satis supra respondimus: Religionem Christianam de præfectura siue superioritate Romani episcopi, tanquam legitimi successoris Petri, & Christi vicarij, cum hæreticis pugnare, non de regno aliquo temporali. Eius porro primatum & præfecturam siue superioritatem clarissimis & solidissimis testimonijs primæ illius ecclesiæ probabamus.

2. *Affirmet, si libet, eorum blasphemiam misam, & Romanum canonem, inde à Christo in vsu per totam*

Hhh v eccle-

ecclesiam Dei extitisse, eamq; tum pro vivis, tum pro mortuis oblatum fuisse.

Ostendimus copiosè, clarè, & solidè, Missam, quantum ad eius substantiam attinet, putata consecrationem & oblationem, ab ipso Christo institutam, in Ecclesia semper vitatam fuisse.

Quod ad canonem autem Missæ, eumque Romanum attinet: pars præcipua canonis verba Evangelistarum continet. Reliqua vero pars sacras preces, hymnos, laudes, & gratiarum actiones, quæ sanè scripturis divinis, & tanti mysterij ac Sacramenti celebrationi maximè sunt consentaneæ: & sacrosanctæ actioni plurimum decoris addunt. Sic enim admonuit Vincentius: Nihil in religione permutandum, nihil minuendum, nihil addendum, nihil amputandum: non amputanda necessaria, non apponenda superflua: non amittenda sua, non usurpanda aliena. sed omni industria hoc vnum studendum, ut vetera fideliter sapienterque tractando, si qua sint antiquitus informata & inchoata, accurentur & poliantur: si qua iam expressa & enucleata, consolidentur, firmenturque: si qua iam confirmata & definita, custodiantur. Non igitur novam religionem continuò inducere censendus est, quisquis ad decorum & pulchritudinem religionis aliquid scripturis & religioni consentaneum adjicit.

Postremò quod ad oblationem Missæ pro vivis

Insignis
sententia
Liricensis
de excolenda
religione.

vivis & mortuis attinet, perspicuè & firmiter monstravimus ex Cypriano & Augustino, eam fuisse eorum seculo totius ecclesiæ consuetudinem, ut ad altare Christi pro mortuis fieret oblatio.

Aug. li. de
cura pro
mortuis.

3. *Provent, si possint, purgatorium inde à Christo vsque creditum fuisse, indeque animas redemptas esse.*

Probavimus perspicuè pro animabus oblationem & orationem per uniuersam ecclesiam, Cypriani & Augustini seculo, imò & ipsius Areopagitæ factam esse. Ex quo necessariò consequitur, locum aliquem esse, in quo animæ, peccatorum reatibus aliquibus obnoxix expurgentur, & tandem inde liberentur & transferantur in vitam beatam.

4. *Ostendant istos tam varias regulas superstitionis ordinum monachorum receptas, probatasq; fuisse.*

Monasticæ vitæ exordium quoddam fuisse in prima ecclesia liquidò constat ex libro Areopagitæ de ecclesiastica Hierarchia. Eius verò exordium postea per sanctissimos patres excultum esse, palam constat. Denique eius infectatores & obrectatores grauitè confutauerunt doctissimi viri, atque inter eos diuus Chrysostomus tribus libris, & D. Thomas. Ac constitutiones quoque ipsas regulares, votis religionis de castitate, paupertate, & obedientia adiectas, grauitè doctissimus & piensissimus Bernardus defendit. Si quid in ordinem

Bernard.
lib. de dispenf. &
præceptis

mona-

monasticum iniuria temporis, aut hominum imperitia irrepserit superstitionis, tollatur, at monastice ipsa retineatur.

5. *Doceant nundinationem indulgentiarum Papalium per orbem terrarum visitatam fuisse, & homines spem salutis in eis collocasse, ut hoc tempore, & praesertim ante Lutheri praedicationem factitatum est. quibus vanissimis bullis orbis terrarum thesauros furati sunt.*

Respondemus, In religione catholica nundinationem omnem indulgentiarum improbari: verum non continuo agnoscenda est nundinatio, ubi ijs quibus veniae & indulgentiae conceduntur, aliqua contributio, puta ad defensionem Christianorum contra immanissimum Christiani nominis hostem, Turcarum imperatorem, siue ad alias graues, vtilis, & necessarias causas, indicitur. Neque in indulgentijs docentur homines spem salutis collocare. tantum enim ijs vtilitatem adferre praedicantur, qui iam Deo reconciliati, & verè iustificati, reatibus adhuc poenarum temporalium obnoxij sunt, quas per legitimas indulgentias expiari posse confidunt.

Ipsas verò indulgentias in concilio illo celeberrimo Lateranensi sub Innocentio 3. ante annos 300. approbatas, deinde rursus in Concilio Lugdunensi, postea in Florétino, postea in Constantiensi, iterum in Basiliensi, postremò in Tridéntino cõstat: imo ante annos plus minus mille à Gregorio quoque Magno usurpatas esse, monstrare

strare possumus. Denique ex ipsius Cypriani scriptis, atq; etiam ex actis Concilij illius omnium celeberrimi Nicæni, probationes & confirmationes monstrari possunt. Nec sanè ad has statuendas, ad primam illam antiquitatem probatio omnis reiicienda est, quando spiritu Christi assidue gubernante ecclesiam, quasdam scripturas constat posterioribus seculis plenius & perfectius intellectas esse, oblati excutendarum scripturarum occasionibus, siue per hæreticos, siue alias, quàm primis seculis expositæ sint & intellectæ. Quod in dogmate processionis Spiritus sancti ex filio simul & patre, item ex patre simul & filio, tanquam ex vno principio, & non duobus principiis, manifestissimum est, sic scripturam illam: Quodcumq; solueritis super terram, erit solutum & in cœlis: non solum ad culparum, sed etiam poenarum remissionem pertinere, per eas quoque quas vocamus indulgentias, posteriorum seculorum patres rectè intellexerunt.

6. *Demonstrent opera supererogationis monachorum & nonnarum adeo magnificata, emptaq; esse.*

Respondemus, opera supererogationis aperitissimis scripturarum testimoniis probari. De monachorum autem aut nonnarum, aut denique quorumcunque hominum operibus supererogatorijs nihil pronunciare religionem catholicam.

7. *Item dispensationem Paparum, fas & nefas auro vendentium aut prohibentium, notam, receptamq; fuisse.*

Re.

Respondemus, religionem catholicam eiusmodi dispensationes non defendere: sed si quæ tales vnquam extiterint, liberè improbare.

8. *Monstrent peregrinationes religionis causa ad tam varia, peregrinæque loca probatas, vſitatasque fuisse.*

Respondemus, peregrinationes ad martyrum & sanctorum memorias vſitatas & approbatas fuisse, ex scriptis Augustini & Hieronymi liquidò constare. Si quid superstitionis in peregrinationes inuectum est, id in religionem catholicam minimè potest conferri. Vide de ecclesiast. dogmatibus cap. 73.

9. *Docent evidenter sic totum regni cœlorum regimen hominibus mortuis commendatū, ac planè traditum fuisse, vt nunc more gentilium distributum est.*

Respondemus, docendum prius esse huic nefario cauillatori, eiusmodi commendationem & distributionem vnquam in religione Christiana approbatam esse. Quid verò de ea re ecclesia verus & antiqua seculo Augustini approbauerit (id verò seculum antiquitatis fidem obtinere aduersarius non dissitetur) id cognoscere licet ex ipsius epistola ad clerum & populum Hipponensem.

August. epist. 137.

10. *Enunciat sic statuas & cadauera mortuorum, eorumque laceras putresque vestes adoratas & cultas fuisse.*

Obijcimus scelerato calumniatori librū diui Hieronymi contra Vigilantium, ex quo quid ad religionem synceram pertineat, quid verò ad superstitionem, liquidò cognoscere licet. Eius ergo

ergo ætate agnita vsque adeo & approbata fuit corporis & monumentorū sanctorum Dei martyrum veneratio, vt Vigilantius eam irridens, sit tanquam hæreticus condemnatus. Et Paula & Eustochium ex Hieronymi institutione scribunt ad Marcellam: Martyrum vbique sepulchra veneramur, & sanctam fauillam oculis apponentes, si liceat, etiam ore contingentes. Et grauissima extat diui Hieronymi exclamatio in libro contra Vigilantium aduersus blasphemos istos homines.

11. *Ostendant tam variaz species ac ordines istorum pseudoclericorum, ac pseudospiritualium vbique per orbem terrarum fuisse.*

Consulatur Concilium Carthaginense 4. 5. & 6. & perspicuè cognoscetur iam tum ætate Augustini varios fuisse clericorum ordines in Dei ecclesia.

12. *Conuincant sic inde à Christo religionis summum cultum positum fuisse in structuris templorum, capellarum, & fundatione sacrificorum, eorumque multiplici boatu.*

Templorum structuram, eamque non tantum mundam, sed etiam splendidam, Deo approbatam & gratam fuisse, perspicuè testatur tota antiquitas, atque ea potissimum, quæ est aduersario antiquitas. Et sanè qui aduersus eam obstrepunt, non dissimiles sunt illi qui dicebat: Vt quid perditio hæc? Poruit enim vnguentum hoc venundari multo, & dari pauperibus. Quod si tamen in templis extruendis & de-

Matth. 26.

& decorandis modus non servatur, non religionis, sed hominum vitium est. Nec in templorum structura (vt pessimus cauillator cauillatur) præcipuum Dei cultum religio cõstituit, sed in mentis ipsa pietate, & sincero cultu. Sacras quoque clericorum cantiones, psalmodias & laudes voce pariter & corde factas, sceleratus homo, boatus appellare nihil veretur: & tamen hic quoque si quid vitij irrepserit, non religio catholica vituperanda est & accusanda, sed vitium est emendandum.

13. *Certissimis documentis doceant, istas ipsorum innumeratas traditiones, & ius condendi eas, semper perinde ubique receptas fuisse.*

Ius condendi cæremonias & ritus ad decorum sacramentorum, & ad ædificationem ecclesiæ, suprâ fati copiosè & dilucidè defensum est. Quas verò ex antiquitate proponit, eas ab ea desumptas, & ad nos perductas esse legitimis & certissimis testimonijs probatum est.

14. *Ostendant communionem sub vna specie Christianis semper seuerissimè mandatam fuisse.*

Ostendat mendacissimus homo docuisse vnam ecclesiam, aut docere, semper seuerissimè communionem sub vna specie Christianis mandatam fuisse. Constat enim catholicos ingenuè confiteri in ecclesiæ exordio per aliquot quoque secula, communionem sub vtraque specie factam esse populi Christiani. In posterioribus tamen seculis ob grauissimas & necessarias causas constitutum esse & mandatū per legitimam autho-

authoritatem, vt quandoquidem neque Christus, neque apostoli præceperint, vt sub vtraque specie semper communio fieret, populi communio sub altera fieret specie. quod non rectè factum esse, nec probat, nec probare vnquam poterit aduersarius.

15. *Monstrent spectrorum atque animarum apparitiones, earumque dicta ac petitiones admissas, laudatasq; fuisse.*

Si quid in apparitionibus istis dijudicandis & examinadis temerè factum comperitur, non ob id religio Christiana culpanda est, sed episcoporum & pastorum indiligentia. Neque vllum religionis dogma ex eiusmodi temerarijs apparitionibus in ecclesia constitutum esse aut probatum, aduersarius ostendere poterit.

16. *Laquido eumcant mortuos homines & angelos, sic inde a Christo pro mediatoribus apud Deum cultos & inuocatos fuisse.*

Respondemus, Ante annos 1200. ætate diui Hieronymi, imo (vt ait diuus Hieronymus) seculo Tertulliani, tanquam hæreticos ab ecclesia eiectos esse, qui sanctorum intercessionem & inuocationem riderent aut insectarentur. Et huiusmodi intercessionem & inuocationem plus mille ducentis, atque etiam trecentis annis visitatam fuisse in ecclesia, certissimis antiquitatis documentis probant Catholici, atque in multis etiam concilijs approbatam.

17. *Probent sacramentum Cœnæ semper pro viuo Deo cultum & adoratum fuisse.*

Debet aduersarius ex descriptione antiquitatis prius constituta, Augustini seculo contentus esse. In quo liquidissimè constat adoratum fuisse sacramentum prius, quàm sumeretur. Et hoc ipsum, ex scriptura ipsa; certissima & euidentissima ratiocinatione conuinci, supra copiosè euicimus.

18. *Demonstrent sic Deum cultum fuisse atrox, gemmis, & alijs externis ritibus & rebus.*

Olim eum sic cultum esse, & etiam coli voluisse, veteris testamenti historia declarat. Et quanquam vitulorum & taurorum, ac sanguinis eorum sacrificia ob solam significationem Deo placebant: templi tamen splendor ille & magnificentia non solum significationis causa Deo approbata fuit, sed etià quia testimonium erat grati erga Deum omnium largitorè animi, & professio. Quod enim potentissimi reges religiosè in Dei ueneratione conferant aurum & argentum, quod copiosè à Deo acceperat, quis, nisi iniquus rerum estimator, iure reprehendere potest?

19. *Exhibeant documenta, sic cultum & fauorem Dei fuisse alligatum ad certa loca, quasi hic aut alibi Deus libentius exaudiret, & non perinde ubique.*

Iam superius ex Hieronymo & Augustino didicimus, quidnam de hac forma cultus diuini ipsorum seculis senserit & docuerit antiquitas.

20. *Dicant, sic fuisse neglecta predicationem uerbi, & sacrificios in alijs nugis occupatos fuisse.*

Instituerat Illyricus religionis corruptelas & vitia monstrare: at crebrò se ad hominum vitia &

& negligentiam sermonem conuertens, apud pufillos Christi vitia hominum, tanquam vitia religionis odiosè proponit.

21. *Liqueat eorum probationibus, fictitia miracula statuarum, picturarum, & cadauerum, ita recepta fuisse, & ad ea cursitatum, ut etiamnum per Italia factitatur.*

Etià hoc caput non ad religionis Christianæ dogmata præua, sed ad hominum superstitionem & culpam pertinet. Cui malo remedium præscribit synodus Tridentina in Capite de reliquijs sanctorum, & sacris imaginibus. Sess. 25.

22. *Denique monstrent, magnam religionem in eo positam esse, si totus mundus unà cum suis regibus ac monarchis pontifici Romano obedientiam deferat vsque ad pedum oscula.*

Respondemus in eo veram religionem, ac verum Dei cultum positum esse, absq; vlla controuersia, si Dei mandatis obedientia ex animo præstetur. Cum igitur certum sit & firmum religionis dogma, ab ipso ecclesie exordio approbatum, Episcopum cathedræ Romanæ, hoc est, cathedræ Petri pastorem esse ouium omnium Christi: certum quoque & firmum dogma non potest non esse, obedientiam ei præstandam, tanquam pastori & præposito à Deo constituto, & Dei vicem obtinenti, eamq; obedientiam, gratum Deo cultum esse. Quid autem de adoratione, vel osculo pedum, sincera religio approbet, videre licet apud Augustinum libro de ciuitate Dei 10. capite 4.

CERNI s iam liquidò Christiane frater im-
lii ij postoris

postoris istius & seductoris impudētissima mendacia, asserentis Papisticos seductores sub antiquitatis titulo obtrudere ecclesiae qualis suorum Paparū nugas, & abominaciones, & abusus; quæ ex ea Vincentij regula facillimè dijudicari possint, quod ea videlicet tantū sint vera, Deoq; probata religionis capita, quæ antiquitus probata & recepta fuerunt. Iam enim ostensum est, nullū esse caput religionis ab eo propositū, & religioni, seu doctrinæ Catholicæ verè attributū, quod nō habeat certas & firmas antiquitatis probationes & testimonia, ac documenta: multa verò capita ab eo proposita non ad religionis Catholicæ doctrinā, sed magis ad superstitionem & abusum (vt quidē ab ipso odiosè & calūniosè ac maliciosè proposita sunt) pertinere.

Ac saluberrimam quoq; illam dijudicandum dogmatum regulam, à doctissimo viro Lirinensi traditam, corrumpit & deprauat aduersarius. Tradit enim ille hanc regulam: Quæ antiquitus, semper, & vbiq;, & vnanimi consensu recepta, probataque fuerunt in ecclesia Dei, ea tanquam Catholica dogmata recipienda & credenda absq; vlla hæsitacione aut trepidacione. Quicquid verò nouum contra illa sic semper tradita & credita adfertur, id tanquam profanum & falsum respuendum, reijciendum ac damnandum esse. hoc enim Paulum docere, dum scripsit: Si quis euangelizauerit vobis, præterquam quod euangelizatū est vobis, anathema sit. hoc est, inquit Vincentius, si quis

Regula di
iudicandi
dogmata
à Vincen-
tio tradi-
ta.

Quid sit
euangeli-
sare præ-
terquam

tra-

traditam semel fidem mutare tentauerit, quisquis ille est, anathema sit. quod eū
gelizatum
est.

Rursus dum scripsit: O Timothee depositum custodi, deuitans profanas vocum nouitates, hoc est; inquit Vincentius, profanas dogmatum & sententiarum nouitates, videlicet quæ sunt vetustati, quæ antiquitati contrariæ.

Hic videre palam licet, Vincentiū id nouum appellare, quod contra fidem semel traditam, & contra antiquos doctores, & contra antiquitatem & vetustatem adfertur.

Hanc autem clarissimam, verissimam ac certissimam Vincentij regulam bifariam corrumpit & deprauat Illyricus. Primum in eo, quod omne illud nouum Vincentio appellari contendit, quod postea traditur, & prius traditum, idq; semper, vbiq;, & concorditer, atq; etiam expressè non comperitur. Inde colligens, quod quicquid postea institutum est aut traditum, profanum censendum sit & reijciendum: cum Vincentius id tantum doceat, ceu profanum & nouum reijciendum esse, quicquid cōtra fidem semel traditam & receptam, aut contra consuetudinem semper obseruatam superinducitur, quo tradita prius regula, & obseruatio seu cōsuetudo mutetur. Non enim sententia est Vincentij: Post traditam semel regulam fidei nihil posse postea adijci, vel per diligentiorē scripturarum diuinarum examinationem, vel per aliquam traditionis vel cōsuetudinis inquisitionē. Ita enim in ecclesia factitatum de quibusdam

Iii iij dogma-

dogmatibus videmus. Cùm enim nihil in ea de spiritus sancti processione ex filio sicut ex patre, atq; ex vtrisque, tanquam vno & non duobus principijs, clarè traditum esset, exortis in ecclesia, qui processionem spiritus sancti ex filio negarent, vel certè confiteri non auderent, diligentius excussis scripturis tandè definitum est, tanquam certum, & ab omnibus confitendum dogma: Spiritum sanctum ab vtroque procedere, & patre & filio, idq; tanquam vno principio, & non tanquam duobus.

Hic nouum dogma definitum est, quantum ad expressam fidei confessionem attinet, sed tamen quod in verbis scripturæ diuinæ latebat & comprehendebatur. Sic rursus seculo Augustini, cùm rebaptizare vellent Africani episcopi eos qui in hæresi baptizati essent, diligentius excussa, traditione, & obseruatione antiqua ecclesiæ super ea quæstione, tandem definitum est & constitutum certum & nouum dogma: Baptizatos legitima forma ab hæreticis, non esse rebaptizandos, imò non posse rebaptizari. quod tamen dogma latenter continebatur in apostolica illa traditione. Atque ad hunc modum spiritus sancti ductu & magisterio, non solum in veteri illa & antiqua ecclesia, seculo Augustini & Hieronymi, sed etiã in posterioribus sæculis, ex scripturis diligentius excussis propter hæreticorum improbitatè, contingit latentia quædã in scripturis dogmata deprehendi, exprimi & decerni. Quale est dogma

de

de Indulgentiis siue remissionibus debitarum pœnarum temporalium. hoc enim in scriptura illa: Quæcunque solueritis super terram, soluta erunt & in cælo: diligentius in posterioribus sæculis excussa comprehendi perspectum est: ac deinde dogma constitutum, sed quod tamen in ipsa scriptura inerat, quanquã lateret.

Sic de transsubstantiationis dogmate, atque alijs quibusdam sentiendum. Sunt autem eiusmodi dogmata partim noua, partim antiqua. Antiqua quidem, quantum ad suam latentem originem: Noua autem, quantum ad expressam professionem. De eiusmodi itaque nouis dogmatibus, aut etiam nouis ecclesiæ decretis non loquitur Vincentius: sed de ijs tantum, quæ traditæ semel & antiquæ regulæ sunt contraria.

Rursus in eo quoque corrumpit aduersarius Vincentij regulam, quod id solum antiquum esse Lirinensi vult, quod habet testimonium Pauli, & aliorum apostolorum Christi, ac prophetarum, super quorum doctrinã ecclesia propriè extructa est. hoc est, quod comperitur scriptum in scriptis apostolicis vel prophetis. Quod enim non id solum antiquum intelligat Lirinensis, quod ex Paulinis scriptis aut apostolicis, aut deniq; prophetis testimoniis expressum & scriptum habet, id ex eo manifestissimum est, quod Agrippini illud nouum dogma de rebaptizandis ijs, qui ab hæreticis baptizati semel fuerant, docet confutatũ esse per antiquitatè: utpote per consuetudinè & obseruationem ecclesiasticã, antiquam & veterè,

I i i i j & ab

Vide Responsum de Indulgentiis.

Quid antiquum.

& ab Apostolorum temporibus ad Agrippini tempora perducta. De qua usque adeo scriptum clarè erat, ut disertè dicat pro Agrippini falsa sententia tanta fuisse diuinæ legis oracula, sed nouo & malo more intellecta, ut nullo modo falsitas destrui potuisset, nisi nouitatis professio auctores falsæ sententiæ prodidisset.

Quomodo dicit Vincērius quod canō sibi ipsi ad omnia sufficit.

Sed dicit Illyricus: *affirmare Vincentium, Canonem per omnia sibi ipsi sufficere. Nihil igitur requirendum aut recipiendum, quod in Canone scriptum non reperitur.*

Respondeo, quod cum euentissimum sit Vincentium dicere, præter canonem, obseruatione non scripta opus fuisse ad reuincendum Agrippini errorem nouum, hoc tantum euni dicere: Canonem sufficere ad errores illos, de quibus tum agebatur, puta contra diuinitatem Christi, contra tres personas in vna deitate, contra duas naturas in Christo, contra Pelagij & Celestij hæreses reuincendas, si modo canon scriptus rectè intelligeretur. Verum in canone non esse vniuersa religionis dogmata conscripta, ex sententia Pauli, quam tam copiose versat Vincentius, ipse quoque perspectum habuit: O Timothee, depositum custodi. non autem: O Timothee, scriptum meum custodi. Quod & in confutatione erroris Agrippini euentissimè patefecit.

1. Tim. 6.

Pessimè itaque & scèdissimè deprauat Illyricus sententiã pietissimi & doctissimi viri, dum sententiã Vincentij esse profanus homo contendit,

tendit, ad nouitates profanas reijciendum esse, quicquid caret testimonij Pauli, apostolorum aut prophetarum, hoc est, quicquid in scriptis Paulinis, apostolicis, aut propheticis expressum non est.

Sed & hoc obseruatu dignum est, quod commendans quidem antiquitatem doctrinæ, quæ sæculis Vincentij, Cypriani, Hieronymi obtinuit auctoritatem, religiosa, si dijs placet, cautione vtatur. Ita enim scribit: *Aduersarij dictis Lirinensis, & aliorum patrum non eam doctrinam vetustatem ac religionis nobis afferunt, quam illi prædicarunt, quæq; fuit verè laudabilis vetustas. Sed supradictos istos terribilissimos errores Babylonicæ abominationis, quorum parua aliqua semina eorum tempore sparsa erant (mysterium enim iniquitatis huius iam olim teste Paulo agebatur: sed in hanc tam maturam zizaniam segetem, aut potius syluam longo post tempore excreuit) nobis offerunt.*

1. Thess. 2.

Confidete quæso Christiane lector hominem istum ne eam quidem doctrinæ antiquitatem & vetustatem suscipere velle integram, quæ sæculis doctissimorum virorum, Cypriani, Hieronymi, Augustini, Lirinensis, hoc est, quæ ante annos mille ducentos aut trecentos auctoritatè in ecclesia obtinuit, quippe in quibus parua aliqua semina tetrarum errorum sparsa dicit. Vides eum non verustati, & antiquitati illi laudatissimæ subijcere suum sensum: sed antiquitatem suo potius sensui subijcere. Sicut olim de Manichæis scripsit Augustinus, quod non se auctoritati scripturæ subijcere vellèt ad fidem,

Aug. cōtra Faustū libro 22.

sed sibi scripturas ipsi subijcerent . Itaque si pro dogmate de satisfactionum aut confessionis necessitate, doctrinę antiquitatę proposueris, quam seculo Cypriani vsurpatam, traditam & prædicatam fuisse, ex scriptis eius certissimis evidentissimę ostenderis, respondebit illudens Illyricus : *Eam doctrinam ad semina teterrimorum errorum rejciendam esse* . Similiter si proponas seculo Cypriani, verbum illud, hoc facite, in ecclesia expositum fuisse: hoc facite meo exemplo quod feci: consecrate, & offerte. si non aliam calumniandi ansam reperiet, dicet *eam interpretationem, ad semina illa teterrimorum errorum iam tum sparsa rejciendam esse*. Denique quęcunque probatio ex antiquitate proponatur, constabit semper Illyrico parata ratio eam eludendi, si suo errori eam aduersari viderit.

*De conte
gēdis pa-
trum era-
vatis.*

Postremò illud etiam obseruandum, quod illam quoque sanctam & grauę admonitionem, qua admonet Lirinensis, vt si quid in scriptis antiquorum reperiatur, quod non satis cum regula fidei explicata & definita cōgruere videatur, id sepeliatur potius & contegatur, quā exagitetur, aut ad probationem seu cōfirmationem alicuius erroris proferatur, cōtra catholicos immeritò detorqueat, qui aduersus hæreticos errores confutandos & euertendos non obscuras, dubias, aut perplexas, aut incommodę scriptas sententias patrum proponere solent: sed tantum certas, claras, perspicuas, & in ecclesia Dei approbatas: Hæreticorum verò, & potissimum nostri

nostri seculi, id profectò proprium, patrum antiquorum quędam dicta, obscuriora nonnunquam, & inuolutiora ac perplexiora, aut etiam ante claram veritatis decisionē & definitionem scripta calumniose citare & proponere, & crebrò clarissimas quoque patrū sententias ad illas inuolutiores & obscuriores detorqueere, & falsam intelligentiam ex obscurioribus dictis calumniosę collectam & constitutam clarissimis sententijs affingere. Quod ab eis in capitibus de iustificatione, de fide, de bonis operibus, scēdissimę & sceleratissimę non raro factitatū, arbitror satis demonstratum esse. Sic cū clarissimę & innumerę extant sanctorum patrum sententię, quod in sacramento Cœnę, substantia panis sit conuersa in corpus Domini, contra clarissimas sententijs conquirūt & rimantur obscuras quędam Theodoretī & Gelasij sententias, easque opponunt clarissimis antiquissimorū patrum testimonijs. sicut ex ijs quę in hoc scripto copiosę disputata sunt, perspicuę cognoscere licet.

HÆC cū ita sint Christiane frater, abiectis pessimis fraudibus, mendacijs, & iniquissimis ac vanissimis cauillationibus, quibus Illyricus catholicam doctrinam redarguere & deprauare sedulò conatus est, & quam in scripto Confutationis defendimus, constantissimę perseueremus in Romanę ecclesię, hoc est, cathedrę Petri doctrina. Cuius nullum caput est, quod non habeat antiquitatis & vetustatis tātoperē à Vincentio Lirinensi commendatę, firmum & perspicuum

Galat. 1.

1. Timo. 6

spicuum testimonium. Atq; omnes nouationes profanas contra antiquam & verissimam Ecclesie doctrinam per pseudoapostolum Lutherum inuectam detestemur: sedulo obsequentes apostolico præcepto: Si quis euangelizauerit vobis præterquam quod accepistis (hoc est, interprete pietissimo & eruditissimo Vincentio Lirinensi) quod antiquitati & vetustati contrarium sit, & quo semel tradita fides mutetur, anathema sit: Arque illi quoque præcepto: O Timothee depositum custodi, deuitans profanas vocum nouitates: quibus, inquit Vincentius, beatorum patrum fides & antiqua doctrina, aut tota, aut magna ex parte violetur. Neque quicquam commoueat aut perturbent firmitatem fidei nostræ, pessimæ fraudes, cauillationes & mendacia deceptorum istorum, quas euidentissimè patefactas, & firmissimè ac solidissimè confutatas esse constat.

Quisquis sanè nouo istorum impostorum euangelio auscultare maluerit, is nimirum cum suo nouo euangelio, à Diuo Paulo, imò potius à Christo, qui per os eius oraculum pronunciauit, in æternum anathematizabitur.

DOMINVS IESVS nos, omnesque suos spiritu suo deducat in omnem veritatem, ad gloriam nominis sui, & suorum electorum salutem.

A M E N.

☞ Index Capitum, quæ hoc libro tractantur.

DE prologo seu Præfatione.	6.
De Docentibus.	18.
De Norma Veritatis.	41.
De Libero Arbitrio, & peccato originali.	53.
De Fide.	67. b
De Iustificatione.	71.
De Iesuitis.	225. b
De bonis operibus.	234. b
De summa doctrinæ.	245. b
De discrimine legis & euāgelii.	246. b
De Ecclesia.	249.
De Sacramentis.	263. b
De Sacramento Cœnæ.	266. b
De Missa.	275.
Quid in textu: Hoc facite in mei memoriam: pronomen, hoc, monstret.	323. b
De Sacramentariorum errore.	336.
De Absolutione & Confessione.	345.
De	

INDEX CAPITVM.

De Cœlibatu.	352.
De Purgatorio.	366.
De Magistratu.	382.b
De Cæremoniis.	385.
De Antichristo.	388.
Mendacissimæ legendæ de S. Pe- tri Papatu secundum Illyricum, Confutatio.	408.b
De Epilogo.	427.

F I N I S.

Apologia hæc, vt est docta admodum, & ve-
ritati propugnandæ necessaria : ita vtiliter
prelo excusa omnibus communicabitur.

Ita testor : Cornelius Iansenius,
S. Theologiæ Magister.